BREVIARUM SANCTAE LUGDUNENSIS ECCLESIAE. PRIMAE...

*Lione Diocesi, Demasso, Mathieu Ogier






BREVIARIUM
Sanctæ Lugdunensis Eclesiæ
Primæ galliarum Sedis.
Primo Sanctorum et Primo Martyrum
Primæ Lugdunensis Eclesia gloriatur Tutelaribus



BREVIARIUM SANCTÆ LUGDUNENSIS ECCLESIÆ.

PRIMÆ GALLIARUM SEDIS.

PARS HYEMALIS.



LUGDUNI,

Ex Typographia. P. VALFRAY, *& Veneunt*

Apud { JOANNEM BAPT. DE-VILLE. ET PETRUM VALFRAY, } in vico Mercatorio.

M. DC. XCIII.

CUM PRIVILEGIO.



CAMILLUS DE NEUVILLE

DEI ET SANCTÆ SEDIS Apoſtolicæ gratiâ, Archiepiſcopus & Comes Lugdunenſis, Galliarum Primas, Regiorum ordinum Commendator, Lugduni Prorex, &c.

CLERO LUGDUNENSI ſalutem in Chriſto IESU.



X QUO ad hujus diœceſis gubernationem vocavit nos benignitas Dei, Eò conſilia omnia Referenda eſſe cenſuimus, Ut ſi quid Lugdunenſi Eccleſiæ de priſtino ſplendore forſan deceſſiſſet, ad eam quaſi poſtliminiò rediret totum. Quocirca occaſiones, ad ſuas eidem Eccleſiæ prærogativas conſtanter aſſerendas, cum oblatæ fuerunt arripuimus: idque ſtuduimus, non ſolùm ut commune ſibi cum nonnullis aliis Eccleſiis nomen Primatialis retineret; ſed etiam ut juris à quo cæteræ regni Eccleſiæ ſunt excluſæ; poſſeſſionem ordinariâ Prima-

tûs functione tueretur. Eodem pertinet quod cum anno labentis sæculi quinto supra quinquagesimum D. D Decanus & Canonici Comites, nostræ Cathedralis Ecclesiæ; Cæterorumque Collegiorum hujus urbis Canonici: nobis exposuissent novam Breviarii ad usum Lugdunensis hujus diœceseos, Editionem necessariò curandam videri: tum ut id genus librorum qui perrari erant, occurreretur inopiæ: tum ut errata quæ in postremas editiones irrepserant emendarentur. Continuò Prima convocavimus prædictarum Ecclesiarum capita, ad omnes vias quibus ad id perveniri posset indagandas; virosque nostrorum Rituum & morum consultos, ei Breviario corrigendo & in meliorem redigendo formam jam tum præfecimus. Quæ verò consuetudo psallendi memoriter, apud nos multis jam sæculis viguit, Breviarium istud diù remorata est; maturè ponderatum fuit quid addendum quid detrahendum; libratis tandem momentis divinum hoc opus perfectum, est, & Cleri nostri expectationi factum est satis.

CUMQUE idem Clerus hujus Breviarii sic absoluti typos novos deposceret: nobis illud prælegi placuit. Exinde quæsivimus ab iisdem D.D. Decano & Canonicis Comitibus, nostræ Cathedralis Ecclesiæ, quis illorum sensus, quodve judicium? illorum tandem suffragiis ultrò adhæsimus, fecimusque ac facimus potestatem præli, pro ea quâ fungimur Pontificis auctoritate.

VOLUMUS

VOLUMUS autem & præcipimus ut ij omnes qui anteâ recitabant & inposterùm recitabunt Officium Lugdunense ; hoc utantur Breviario & non antiquo.

PORRO cum in Rubricis, Psalmi Pœnitentiales & Litaniæ Sanctorum præscribuntur ad recitandum statis diebus ; erga illos qui privatim recitant; id consilii solùm non præcepti vim obtinere declaramus. At eodem præcepti modo retineri volumus in Choro, quo hactenus observata sunt.

DATUM in Castro nostro de Neuville ad Ararim propè Lugdunum. die vigesima quartæ Octobris anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo.

CAMILLUS, Archiepiscopus Lugdunensis.

Per Illustrissimum & Reverendissimum D. Dominum Archiepiscopum Præfatum.

BASSET.

DE ANNO

ET EJUS PARTIBUS.

ANnus menses habet duodecim, hebdomadas duas & quinquaginta; & diem unum; dies verò trecētos sexaginta quinque, & ferè sex horas; tanto enim temporis intervallo Sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt: hinc annus ille intercalaris, Bissextus, vel Bissextilis dicitur.

De Anni correctione, Ejusque necessitate, ac Kalendario Gregoriano.

QUod dictum est, Annum continere trecentos & sexagintaquinque dies, & ferè sex horas, intelligendū est, sex horas non esse integras, cùm ad earum complementum aliqua minuta deficiāt.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365. contineret integras sex horas; & factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem: qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suā mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non solùm Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem; à qua jam à Concilio Nicæno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582. præcedendo recesserat, quod à Cōcilio ad xij Kal. Aprilis fuerat constitutum, & xiv. Lunam Paschalem suo in loco reposuit: sed viam quoque tradidit, & rationem, qua cavetur, ut in posterum & Æquinoctium vernum, & xiv. Luna Paschalis à propriis sedibus nūquā removerētur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad xij. Kalend. Aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582. eximerentur, ut post quartā diem Octobris sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idē error vitaretur, ne à xij. Kalend. Aprilis Æquinoctium vernū recederet, statuit idem Gregorius, Bissextū quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis; qui quamvis Bissextiles anteà semper fuerint, qualem etiam esse voluit annū 1600. anno

anno correctionis proximum, post eum tamen, qui deinceps consequentur, cētesimi; non omnes Bissextiles essent, sed in quadrigentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transfigerētur; quartus verò quisque cētesimus esset Bissextilis, ita ut annus 1700. 1800. 1900. Bissextiles non sint, anno verò 2000 more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29. continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quagringentis quibusque annis perpetuò conservaretur.

Quatuor Tempora.

QUatuor Tempora celebrantur quarta & sexta Feria, ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicā Pentecostes, post Festū Exaltationis sanctæ Crucis.

Nuptiæ Quando Celebrari non possint, juxta Decretum Concilii Tridentini.

A Dominica prima Adventus usque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè, sancta Synodus solemnitates nuptiarum prohibet. In aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.

De cyclo Decennovennali Aurei numeri.

CYclus decen-novennalis Aurei numeri, est revolutio numeri 19. annorum ab 1. usque ad 19. qua revolutione peracta, iterùm ad unitatem reditur. Verbi gratia: Anno 1577. numerus cycli decenno-vennalis, qui dicitur Aureus, est 1. anno sequenti 1678. est 2. & ita deinceps in sequentibus annis, uno semper ampliùs usque ad 19. qui Aureus numerus cadet in annum 1595. post quem iterùm ad unitatem redeūdū est, ita ut anno 1596. Aureus numer⁹ sit rursùs 1. & anno 1597. sit 2. &c.

Igitur ut Aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella Aureorum numerorum, cujus usus incipit ab anno correctionis 1582. inclusivè, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582. reperietur hoc modo.

15. 16. 17. 18. 19. 1. 2. 3. 4. 5.
6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

Anno 1582. tribuatur primus numerus tabellæ, qui est 6. secundus autem, qui est 7. sequenti anno 1583. & ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cujus Aureum numerum quæris, perveniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quē annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quæsitum.

DE EPACTIS, ET *Noviluniis.*

EPacta nihil aliud est, quàm numerus dierum, quibus annus Solaris communis dierum 365. annum communē Lunarem dierū 354. superat: ita ut Epacta primi anni sit 11. cùm hoc numero annus Solaris communis Lunarē annum communem excedat: atque adeò sequenti anno Novilunia contingant 11. diebus priùs, quàm anno primo. Ex quo fit, Epactam secundi anni esse 22. cùm eo anno rursum annus Solaris Lunarem annum superet 11. diebus, qui additi ad 11. dies primi anni, efficiunt 22. ac proinde, finito hoc anno, Novilunia contingere 22. diebus priùs, quam primo anno: Epactam autem tertii anni esse 3. quia si rursus 11. dies ad 22. adjiciantur, efficietur numerus 33. à quo si rejiciantur 30. dies, qui unam Lunationem Embolismalem constituūt relinquentur 3. atque ita deinceps Progrediūtur enim Epactæ omnes per cōtinuū augmentum 11. dierum, abjectis tamen 30. quando rejici possunt. Solùm quando perventum erit ad ultimam Epactam Aureo numero 19. respondentem, quæ est 29. adduntur 12. ut abjectis 30. ex composito numero 41. habeatur rursus Epacta 11. ut in principio. Quod ideò fit, ut ultima Lunatio Embolismica, currente Aureo numero 19. sit tantum 29. dierum. Si enim 30. dies contineret, ut aliæ sex Lunationes Embolismicæ, non redirent Novilunia post 19. annos Solares ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, cōtingerentque uno die tardiùs quàm ante 19. annos. De qua re, plura invenies in libro novæ rationis restituendi Kalendarij Romani. Sunt autē novendecim Epactæ, quot & Aurei numeri, respondebātque ipsis Aureis numeris ante Kalendarii correctionem eo modo, quo in hac tabella dispositæ sunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ante Kalendarii correctionem.

Aur. n.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.
Epact	xj.	xxij.	iij.	xiiij.	xxv.	vi.	xvij
	8.	9.	10.	11.	12.	13.	
	xxviij.	ix.	xx.	i.	xij.	xxiij.	
14.	15.	16.	17.	18.	19.		
iv.	xv.	xxvi.	vii.	xviii.	xxix.		

Quia verò cyclus decennovennalis Aurei numeri imperfectus est, cùm Novilunia post 19. annos Solares non præcisè ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam erit hic cyclus

ctus 19. Epactarum. Quamobrem ita emendatus eit, ut in posterum loco Aurei numeri, & dictarum 19. Epactarum, utamur 30. numeris Epactalibus ab 1. usque ad 30. ordine progredientibus, quamvis ultima Epacta, sive quæ ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc * propterea quod nulla Epacta esse possit 30. Variis autem temporibus ex his 30. Epactis respondent decem & novẽ Aureis numeris variæ decem & novem Epactæ, prout Solaris anni, ac Lunaris æquatio exposcit: quæ quidem decem & novem Epactæ progrediuntur, ut olim, per eumdem numerũ 11. adduntur que semper 12. illi Epactæ, quæ respondet Aureo numero 19. ut habeatur sequens Epacta respondẽs Aureo numero. 1. ob rationem paulò antè dictam. Id quod sequẽs tabella perspicuum faciet, quæ continet Aureos numeros, & Epactas inter se respõdentes ab anno correctionis 1582. post detractionem x. dierum, usque ad annum 1700. exclusivè. Quamvis autem vulgares Epactæ mutentur in Martio, re ipsa tamen in principio anni mutandæ sunt unà cum Aureo numero, in cujus locum hæ nostræ Epactæ succedunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis. 1582. (*detractis prius decem diebus*) *usque ad annum* 1700. *exclusivè.*

Aur.n.	6.	7.	8.	9.	10.	11.
Epact.	xxvj.	vij.	xviij.	xxix.	x.	xxj.

12.	13.	14.	15.	16.	17.
ij.	xiij.	xxiv.	v.	xvj.	xxvij.

18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.
viij.	xix.	i.	xij.	xxiij.	iv.	xv.

Itaque si Epacta quoque anno proposito invenienda sit, quærẽdus est Aureus numerus illius anni in superiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori, in quo propositus annus continetur, congruit. Mox enim sub Aureo numero in interiori ordine tabellæ reperietur Epacta anni propositi, vel certè hoc signum * Ubi ergo illa Epacta vel signum* in Kalendario inventum fuerit, eo die Novilunium fiet. Invenietur autem Aureus numerus vel ex antecedente canone, vel ex tabella Epactarum proposito tempori cõgruẽte, tribuendo primum Aureum numerum illius tabellæ illi anno, à quo usus tabellæ incipit, & secundum Aureum numerum sequenti anno, &c. Eodẽ modo reperietur Epacta sine Aureo numero, si prima Epacta tabellæ tribuatur illi anno à quo ejus usus incipit, & secunda Epacta sequenti anno, &c.

ā v Exem

Exemplum Anno correctionis 1582. Aureus numerus est 6. nempe primus primæ tabellæ; cujus usus incipit ab Idibus Octobris dicti anni 1582. detractis priùs x. diebus. Erit ergo tunc Epacta xxvj. quæ sub Aureo num. 6. collocatur: fietque Novilunium die 27. Octobris & 26. Novembris, & 25. Decembris. Item anno 1583. jam correcto Aureus num. est 7. cui in eadem tabella supposita est Epacta vij. quæ toto eo anno in Kalendario Novilunia indicabit: ut in Januario die 24. in Februar. die 22. in Martio die 24. &c.

Tabella litterarum Dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. (detractis priùs x. diebus) usque ad annum 1700 exclusivè.

c b | A | f e d | c | A g f | e | c b A
| g | | b | | d |

g | e d c | b | g f e | d | b A | g | f | d
f | | A | | c | | e |

Usus hujus tabellæ hic est. Anno correctionis 1582. post Idus Octobris (detractis priùs x. diebus) tribuatur littera c, primæ cellulæ, & sequenti anno 1583. littera b, secundæ, & anno 1484. dentur litteræ A g, tertiæ cellulæ, & sic deinceps aliis annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dummodo minor sit, quam annus 1700. dabit litteram Dominicalem propositi anni. Quæ si unica occurrerit, annus erit communis; si verò duplex, Bissextilis: & tunc superior littera Dominicam diē ostendet in Kalēdario à principio anni usque ad Festum S. Mathiæ Apostoli; inferior autem ab hoc Festo usque ad finem anni. Exempli gratia; Sit invenienda littera Dominicalis anno 1587. Numera ab anno 1582. quem tribue primæ litteræ c, usque ad annum 1587. tribuendo singulis cellulis singulos annos (computando geminas litteras quascumque, superiorē & inferiorem, pro una cellula) cadetque annus 1587. in litteram d, quæ sextum locum in tabella occupat. Est ergo toto eo anno littera Dominicalis d, annusque cōmunis est, cùm littera simplex occurrat. Rursus sit investiganda littera Dominicalis anno 1616. Numera ab anno 1581. ut dictum est, usque ad annum 1616. redeundo ad principiū tabellæ, postquam eam percurreris, pervenies que ad duas hasce litteras, c, b. septimo loco positas, Est ergo annus ille Bissextilis, cùm duplex littera

littera occurrat, superiorque littera c, Dominicam diem indicabit à principio anni illius usque ad festum sancti Mathiæ, inferior autem b, in reliqua parte anni.

DE INDICTIONE.

INdictio est revolutio 15. annorum ab 1. usque ad 15. qua revolutione peracta, iterùm reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli à Ianuario in Bullis Pontificiis. Et quoniam Indictionum frequens usus est in Diplomatibus, & scripturis publicis, facilè annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex sequenti tabella, cujus usus perpetuus est: initium tamen sumit ab anno correctionis 1582.

Tabella indictionis ab anno correctionis 1582.

10.	11.	12.	13.	14.	15.	1.	
2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.

Nam si anno 1582. tribuas primum numerum, qui est 10. & sequenti anno 1583. secundum numerum, qui est 11. & sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principiū tabellæ, quotiescumque eam percurrens, cadet annus propositus in Indictionem, quæ quæritur.

DE FESTIS MOBILIBUS.

QUoniam ex decreto sacri Concilii Nicæni, Pascha, ex quo reliqua Festa mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proximè succedit xiv. Lunæ primi mensis; (is verò apud Hæbræos vocatur primus mensis, cujus xiv. Luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21. mensis Martii contingit, vel propiùs ipsum sequitur; efficitur, ut si Epacta cujusvis anni inveniatur, & ab ea in Kalendario notata inter diē octavum Martii inclusivè, & quintum Aprilis inclusivè (hujus enim Epactæ xiv. Luna cadit vel in diem Æquinoctij verni, id est, in diem 21. Martij, vel cum propiùs sequitur) numerentur inclusivè deorsum versus dies quatuordecim, proximus dies Dominicus diem hunc xiv. sequens (ne cum Judæis conveniamus, si fortè dies xiv. Lunæ caderet in diem Dominicum) sit dies Paschæ.

Exemplum. Anno 1605. Epacta est x. & littera Dominicalis b. Et quoniam invenimus Epactum x. inter diem 8. Martii, & 5. Aprilis inclusivè positam esse è regione diei 21. Martii, à quo inclusivè si deorsū versus numerentur 14. dies, in-

veniemus xiv. Lunam die 3. Aprilis, quæ est Dominica, cum è regione illius sit littera Dominicalis b. Ne igitur cum Judæis conveniamus, qui Pascha celebrāt die xiv. Lunæ, sumenda est littera Dominicalis b, quæ sequitur xiv. Lunam, nempe ea quæ è regione diei 10. Aprilis collocatur: atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10. April. Itē anno 1604. Epacta est xxix. & duplex littera Dominicalis d, c, cùm annus ille sit Bissextilis. Si igitur ab Epacta xxix. quæ è regione diei 1. Aprilis ponitur inter diem 8. Martii & 5. Aprilis inclusivè, numerentur dies 14. cadet xiv. Luna in diem 14. Aprilis. Et quia tunc currit posterior littera Dominicalis, nempe c, quæ post diem 14. Aprilis, id est, post xiv. Lunam collocata est è regione diei 18. Aprilis, celebrabitur eo anno Pascha die 18. Aprilis.

Cæterùm ut faciliùs omnia Festa mobilia inveniantur. compositæ sunt duæ sequētes tabulæ Paschales, una antiqua, & nova altera. Ex antiqua ita Festa mobilia reperientur. In latere sinistro tabulæ accipiatur Epacta currens, & in linea litterarum Dominicaliū sumatur littera Dominicalis currens, infra tamen Epactam currentem: ita ut si littera Dominicalis currens reperiatur è regione Epactæ currentis, assumenda sit eadem littera Dominicalis proximè inferior. Nam è regione hujus litteræ Dominicalis omnia Festa mobilia continentur.

Exemplum. Anno 1606. Epacta est xxi. & littera Dominicalis A. Si igitur in tabula antiqua sumatur littera Dominicalis A. quæ primò infra Epactam xxi. occurrit, reperietur è regione hujus litteræ Dominica Septuagesimæ die 22. Januarii, dies Cinerum 8. Februarii, Pascha 26. Martii, Ascensio Domini 4. Maij, Pentecostes 14. Maij, & festum Corporis Christi 25. Maij. Dominicæ autem inter Pentecosten & Adventū eo anno erunt 28. & Adventus celebrabitur die 3. Decemb. Et sic de cæteris. Item anno 1605. Epacta est x. & littera Dominicalis b, quæ in tabula reperitur è regione Epactæ x. Quare sumenda est alia littera b, quæ proximè infra Epactam invenitur, è regione cujus invenies Septuagesimam die 6. Februarij, diem Cinerum 23. Februarij, Pascha 10. Aprilis, &c.

Notandum autē est, quòd quemadmodū in anno cōmuni, cadente littera Dominicali è regione Epactæ in tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra Epactam, ut diximus: ita quoque in anno Bissextili, si alterutra duarū litterarum Dominicalium tunc currentium

tium è regione Epactæ reperiatur, assumendæ sunt aliæ duæ similes litteræ proximæ inferiores, ut Festa mobilia inveniantur.

Ex tabula verò Paschali nova ita eadem Festa mobilia reperientur. In cellula litteræ Dominicalis currentis quæratur Epacta currens Nam e directo omnia Festa mobilia deprehendentur. Ut anno 1609. in cellula litteræ Dominicalis d, tunc currentis è regione Epactæ xxiv. quæ eodem anno currit, habetur Septuagesima die. 15. Febrarij, dies Cinerum 4. Martij, Pascha 19. Aprilis, &c.

Sed sive antiqua, sive nova tabula Paschali utamur, invenienda sunt omnia Festa mobilia in annis Bissextilibus per litteram Dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post festum S. Mathiæ Apostoli, ne scilicet ambigamus, utra duarum litterarum pro hoc aut illo Festo indagando accipienda sit: ita tamen, ut Septuagesimæ, & diei Cinerum invētæ in Januario aut Februar. addatur unus dies. Quod ideò fit, quia ante diem sancti Mathiæ currit prior littera Dominicalis, quæ in Kalēdario posteriorem semper sequitur: post festum autem S. Mathiæ in Februario, licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita dies 24 Februarii dicatur 25. & dies 25. dicatur 26. &c. Quòd si dies Cinerum cadat in Martium, nihil addendū est, quia tunc & littera posterior currit, & dies mensis propriis numeris respondent, cum dies intercalaris Februario sit additus, Immò nisi per posteriorem litteram investigarentur, nō inveniretur recte Septuagesima in anno Bissextili currente Epacta xxiv vel xxv. & littera Dominicali d, c, ut in secundo ac tertio exēplo perspicuum fiet pro annis 4088. & 3784. exempli gratia Anno 2096. Bissextili, Epacta erit v. & litteræ Dominicales A g. Si igitur per posteriorem litteram, quæ est g, Festa mobilia investigentur, reperietur Septuag. die 11. Febr. & dies Cinerum, 28. Febr. Si autem addatur unus dies, cadet Septuagesima in diem 12. Febr. quæ est Dominica, & dies Cinerum in diem 29. Febr. quæ est Feria quarta. Pascha autem, & reliqua Festa in eos dies cadent, qui in tabula expressi sunt. Item anno 4088. Bissextili Epacta erit xxiv. & litteræ Dominicales d, c. Si igitur per litteram c, quæ posterior est, inquirantur Festa mobilia, invenietur Septuagesima die 21. Februarij, & si addatur unus dies, cadet in diem 22 Febr. quæ est Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10. Martij: quare nihil additur, &c. Rursus anno

anno 3784. Bissextili, Epacta est xxv. & litteræ Dominicales d, c. ergo iterùm per posteriorem c, reperietur Septuagesima die 21. Februarij, hoc est, addita 1. die 22. Quòd si per priorem litteram d, in utroque horum duorum annorum agendū esset, nihil efficeretur, cum infra Epactas xxiv. & xxv. littera d, indicet Septuag. die 15. Febr. quod falsum esset, cùm eo anno posterior littera c, Pascha offerat die 25. Aprilis, ac proinde Septuagesima die 22. Febr. celebranda sit, ut liquidò constat, si à die Paschæ, Dominicæ retrò numerentur usque ad Septuagesimam.

In priori porrò tabula Paschali antiqua reformata, Epactis ad sinistram præposuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarij collocari solebant, ut ex iis Festa mobilia invenirentur. Hoc autem idcircò à nobis factum est, ut Pascha, ceteraque Festa mobilia, à Concilio Nicæno usque ad annum 1582. quilibet indagare possit. Eodem autē prorsus artificio ex Aureis numeris ita distributis Festa mobilia eruuntur, quo ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando Festa hæc celebrata fuerint anno 1450. Quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7. & littera Dominicalis d, si Aureus numerus 7. in sinistro latere accipiatur, & prima littera d, infra eum occurrens, reperietur è regione hujus litteræ d, Septuagesima die 1. Februarij, dies Cinerum 18. Februarij, Pascha die 5. Aprilis, &c.

Adventus Domini celebratur semper die Dominico, qui propinquior est festo S. Andreæ Apostoli, nempe à die 27. Novembris inclusivè usque ad diem 3. Decembris inclusivè: ita ut littera Dominicalis currens, quæ reperitur in Kalendario à die 27. Novembris usque ad diem 3. Decembris, indicet Dominicam Advētus. Ut verbi gratia, si littera Dominicalis est g, Dominica Adventus cadet in diem 2. Decembris; quia ibi est littera, g, in Kalendario, &c.

Ad finem tandem tabularum Paschaliū apposita est tabula temporaria multorū annorum, è regione quorum omnia festa mobilia inveniuntur: quæ quidem tabula ex tabulis Paschalibus excerpta est, ex quibus infinitæ aliæ erui possunt pro quibuscumque annis.

TABULA

TABULA PASCHALIS

ANTIQUA REFORMATA.

Aureus num.		Cyclus Epactarum.	Litera Dom.	Septuagesima.	Dies Cinerum.	Pascha.	Ascensio.	Pentecostes.	Corpus Christi.	Dominicæ post Pentecostem.	Prima Dominica Adventus.
16		xxiij	c	Ian	Febr.	Mart.	Apr.	Maij	Maij	—	—
5		xxij	d	18	4	22	30	10	21	28	29 N
		xxj	e	19	5	23	1Mai	11	22	28	30
13		xx	f	20	6	24	2	12	23	28	1.D.
2		xix	g	21	7	25	3	13	24	28	2
		xviij	A	22	8	26	4	14	25	28	3
10		xvij	b	23	9	27	5	15	26	27	27.N
		xvj	c	24	10	28	6	16	27	27	28
18		xv	d	25	11	29	7	17	28	27	29
7		xiv	e	26	12	30	8	18	29	27	30
		xiij	f	27	13	31	9	19	30	27	1.D.
15		xij	g	28	14	1 Apr.	10	20	31	27	2
4		xj	A	29	15	2	11	21	1.Iu.	27	3
		x	b	30	16	3	12	22	2	26	27 N
12		ix	c	31	17	4	13	23	3	26	28
1		viij	d	1Feb.	18	5	14	24	4	26	29
		vij	e	2	19	6	15	25	5	26	30
9		vj	f	3	20	7	16	26	6	26	1.D.
		v	g	4	21	8	17	27	7	26	2
17		iiij	A	5	22	9	18	28	8	26	3
6		iij	b	6	23	10	19	29	9	25	27 N
		ij	c	7	24	11	20	30	10	25	28
14		j	d	8	25	12	21	31	11	25	29
3		*	e	9	26	13	22	1.Iu.	12	25	30
		xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1.D.
11		xxviij	g	11	28	15	24	3	14	25	2
		xxvij	A	12	1Mar.	16	25	4	15	25	3
19	25.	xxvj	b	13	2	17	26	5	16	24	27.N
8	xxv	xxiv	c	14	3	18	27	6	17	24	28
			d	15	4	19	28	7	18	24	29
—	—		e	16	5	20	29	8	19	24	30
			f	17	6	21	30	9	20	24	1.D.
			g	18	7	22	31	10	21	24	2
			A	19	8	23	1 Iu.	11	22	24	3
			b	20	9	24	2	12	23	23	27N
			c	21	10	25	3	13	24	23	28

TABULA
PASCHALIS.

Littera Domin.	*Cyclus Epactarum.*	*Septuagesima.*	*Dies Cinerum*	*Pascha.*
D	23.	18.Jan.	4.Feb.	22. Mar.
	22.21.20.19.18.17.16.	25.Jan.	11.Feb.	29.Mar.
	15.14.13.12.11.10.9.	1.Feb.	18.Feb.	5. Apr.
	8.7.6.5.4.3.2	8.Febr.	25.Feb.	12.Apr.
	1.*29.28.27.26.xxv.25.24.	15.Feb.	4.Mar.	19.Apr.
E	23.22.	19.Jan.	5.Feb.	23.Mar.
	21.20.19.8.17.16.15.	26.Jan.	12.Feb	30.Mar.
	14.13.12.11.10.9.8.	2.Febr.	19.Feb.	6. Apr.
	7.6.5.4.3.2.1.	9.Febr.	26.Feb.	13. Apr.
	*29.28.27.26. xxv. 25.24.	16.Feb.	5.Mar.	20 Apr.
F	23.22.21.	20.Jan.	6.Feb.	24.Mar.
	20.19.18.17.16.15.14.	27.Jan.	13.Feb.	31. Mart.
	13.12.11.10.9.8.7.	3.Febr.	20.Feb.	7. Apr.
	6.5.4.3.2.1.*	10.Feb.	27.Feb.	14.Apr.
	29.28.27.26. xxv.25.24.	17.Feb.	6.Mar.	21.Apr.
G	23.22.21.20.	21.Jan.	7.Feb.	25.Mar.
	9.18.17.16.15.14.13.	28.Jan.	14.Feb.	1.Apr.
	12.11.10.9.8.7.6.	4.Feb.	21 Feb.	8.Apr.
	5.4.3.2.1.* 29.	11.Feb.	28.Feb.	15.Apr.
	28.27.26. xxv. 25.24.	18.Feb.	7 Mar.	22 Apr.
A	23.22.21.20.19.	22.Jan.	8.Feb.	26.Mar.
	18.17.16.15.14.13.12.	29.Jan.	15.Feb.	2. Apr.
	11.10.9.8.7.6.5.	5.Febr.	22.Feb.	9.Apr.
	4.3.2.1.*29.28.	12.Feb.	1. Mar.	16.Apr.
	27.26. xxv. 25.24.	19.Feb.	8. Mar.	23.Apr.
B	23.22.21.20.19.18.	23.Jan.	9.Feb.	27.Mar.
	17.16.15.14.13.12.11.	30.Jan.	16.Feb.	3. Apr.
	10.9.8.7.6.5.4.	6.Feb.	23.Feb.	10.Apr.
	3.2.1.*29.28.27.	13.Feb.	2. Mar.	17.Apr.
	26. xxv. 25.24.	20.Feb.	9.Mar.	24.Apr.
C	23.22.21.20.19.18.17.	24.Jan.	10.Feb.	28.Mar.
	16.15.14.13.12.11.10.	31.Jan.	17.Feb.	4. Apr.
	9.8.7.6.5.4.3.	7.Feb.	24.Feb.	11. Apr.
	2.1.*29.28.27.26. xxv.	14 Feb.	3.Mar.	18.Apr.
	25.24.	21.Feb.	10.Mar.	25.Apr.

NOVA

NOVA REFORMATA.

Ascensio.	*Pentecostes.*	*Corpus Christi.*	*Dominicae inter Pent. & Adventum.*	*Prima Dominica Adventus.*
30. Aprilis.	10 Maij.	21 Maij.	28	29 Nov.
7 Maij.	17 Maij.	28 Maij.	27	29
14 Maij.	24 Maij.	4 Junij.	26	29
21 Maij.	31 Maij.	11 Junij.	25	29
28 Maij.	7 Junij.	18 Junij.	24	29
1 Maij.	11 Maij.	22 Maij.	28	30 Nov
8 Maij.	18 Maij.	29 Maij.	27	30
15 Maij.	25 Maij.	5 Junij.	26	30
22 Maij.	1 Junij.	12 Junij.	25	30
29 Maij.	8 Junij.	19 Junij.	24	30
2 Maij.	12 Maij.	23 Maij.	28	1 Decemb.
9 Maij.	19 Maij.	30 Maij.	27	1
16 Maij.	26 Maij.	6 Junij.	26	1
23 Maij.	2 Junij.	13 Junij.	25	1
30 Maij.	9 Junij.	20 Junij	24	1
3 Maij.	13 Maij.	24 Maij.	28	2 Decemb.
10 Maij.	20 Maij.	31 Maij.	27	2
17 Maij.	27 Maij.	7 Junij.	26	2
24 Maij.	3 Junij.	14 Junij.	25	2
31 Maij.	10 Junij.	21 Junij.	24	2
4. Maij.	14 Maij.	25 Maij.	28	3 Decemb.
11 Maij.	21 Maij.	1 Junij.	27	3
18 Maij.	28 Maij.	8 Junij.	26	3
25 Maij.	4 Junij.	15 Junij.	25	3
1 Junij.	11 Junij.	22 Junij.	24	3
5 Maij.	15 Maij.	26 Maij.	27	27 Nov.
12 Maij.	21 Maij.	2. Junij.	26	27
19 Maij.	29 Maij.	9 Junij.	25	27
26 Maij.	5 Junij.	16 Junij.	24	27
2 Junij.	12. Junij.	23 Junij.	23	27
6 Maij.	16 Maij.	27 Maij.	27	28 Nov.
13 Maij.	23 Maij.	3 Junij.	26	28
20 Maij.	30 Maij.	10 Junij.	25	25
27 Maij.	6 Junij.	17 Junij.	24	28
3 Junij.	13 Iunij.	24 Junij.	23	28

TABULA

TABULA
TEMPORARIA.

Anni Domini.	*Littera Dominical.*	*Aur. Numer.*	*Epacta.*	*Septuagesima.*	*Dies Cinerum.*	*Pascha.*
1693	d	3	*xxiij*	18 Jan.	4 Febr.	22 Mart.
1694	c	4	*iv*	7 Feb.	24 Febr.	11 Aprilis
1695	b	5	*xv*	30 Jan.	16 Febr.	3 Aprilis
1696	*A* g	6	*xxvj*	19 Feb.	7 Mart.	22 Aprilis
1697	f	7	*vij*	3 Feb.	20 Febr	7 Apr.
1698	e	8	*xviij*	26 Jan.	12 Febr.	30 Mart.
1699	d	9	*xxix*	15 Feb.	4 Mart.	19 Apr.
1700	c	10	*ix*	7 Feb.	24 Febr.	11 Apr.
1701	b	1	*xx*	23 Jan.	9 Febr.	27 Mart.
1702	*A*	12	*j*	12 Feb.	1 Mart.	16 Apr.
1703	g	13	*xij*	4 Feb.	21 Febr.	8 Aprilis
1704	f e	14	*xxiij*	20 Jan.	6 Febr.	23 Mart.
1705	d	15	*iv*	8 Feb.	25 Febr.	12 Apr.
1706	c	16	*xv*	31 Jan.	17 Febr.	4 Apr.
1707	b	17	*xxvj*	20 Feb.	9 Mart.	24 Apr.
1708	*A* g	18	*vij*	5 Feb.	22 Febr.	8 Aprilis
1709	f	19	*xviij*	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.
1710	e	1	*	16 Feb.	5 Mart.	20 Apr.
1711	d	2	*xj*	1 Feb.	18 Febr.	5 Apr.
1712	c b	3	*xxij*	24 Jan	10 Febr.	27 Mart.
1713	*A*	4	*iij*	12 Feb.	1 Mart.	16 Aprilis
1714	g	5	*xiv*	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.
1715	f	6	*xxv*	17 Feb.	6 Mart.	21 Apr.
1716	e d	7	*vj*	9 Feb.	26 Febr.	12 Apr.
1717	c	8	*xvij*	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.
1718	b	9	*xxviij*	13 Feb.	2 Mart.	17 Aprilis
1719	*A*	10	*ix*	5 Feb.	22 Febr.	9 Apr.
1720	g f	11	*xx*	28 Jan.	14 Febr.	31 Mart.
1721	e	12	*i*	9 Feb.	26 Febr.	13 Apr.
1722	d	13	*xij*	1 Feb.	18 Febr.	5 Apr.
1723	c	14	*xxiij*	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.
1724	b *A*	15	*iv*	13 Feb.	1 Mart.	16 Apr.
1725	g	16	*xv*	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.

FESTO

FESTORUM
MOBILIUM

Anni Domini.	*Ascensio Domini.*	*Pentecostes.*	*Corpus Christi.*	*Indict.*	*Dñica post Pent.*	*Dñica 1. Adventus.*
1693	30 April.	10 Maii.	21 Maii.	1.	28	29 Nov.
1694	20 Maii	30 Maii.	10 Junii.	2	23	28 Nov.
1695	12 Maii.	22 Maii.	2 Junij.	3	26	27 Nov
1696	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	4	24	2 Dec.
1697	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii	5	26	1 Dec.
1698	8 Maii	18 Maii.	29 Maii.	6	27	30 Nov.
1699	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	7	24	29 Nov.
1700	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	8	25	28 Nov.
1701	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	9	27	27 Nov
1702	25 Maii.	4 Junii.	15 Junij	10	25	3 Dec.
1703	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii	11	26	2 Dec.
1704	1 Maii.	11 Maii	22 Maii.	12	28	30 Nov.
1705	21 Maii.	31 Maii.	11 Junii	13	2[illegible]	29 Nov.
1706	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii	14	26	28 Nov.
1707	2 Junii.	12 Junii.	23 Junii	15	23	27 Nov.
1708	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	1	26	2 Nov.
1709	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	2	27	1 Dec.
1710	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	3	24	30 Nov.
1711	14 Maii	24 Maii.	4 Junii.	4	26	29 Nov.
1712	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	5	27	27 Nov.
1713	25 Maii.	4 Junii.	15 Junij.	6	25	3 Dec.
1714	10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	7	27	2 Dec.
1715	30 Maii.	9 Junii.	20 Junii.	8	24	1 Dec.
1716	21 Maii.	31 Maii.	11 Junii.	9	25	29 Nov.
1717	6 Maii.	16 Maii.	27 Maii.	10	27	28 Nov.
1718	26 Maii.	5 Junii.	16 Junii	11	24	27 Nov.
1719	18 Maii.	28 Maii.	8 Junii.	12	26	3 Dec.
1720	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	13	27	1 Dec.
1721	22 Maii.	1 Junii	12 Junii	14	25	30 Nov.
1722	14 Maii.	14 Maii.	4 Junii	15	26	29 Nov.
1723	6 Maii.	6 Maii	27 Maii.	1	27	28 Nov.
1724	15 Maii.	25 Maii.	15 Junii	2	25	3 Dec.
1725	10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	3	27	2 Dec.

DUÆ TABELLÆ
EX RUBRICIS GENERALIBUS
EXCERPTÆ.

In quarum prima statim videri poterit, de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa occurrant.

In secunda verò, quomodo Officium præcedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei.

Ex utraque Tabella hoc ordine reperietur quod quæritur.

Primùm inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Festa, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt; deinde legatur Regula, juxta dictum numerum descripta & ex ea clarè videbitur quid sit agendum.

Exempli gratia. Quadrangulus in quo sibi invicem occurrunt Duplex primæ Classis, & Dominica primæ Classis, erit qui est in angulo superiori primæ Tabellæ. in quo signatus est numerus. 1. quia si ad eum tam Duplex, quàm Dominica prædicta ex eorum locis recto tramite pergerent; in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem juxta dictum numerum apposita sic habet.

1. *Translatio de primo, Officium de secundo.* Id est, duplex primæ Classis prædictum transferatur, & Officium fiat de Dominica primæ Classis: quia cum in his regulis dicitur, De primo seu præcedenti, intelligitur de Festo in superiori parte Tabellæ apposito, ut Duplex prædictum; Cùm verò de secundo vel sequenti, intelligitur de Festo in inferiore parte sub numeris apposito ut Dominica prædicta.

In aliquibus autem quadrangulis nullus appositus est numerus, vel quia nullus occursus neque concursus esse potest vel quia in propriis locis adnotatur in Breviario, quid sit agẽdum. Scire autẽ oportet quæ sint Duplicia primæ Classis, & dupl. majora; & quæ Dominicæ & Feriæ majores dicantur.

DUPLICIA PRIMÆ CLASSIS.

In quibus nulla fit commemoratio quarumcumque Festorum occurrentium,

Nativitas Domini.
Circumcisio.
Epiphania.
Pascha cum tribus antecedentibus & duobus sequentibus diebus.
Ascensio Domini.
Pentecoste cum duobus sequentibus diebus.
Festum Trinitatis.
Festum Corporis Christi.
Nativitas S. Joannis Baptistæ.
Assumptio B. Mariæ Virginis.
Festum omnium Sanctorum.
Dedicatio Propriæ Ecclesiæ.
Patronus vel Titulus Ecclesiæ.

DUPLICIA MAIORA.

In quibus non fit commemoratio de Simplicibus nisi per ix. Lect. Ad Matut. sed non dicitur de eis. Orat. Ad Missam maj.

Conceptio, Purificatio, Annuntiatio, Nativitas } B. Mariæ.
Festum SS. Apost. Petri & Pauli.

DOMINICÆ MAIORES.
dividuntur in duas Classes.

DOMINICÆ PRIMÆ Classis.

Prima Adventus.
Septuagesimæ.
Prima Quadragesimæ.
Passionis.
Palmarum.
Paschæ.
Octavæ Paschæ seu in Albis.
Pentecostes.
Oct. Pentecostes sive Trinitatis.

DOMINICÆ SECUNDÆ Classis.

Secunda, Tertia, Quarta } Adventus.
Dominicæ } Sexagesimæ. Quinquagesimæ.
Secunda, Tertia, Quarta } Quadragesimæ.

Hæ omnes Dominicæ, nunquam omittuntur quocumque Festo adveniente.

Feriæ majores de quibus semper fit commemoratio.

Adventus.
Quadragesimæ.
Quatuor Temporum.
Secunda, Quarta } Rogationum.

SI OCCURRAT eodem Die.

	Vigilia.	Feria major.	S. Maria in Sabbato.	Simplex sive iij. Lect.	Semiduplex majus vel minus.	Dies Octavæ.	Dies infra Octavam.	Duplex minus.	Duplex majus.	Duplex primæ Classis.	Dominica per annum.	Dominica major primæ & 2. Classis.
Duplex primæ Classis, &	6	4	0	6	2	4	6	2	2	8	4	1
Duplex majus.	4	4	0	6	2	4	6	2	8	1	4	1
Duplex minus,	4	4	0	4	2	4	4	8	1	1	4	1
Dies infra Octavam,	4	4	0	4	3	3	7	3	3	5	3	3
Dies Octavæ,	4	4	0	4	2	7	4	3	3	3	4	3
Semiduplex maj. & minus	4	4	0	4	8	1	4	1	1	1	4	1
Simplex sive iij. Lect.	3	3	3	0	3	3	3	3	3	5	3	3
S. Maria in Sabbato,	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria major,	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	0	0
Vigilia.	0	5	6	4	3	3	3	3	3	5	0	0

1. Translatio de primo, Officium de secundo.
2. Officium de primo, Translatio de secundo.
3. Cômemoratio de primo Officiũ de secundo.
4. Officium de primo commem. de secundo.
5. Nihil de primo, Officium de secundo.
6. Officium de primo, nihil de secundo.
7. Officium de digniori, commemoratio de minus digno.
8. Officium de digniori, Translatio de minus digno.

Notandum, quòd Duplex quodcumque, etiam Patroni, & Tituli Ecclesiæ, vel Dedicationis ejusdem, occurrens in Vigiliis Nativitatis Domini & Pentecostes, in die Circumcisionis, in die Octava Epiphaniæ, in Feria iv. cinerum & à Feria iv. in majori Hebdomada, inclus. usque ad Oct. Paschæ inclusivè. In Ascensione Domini in Pentecoste, & per Octavam. In Festo Corporis Christi, in Festo Assumptionis B. Virginis, & omnium SS. Transfertur.

Infra Oct. Epiphan. fit tantùm de Patrono vel Titulari Ecclesiæ, & ejusdem Dedicatione, cum commemor. Octavæ: alia Festa transferuntur post Octavam.

De Octava Nativit. Domini Epiphan. & Corporis Christi, semper fit commemoratio quocumque Festo in illis occurrente.

De aliis Octavis, quæ non sunt in Kalendario nil fit à Feria iv. Cinerum usque ad Dom. Oct. Paschæ seu in Albis, & à Vigil. Pentecost. usque ad festum Trinitatis inclus. & à die 17. Decēb. usque ad Epiphaniā.

De Translatione Octavarum vide Rubricam de Translat. Fest. num. 7.

Si occurrat ut Patronus vel Titulus Ecclesiæ descriptus sit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia fit tantùm de Patrono vel Titulari absque commemor. aliorum. Qui si in dicto Kalendario descripti sunt sub Officio

ficio Duplici, vel Semiduplici, transferuntur in primam diem simili Officio non impeditam, & de iis fiat secundum qualitatem Officij. Si verò in Kalendario omnes sint tanquam Festum Simplex, de aliis nil fit.

De Feriis Adventus, & Quadragesimæ, quando de eis non fit Officium, fit commemoratio per Lectionem in Matut. vel orat. in Missa quocumque festo adveniente. De Quatuor Temporibus Feria ij. & iv. Rogationum, ac Vigilia, non fit commemorat. in Festis Duplicib. I. Classis, sed in cæteris omnibus. Si verò aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadragèsima & Quatuor Temporibus, vel in diebus Festorum Duplicium primæ Classis Patroni vel Dedicationis Ecclesiæ de ea nihil fit omnino.



QVANDO

	S. Maria in Sabato.	Die infra Octavam.	Die Octavæ.	Simplici seu iij. Lect.	Semiduplici maj. vel mi.	Duplici minore.	Duplici majore.	Patrono vel titulo Ecclesiæ.	Duplici primæ Classis.	Dñica minore seu per annum.	Dominica secundæ Classis.	Dominica primæ Classis.
Dominica primæ Classis cum,	0	3	3	3	3	1	1	1	1	0	0	0
Dominica secundæ Classis.	0	3	1	3	1	1	1	1	1	0	0	0
Dominica minor seu per annũ	0	3	1	3	1	1	1	1	1	0	0	0
Duplex primæ Classis,	3	3	3	3	3	3	3	4	4	3	3	3
Patronus sive titulus Ecclesiæ,	3	3	3	3	3	3	3	0	4	3	3	3
Duplex majus.	3	3	3	3	3	3	4	1	1	3	3	3
Duplex minus.	3	3	3	3	3	4	1	1	1	3	3	3
Semiduplex maj. vel minus,	3	3	3	3	4	1	1	1	1	3	3	1
Dies Octavæ.	3	3	3	3	3	1	1	1	1	3	3	1
Dies infra Octavam.	0	0	1	2	1	1	1	1	1	1	1	1

1. Totum de sequenti, nihil de præcedenti.

2. Totum de præcedenti, nil de sequenti.

3. Totum de præcedenti processio de sequenti.

4. Totum de digniori, processio de minus digno.

Simplex, & S. Maria in Sabbato, Feria, & Vigilia non concurrunt.

Notandum quod Festa SS. Trinitatis, Corporis Christi, Transfigurationis, sunt omnino completa, id est, habent primas & secundas Vesperas, processionem, & Hymnum ad Completorium: similiter & Festa B. Mariæ Virginis, nisi concurrant cum Festis Domini nostri Jesu Christi ut Festum ad Nives cum Transfiguratione.

Notandum quoque quod in primis Vesperis diei Octavæ Ascensionis & Corporis Christi Officium fit de Octava nisi fuerit festum Duplex primæ Classis, vel Duplex majus.

In secundis Vesperis diei Octavæ Paschæ, de sequenti Festo fit tantùm processio nisi fuerit Duplex majus. Tunc enim fieret totùm de sequenti, nihil de præcedenti.

PER



PERMISSION ET MANDEMENT de Monſeigneur l'Archevêque & Comte de Lyon, Primat de Françe, Commandeur des ordres du Roy, & ſon Lieutenant general au Gouvernement de Lyon, Pays de Lyonnois, Foreſt & Beaujolois, &c.

NOus mandons & permettons aux Sieurs Jean-Baptiſte Deville, & Pierre Valfray, Marchands Libraires de cette Ville, d'imprimer ou faire imprimer le Breviaire que nous avons fait nouvellement revoir & corriger ſelon l'uſage de nôtre Egliſe de Lyon, avec défences à tous autres d'imprimer & debiter ledit Breviaire. Fait à Neufville le 20. Decembre 1692.

L'ARCHEVEQUE, de Lyon.

RUBRICÆ
GENERALES.

I.

OFFICIUM quotidie fit aut Duplex, aut semiduplex, aut simplex, aut Feriale.

2 Officium Duplex dividitur in Duplex. I. Classis, Duplex majus; & Duplex minus.

3 Duplex I. Classis, fit in Nativitate Domini; in Festo Sancti Stephani Protomartyris; sancti Joannis Evangelistæ; Circumcisionis Domini; Epiphaniæ: Paschæ, cum tribus præcedentibus; diebus, & duobus sequentibus; Octavæ Paschæ, seu Dominicæ in Albis, Ascensionis; Pentecostes, cum duobus sequentibus; Corporis Christi; Nativitatis Beati Joannis Baptistæ; Assumptionis Beatæ Mariæ; Omnium Sanctorum; Patroni seu Titularis principalis; & Dedicationis Ecclesiæ.

4 Duplex majus fit, in Festis SS. Trinitatis; Purificationis Beatæ Màriæ; Annuntiationis; Nativitatis B. Mariæ; & Conceptionis ejusdem; SS. Petri & Pauli; & aliis quibus in Kalendario apponitur hæc vox Duplex maius.

5 Duplex minus fit, in Festis Transfigurationis Domini, Visitationis B. Mariæ; Apostolorum; Sancti Laurentij, & aliis quibus in Kalendario apponitur hæc vox, Duplex minus.

6 Semiduplex dividitur, in Semiduplex majus, & Semiduplex minus.

7 Semiduplex majus, alias majoris signi: fit in Festo SS. Eucherij; Conversionis sancti Pauli; Vincentij Martyris; & in aliis festis quibus in Kalendario apponitur hæc vox, Semiduplex majus.

8 Semiduplex minus sive novem Lectionum simpliciter, fit: in Festo sanctæ Agathæ, in singulis Dominicis per Annum, & aliis quibus in Kalendario apponitur hæc vox, semiduplex minus.

9 Simplex, sive trium Lectionum 3 fit in Festo sancti Marcelli Papæ; & aliis omnibus quibus in Kalendario apponitur hæc vox, simplex.

10 Feriale dicitur quando Officium fit de Tẽpore ut in Psalterio.

De Officio Duplici primæ classis.

II.

FEstum Duplex primæ Classis, celebratur eodem die quo cadit: nisi illud contingat transferri, ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum. Habet primas & secundas Vesperas integras nisi cum alio simili concurrat; ut dicetur in Rubrica de concurrentia Officij, & totum Officium fit de Duplici, incipiendo à primis Vesperis usque ad Completorium sequentis diei inclusivè, nisi aliter in propriis locis assignetur. In primis & secundis Vesperis, semper dicuntur Antiphonæ de Laudibus diei; & Psalmi proprij, non verò Feriales, ut suis locis notantur. Antiphonæ ad Magnificat & ad Benedictus duplicantur in utrisque Vesperis & Laudibus, id est, bis integræ dicuntur in fine Canticorum prædictorum scilicet in choro semel integræ ab uno choro, & semel integræ ab altero choro. Extra chorum verò: bis integræ dicuntur in fine canticorum, ab eodem recitante.

Ad Matutinum duplicatur Invitatorium: id est bis dicitur integrum ante Psalmum Venite exultemus; & bis post ℣. Gloria Patri, ejusdem Psalmi.

2 Illud Officium semper habet tres Nocturnos, cum novem Antiphonis, & totidem Psalmis, Lectionibus, & Responsoriis; hoc est, in uno quoque Nocturno sunt tres Antiphonæ, tres Psalmi, tres Lectiones, tria Responsoria; exceptis diebus Paschæ & Pentecostes, & duobus Festis sequentibus, in quibus dicitur unum tantum Nocturnum cum tribus Psalmis & totidem Lectionibus ut ibidẽ ponitur.

3 In Nocturnis duplicantur Responsoria cum ℣. Gloria Patri, & sicut erat, usque ad nunc & semper,

In primo Responsorio ; post quæ verba resumitur totum Responsorium, usque ad Versum exclusivè. In secundo verò Responsorio, & sequentibus dicitur tantum ℣. Gloria Patri, usque ad Spiritui sancto. Deinde resumitur similiter totum Responsorium, usque ad Versum. Ultimum vero Responsorium, id est nonum ; non duplicatur quia dicitur Hymnus Te Deum laudamus, qui Hymnus ad Matutinum dicitur semper In hoc Officio excepto triduo ante Pascha. Notandum tamen quod in Festo Ascensionis Domini, & Corporis Christi ; non duplicantur Responsoria ad Matutinum quia repetuntur ad Processionem, quæ fit his diebus ante Missam. Ad Laudes non dicitur Psalmus Levavi nec ad ullas horas Psal. De profundis ; sed tantum post ℣. Benedicamus Domino. Et ℟. Deo gratias, dicitur secreto. ℣. Fidelium animæ.

Ad Completorium dicitur oratio Deus qui illuminas noctem.

De Officio Duplici Maiori.
III.

Officium Duplex majus, fit ut Duplex primæ Classis ; excepto quod non duplicantur Responsoria ad Matutinum, sed tantum duplicantur Invitatoria, & Antiphonæ, ad Magnificat & Benedictus.

De Officio Duplici Minori.
IV.

Istud Officium fit ut Duplex majus, excepto quod non duplicantur Invitatoria, sed tantum Antiphonæ ad Magnificat & Benedictus. Quomodo sit ordinandum Officium Duplex primæ Classis ; majus ; & minus : in Vesperis, Nocturnis, Laudibus, & Cæteris Horis : similiter & de Antiphonis, Versiculis, Capitulis, & aliis in hoc Officio dicendis habentur inferius de singulis, propriæ Rubricæ.

De Officio Semiduplici majori.
V.

Festum Semiduplex majus fit eodem modo quo officium Duplex sed nihil in eo duplicatur. Ad utrasque Vesperas semper dicuntur Psalmi & Antiphonæ Feriæ occurrentis. Non dicitur Hymnus Te Deũ nisi occurrerit in Dominica & tunc ad nonum Responsorium dicitur Gloria Patri ; & resumitur tantum ultima pars Responsorij quæ asterisco notatur usque ad Versum exclusivè.

De Officio Semiduplici Minori.
VI.

Festum Semiduplex minus, sive novem Lectionum simpliciter : fit ut præcedens semiduplex majus, à quo differt tantum in quibusdam Cæremoniis in Choro, & pulsatione campanarum. Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni, cum novem Antiphonis & totidem Psalmis, Responsoriis, & Lectionibus. Et regulariter quando dicuntur tres nocturni, dicuntur novem Psalmi exceptis Dominicis in quibus fit Officium ut in Psalterio, & dicuntur decem & octo Psal. ut ibid. notatur.

Habet secundas Vesperas, nisi ob concurrentiam Festi sequentis aliter fieri debeat.

Quomodo sit ordinandum officium Semiduplex, tam majus quàm minus ; tam in Festis, quàm Dominicis ; habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.

De Dominicis. VII.

Dominicæ primæ Classis sunt sequentes. Prima Adventus ; Septuagesimæ ; Prima Quadragesimæ ; Passionis ; Palmarum ; Paschæ ; Octavæ Paschæ seu in Albis, & Pentecostes ; & in istis Dominicis duplicantur Invitatoria, Responsoria ad Matutinum & Antiphonæ ad Magnificat & ad Benedictus.

Dominicæ secundæ Classis sunt sequentes. Secunda, tertia, & quarta Adventus. Dominica Sexagesimæ ; Quinquagesimæ ; secunda, tertia, & quarta Quadragesimæ. In his Dominicis Duplicantur tantum Antiphonæ ad Benedictus & ad Magnificat non vero Invitatoria nec Responsoria. Dominicæ omnes supradictæ dicuntur majores ; quæ nunquam omittuntur quocunque Festo Duplici vel Semiduplici adveniente : quia tunc Festum transfertur ut dicetur in Rubrica de translatione Festorum. In aliis vero Dominicis per annum, fit de Dominica, quando in eis non occurrit Festum novem Lectionum ; quia tunc fit de Festo, & tunc ad Matutinum legitur nona Lectio de Homilia Dominicæ, & de ea fit commemoratio in Missa ut dicetur in Rubrica de commemorationibus. In istis Dñicis non duplicantur Añæ neque Respons.

2 De Dominicis infra Octavam Nativitatis Domini; Epiphaniæ: Ascensionis: & Corporis Christi, occurrentibus: Officium fit ut in proprio de Tempore notatur cum commemoratione Octavæ in Missa tantum. In Dominicis vero infra alias Octavas occurrentibus, totum Officium fit de Dominica, ut in Psalterio & Proprio de Tempore: & tunc nona Lectio legitur de die infra Octavam occurrente & de Octava fit commemor. in Missa. De Dominica vero occurrente in die Octava, legitur tantum nona Lectio de Homilia Dominicæ; & de ea fit commemoratio in Missa. Præterquam in die Octava Epiphaniæ; in qua nil fit de Dominica: quia ejus Officium ponitur in Sabbato præcedenti.

3 Positum est autem Officium sex Dominicarum, post Epiph. & viginti quatuor post Pentecosten: ut compleatur numerus triginta Dominicarum, quæ esse possunt ab Epiph. usque ad Septuagesimam, & à Pentecoste usque ad Adventum, ne ulla ex his Dominicis vacet quin saltem de ea legatur Homilia ad Matut. pro ix. Lect. & fiat comm. in Missa. Nam quæ aliquando supersunt post Epiph. ante Septuag. ponuntur post xxiij. à Pentec. hoc ordine.

4 Si Dominicæ post Pentec. fuerint xxv. Dominica xxiv. post Pent. erit quæ est vj. post Epiph. Si fuerint xxvj. Dominica xxiv. erit quæ est v. & xxv. quæ est vj. Si fuerint xxvij. Dominica xxiv. erit quæ est iv. & xxv. quæ est v. & xxvj. erit vj. Si fuerint xxviij. Dñica xxiv. erit iij. & xxv. erit iv. & xxvj. erit v. & xxvij. erit vj. & ultimo loco semper ponitur quæ in ordine est xxiv. post Pēt & vocatur Dominica ante Adventum. Etiamsi post Pentecosten non sint nisi xxiij. Dominicæ: tunc enim xxiv. ponitur loco xxiij. & Officium xxiij. ponitur in præcedenti Sabbato, quod non sit impeditum Festo novem Lectionum. Alioquin in alia præcedenti Feria, in qua fiat officium de Feria, & in ea leguntur tres Lectiones scilicet duæ de Scriptura occurrente & tertia de Homilia Dominicæ, ex tribus fit una; & in Laudibus loco Antiphonæ ad Benedictus de Psalt. & Orationis occurrentis, dicatur Aña ad Benedictus & Oratio ejusdem Dominicæ xxiij. Quod si tota Hebdomada impedita sit Festis novem Lectionum vel aliqua Octava, vel Festo simplici: tunc in Sabbato, pro ultima Lectione legatur Homilia Dominicæ xxiij. & fiat ex tribus una, & de ea fiat commem. in Missa, cum oratione propria. Si verò fuerit Festum simplex; prima Lectio erit de Scriptura occurrente, secunda de Festo, vel de die infra Octavam, tertia de Homilia Dominicæ xxiij.

5 Cum verò contingat interdum ut Dominica iij. vel iv. vel v. vel vj. post Epiphaniam supersit nec possit poni etiam post xxiij. à Pentecoste tunc de ea fit Officium, in Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ, vel alia præcedenti Feria, ritu in numero præcedenti annotato.

6 De Dominica ij. post Epiphaniam, quando Septuagesima venerit immediatè post Octavam Epiphaniæ, quomodo agendum sit Officium; habetur propria Rubrica ante Dñicam primam post Epiph.

7 Cum autem in proprio de Tempore dicitur aliqua Dominica esse prima mensis, in qua primo ponitur initium libri de Scriptura cum sua historià, id est cum Responsoriis: advertendum est, eam dici primam Dominicam mensis: quæ venit in Kalendis illius mensis, vel est proximior Kalendis, hoc modo. Si Kalendæ venerint in ij. iij. & iv. Feria, Dominica prima mensis erit quæ præcedit Kalendas, licet veniat in præcedenti mense: si autem Kalendæ venerint in v. & vj. Feria, vel Sabbato; prima Dominica erit quæ sequitur post ipsas Kalendas. Dominica autem prima Adventus non sumitur ea quæ est proximior Kalendis Decembris, sed Festo S. Andreæ, vel quæ venerit in ipso Festo.

8 Officium Dominicæ fit Semiduplex minus: & incipit à primis Vesperis in Sabbato, & habet totum Officium integrum, usque ad Completorium Dominicæ inclusivè. Nisi cum aliquo Duplici, aut Semiduplici concurrat; ut dicetur in Rubrica de concurrentia Officij.

9 Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni, cum Psalmis ut in psalterio; & leguntur novem Lectiones, ut in proprio de Tempore.

10 Quomodo autem sit ordinandum

-dum Officium Dominicæ, insuper & de Lectionibus, Responsoriis, & aliis, & quomodo initia librorum Scripturæ cum sua historia, sint ponenda: habentur de singulis propriæ Rubricæ.

De Officio Simplici. VIII.

FEstum simplex sive iij. Lectionum Celebratur eodem die quo cadit, nisi eodem die occurrat fieri officium novem Lectionum, aut de die infra Octavam, vel de aliquibus Feriis quibus festum simplex cedit, ut dicetur in Rubrica de Feriis.

2 Habet tantum primas Vesperas in quibus dicuntur Añæ & Psalmi Feriales Capitulum autem, Versus & Aña ad Magnificat sumuntur de proprio vel de Communi, secundum qualitatem festi. Ejus Officium terminatur ad nonã inclusive & nil amplius fit de eo.

3 Ad Matutinum. Post Invitatorium dicitur unum tantum Nocturnum cum novem Antiphonis, & totidem Psalmis; de proprio, vel de Communi, secundum qualitatem Festi: ritu, in Communi Sanctorum notato. Post versic. Sequuntur tres Lectiones cum tribus Responsoriis ut infra in Rubrica de Lectionibus habetur. Ad Laudes verò Antiphonæ de proprio vel de Communi, cum Psalmis de Laudibus Dominicæ: Tempore Paschali, sub una Antiphona Alleluyatica, dicuntur Psalmi de Laudibus Dñicæ.

4 Dicitur ad Laudes Psalmus Levavi; nisi aliter notetur in proprio. Sed semper dicitur ad Horas Psalmus De profundis cum Oratione pro Defunctis.

5 Quomodo sit ordinandum Officium simplex, ad Vesperas, Matutinum, Laudes, & Horas. Item de Añis Versic. & aliis, habentur inferius propriæ Rubricæ.

De Feriis. IX.

OFficium Feriale, hoc est simplex, de Tempore occurrenti prout in Psalterio, & Proprio de Tempore habetur: fit semper in Feriis, Adventus, Quadradragesimæ, Quatuor Temporum, &. Vigiliarum quando infra Hebdomadam non occurrit Festum Duplex, vel Semiduplex, vel de Octava; quia tunc de hujusmodi Feriis fit tantum commemoratio in Missa. Item per annum fit Officium de feria illis diebus quibus infrà Hebdomadam in Kalendario non ponitur aliquod Festum Duplex, vel Semiduplex, vel simplex, & non occurrit aliqua Octava vel Officium S. Mariæ in Sabbato vel aliquod Festum Solemne aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari, quamvis in Kalendario hujus Breviarij non sit descriptum.

2 Officium Feriæ in Adventu, Quadragesima Quatuor Temporibus, Vigiliis, ac Feria sexta post Octavam Ascensionis in quibus feriis non fit de simplici, sed commemoratio de eo tantum, incipit à Matutino. In aliis vero Feriis per annum, inde fit de Feria, ubi desivit Officium præcedentis diei inclusive: ita ut si præcedenti, die fuerit Duplex vel Semiduplex; Officium Feriæ incipiat sequenti die à Matutino. Si præcedenti die fuerit festum simplex; de Feria fit, à Vesperis illius diei præcedentis inclusivè. Similiter & quando, in Feria, iv. & vj. Quatuor Temporum Septembris, & in Feria iv. Cinerum sive in Capite jejunij, ac in Vigiliis, occurrit aliquod Festum simplex tunc præcedenti die, nisi fuerit Festum novem Lectionum, in Vesperis fit de Feria, ut in Psalterio sine magnis precibus cum Oratione Dominicæ præcedentis. Terminatur autem Officium Feriæ, subsequente aliquo festo, ad Nonã.

3 Ad Matutinum dicitur unum tantum Nocturnum cum xij. Psalmis secundum ordinem Feriarum ut in Psalterio, cum tribus Lectionibus, & totidem Responsoriis, ut in Proprio de Tempore. Excipiuntur tamen ab hoc ordinario Officij Ferialis, tres eriæ majores ante Pascha & Feriæ Octavarum Paschæ & Pentecostes, in quibus fit Officium, ut in propriis locis ponitur.

4 Quomodo ordinandum sit officium de Feria, ad Matutinum & alias Horas, item de lectionibus, Responsoriis, & quando dicendæ sunt preces, magnæ aut parvæ, Psalmi Pœnitentiales, Psalmus Levavi, & Litaniæ Sanctorum, ac de aliis quæ ad Officium Feriæ pertinent, habentur inferius propriæ Rubricæ de singulis.

De Vigiliis. X.

DE Vigilia fit Officium in omnibus Vigiliis per annum, quæ jejunantur, vel in quibus fit abstinentia

nentia carnis ; ubi in Kalendario apponitur hæc vox, Vigilia, nisi in die Vigiliæ occurrat Festum novem Lectionum : tunc enim pro ultima Lectione legitur Homilia Vigiliæ & fit commemoratio de ea in Missa.

2 Si Vigilia occurrat in Dominica, de ea fit Officium in Sabbato præcedenti, quod non sit impeditum Officio Duplici vel Semiduplici, vel aliqua Octava, quia tunc de Vigilia legitur tantum nona vel tertia Lectio, & fit de ea commemoratio in Missa ut dictum est.

Excipiuntur ab hac regula, Vigiliæ Nativitatis & Epiphaniæ Domini, quæ si venerint in Dominica fit de illis, ut in propriis Rubricis dicitur. Si autem in Vigilia occurrat Festum aliquod Solemne alicujus loci vel ex Solemnioribus infra annum quæ inferius in Rubricis de commemorationibus enumerantur, veluti si in Vigilia sancti Joannis Baptistæ venerit Festum Corporis Christi; nihil tunc prorsus nec Nona Lectio nec commemoratio in Missa fit de Vigilia. In Quadragesima, & Quatuor Temporibus de Vigilia fit tantum commem. in Missa.

3 Officium Vigiliæ incipit ad Matutinum sicut dictum est in superiori Rubrica de Feriis, terminatur autem ad Nonam, quia Vesperæ sunt de sequenti Festo.

4 Officium Vigiliæ fit totum de Feria occurrenti ut in psalterio, & tres Lectiones leguntur, videlicet duæ primæ de Scriptura occurrente tertia de Homilia Vigiliæ ut in propriis locis notatur cum tribus Responsoriis de Feria occurrente, Ordine in Rubrica de Responsoriis descripto. Ad Laudes autem & Horas dicuntur magnæ preces flexis genibus aliaque omnia sicut in Psalterio notantur, de quibus & de aliis circa ordinandum ejus Officium habetur inferius propriæ Rubricæ.

5 Excipitur ab hoc ordinario Vigiliarum quæ jejunantur, Vigilia Pentecostes quæ celebratur ut in proprio notatur, & Vigilia Nativitatis Domini, quæ Nocturno Feriæ excepto, in Laud. & Horis habet Offic. Dupl. In Vigiliis vero Epiph. & & Ascensionis, quę nō jejunantur fit Offic. ut in propriis locis notatur.

De Octavis. XI.

DE Octava fit Officium per octo dies continuos, (vel saltem commemoratio in Missa, quando aliquo Festo novem Lectionum, vel Dominica impeditur.) Fit de octava in Paschate resurrectionis ; in Ascensione Domini ; in Pentecoste; in Festo Corporis Christi ; in Festis in quibus in Kalendario apponitur Octava. Item, in Festo & Anniversario Dedicationis Ecclesiæ ; & in Festo principalis Patroni, & Titularis loci, vel Ecclesiæ ; & in Festis aliorum Sanctorum, quæ apud quasdam Ecclesias consueverunt similiter cum octavis celebrari ; nisi illa Festa venerint in Quadragesima : quo tempore omittitur Officium cujuscumque Octavæ. Quod si aliquod Festum quod celebrari solet cum octava, paulo ante Quadragesimam venerit & jam per aliquot dies factum sit officium de ejus Octava ; adveniente Quadragesima, nil amplius fit de eo. Idem servetur de Octavis nondum absolutis, quando supervenit Vigilia Pentecostes & dies 17. Decembris.

2 In Pascha Resurrectionis & Pentecoste ; Officium Octavæ celebratur, & terminatur in Sabbato sequenti ad Nonam.

3 Infra Octavas fit de Festis Duplicibus, & Semiduplicibus, occurrentibus, ac etiam translatis, cum commemoratione octavæ in Missa; nisi illa festa de quibus fit Octava sint de solemnioribus, enumeratis in Rubrica sequenti: in quibus nulla fit commemoratio de Octava : exceptis Octavis Nativitatis Domini ; Epiphaniæ : Corporis Christi : de quibus fit semper Commemoratio in Missa quocumque Festo in illis occurrente. Infra Octavas autem Paschæ & Pentecostes, non fit de Festo aliquo, etiam principali Patrono vel Titulari Ecclesiæ, aut Dedicationis ejusdē, sed transfertur post Octavam. Infra Octavam Epiphaniæ fit tantum de Dedicatione Ecclesiæ, Patrono vel Titulari ejusdem : (non tamen in die octava) cum commemor. Octavæ in Missa. De Simplicibus infra octavas quascumque occurrentibus, fit tantum commemoratio. Prætérquam in Feria ij. & iij. post Pascha & Pentecosten. De Dominicis infra Octavas occurrentibus fit Officium ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis. Si duæ Octavæ simul occurrant, ut octava S. Joannis Baptistæ, Octava Corporis

Christi : vel Octava Patroni, vel Titularis Ecclesiæ, cum alia octava; tunc quando non erunt celebranda Festa novem Lectionum, vel dies Dominicus : fit Officium de digniori cum commemoratione alterius in Missa. De die autem Octava cujuscunque Festi : fit Officium Semiduplex majus:cum commemoratione diei infra aliamOctavam in Missa tantùm. De Festis occurrentibus in die Octava; servetur quod dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.

4 Officium infra Octavas fit trium Lect. cum uno Nocturno, hoc ordine. Novem Antiphonæ, & totidem Psalmi sumuntur ex Officio Festi cum Versic. primi Nocturni: tria Responsoria ut qualibet die notantur vel per ordinem Feriarum, ex eodem Officio Festi : duæ primæ Lectiones ponuntur de Scriptura occurrente, tertia propria : vel una ex his quæ in Communi Sanctorum pro Octavis Sanctorum notatæ sunt : si nulla assignantur, dicantur tres Lectiones de Scriptura occurrente. Præterquam in Octavis Paschæ & Pentecostes in quibus dicuntur tantum tres Psalmi ad Matutinum, ut suis locis ponitur. In Laudibus dicuntur Psalmi de Laudibus Dominicæ, cum Añis ut in Proprio : & si propriæ non assignantur, sumuntur de Communi Sanctorum. In Vesperis Añæ & Psalmi de Feria occurrente, præterquam infra Octavam Corporis Christi, in quibus Vesperæ dicuntur ut in proprio notatur. Capitulum & Versiculus, ut in primis Vesperis Festi. Antiphona ad Magnificat ut in secundis Vesperis, & Oratio de Laudibus Festi, nisi aliter in proprio notetur. In die Octava Officium fit Semiduplex majus, in primis Vesperis, Añæ& Psalmi de Feria occurrente: Præterquam in Octava Corporis Christi. Capitulum, Versiculus, Aña ad Magnificat, & Processio, ut in primis Vesperis Festi. Oratio propria, nisi aliter notatur. Ad Matutinum Invitatorium, Añæ, Psalmi, Versiculi, & Responsoria, ut in die festi : nisi aliter notetur. Lectiones ut in proprio notantur. In Laudibus, horis, & secundis Vesperis, omnia ut in die festi. Exceptâ Processione, quæ fit de Officio sequenti, nisi aliter notetur. Excipiuntur ab hoc ordinario octavarum; Octavæ Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, & Corporis Christi, in quibus fit Officium ut in propriis locis notatur. Quando Dominica occurrit inOctava die : officium fit de die Octava, cum nona Lectione de Homilia Dominicæ & commemor. ejusdem Dominicæ in Missa.

De Officio S. Mariæ in Sabbato. XII.

IN omnibus Sabbatis per Annum, extra Adventum & Quadragesimam, ac nisi Quatuor Tempora, aut Vigilia occurrant : vel nisi fieri debeat de Feria, propter Officium alicujus Dominicæ, aliquando infra Hebdom. ponendum, ut in Rubric. de Dominicis dictum est; & nisi fiat Officium novem Lectionum, vel de aliquaOctava: semper fit Officiũ de S.Maria, eo modo quo fit de Festo trium Lectionum, quemadmodum circa finem Breviarij disponitur. De Festo autem trium Lectionum in Sabbato occurrente, legitur tantum pro tertia Lectione ad Matutinum Lectio propria in ejus Officio posita; & tunc prima Lectio erit de Scriptura occurrente, secunda de B.Maria : tertia de sancto : & fit de eo commemoratio in Missa.

2 Cum verò supradictis diebus non potest fieri Officium S.Mariæ: nulla etiam fit commemoratio de ea propter Sabbatum.

3 Ejus Officium in Sabbato incipit Feria vj. ad modum Festi trium Lect. & terminatur ad Nonam Sabbati. Si autem Feria Sexta occurrat Festum novem Lectionum : post Vesperas fit Processio de S.Maria, nisi illud officium novem Lect. sit de S.Maria, in qua assignetur Processio propria; quia tunc nulla alia de ea Processio facienda est.

4 Ad Matutinum Invitatorium: novem Antiphonæ & novem Psalmi : & Vers. ut in fine Breviarij disponuntur j. & ij. Lectio de Scriptura occurrente, tertia Lectio & alia omnia tam in Matutino quam in Laudibus & horis ut in Officio S.Mariæ in Sabbato assignantur.

De Commemorationibus. XIII.

COmmemorationes fiunt de festis trium Lectionum, sive per Lectionem propriam in Matutino, sive per Orationem in Missa, quando in eorum diebus incidit festum

novem

novem Lectionum, etiam translatum, vel Dominica: vel Octava: vel Sabbatum. Et quando fieri debet de feria ut ponatur Offic. alicujus Dominicæ quæ eo anno superfit.

2 De Feriis Advent. Quadragef. Quatuor Temp. ij. & iv. Rogationum fit commem. quando Festum in illis occurrit. Si festum iij. Lect. in iisdem Feriis occurrat, Officium fit de feria, & commemoratio de Festo trium Lectionum.

3 Præterea fit commemoratio de Dominicis, à Pentecoste usque ad Adventum, & ab Epiphania usque ad Septuagesimam, & à Dominica in Albis, usque ad Pentecosten exclusivè, quando Festo novem Lectionum impediuntur. De aliis Dominicis nulla fit commemoratio occurrente quocunque Festo etiam Duplici quia Festum in illis occurrens: etiamsi fuerit Festum principalis Patroni, Titularis, vel Dedicationis ipsius Ecclesiæ, transfertur in diem similiter non impeditam: dummodo non fuerit à Feria iv, majoris Hebdomadæ, inclusivè usque ad Octavam Paschæ: Et per octavam Pentecostes quibus diebus non fit de alio Festo, etiam Duplici occurr.

4 De octava quando festo novem Lectionum, vel Dominica, impeditur: fit commemoratio nisi illud festum fuerit solemne principale alicujus loci: nam nulla fit commemoratio festi simplicis etiam in Missa, illis diebus. De feriis Adventus: Quadragesimæ: Quatuor Temporum: ij. & iv. Rogationum, semper fit commemoratio quocunque festo adveniente.

5 In sequentibus festis majoribus: scilicet in Nativitate Domini: (nisi in secunda Missa in qua fit commemoratio S. Anastasiæ) in Circumcisione: in Epiphania: in Pascha Resurrectionis cum tribus antecedentibus & duobus sequentibus diebus: in Ascensione Domini: in Pentecoste, cum duobus sequentibus diebus: in Festo Trinitatis: Corporis Christi: in festis Nativitatis sanctis Joannis Baptistæ, Assumptionis B. Mariæ; festo Omnium Sanctorum; in festo Dedicationis Ecclesiæ propriæ, vel Titularis alicujus loci: nulla fit commem. Festi simplicis nec Oct.

7 Quando in Officio novem Lectionum fit commemor. de Dominica, vel de Feria quæ habet Homiliam: nona Lectio in Officio diei legitur de Homilia Dominicæ, vel Feriæ, quæ erit vel prima de Homilia, vel tres simul in una Lectione conjunctæ.

8 Si in die in quo fit Officium novem Lectionum, fiat commemoratio de Festo iij. Lectionum: tunc pro commemoratione ejusdem Festi, de eo legitur nona Lectio, si propriam habuerit. Si duas; ex duabus fiat una Lectio; quæ fit nona, in Officio novem Lectionum. Quæ Lectio de sancto non legitur, quando nona Lectio legenda est de Homilia Dominicæ, vel Feriæ, ut supra. In Feriis majoribus si occurrat festum simplex in quo ponitur Lectio propria, tunc: legitur de festo tertia Lectio, & si duas habuerit ex duabus fiat una ut supra. Et tunc duæ primæ Lectiones leguntur de Scriptura occurrente, tertia de Festo. Si verò in illa feria ponatur Homilia propria: prima Lectio erit de Scriptura occurrente secunda de Homilia feriæ: tertia de sancto. Quod si eodem die occurrat; fieri commemorationem de alio sancto: tunc si prò eo ponatur Lectio propria, omittitur eo anno, & legitur tantum ea, de cujus festo fieret Officium si non impediretur, adveniente Vigilia; si vero Vigilia, occurrat, in aliquibus feriis majoribus ut Quatuor Temporum & Quadragesimæ ubi ponitur Homilia propria, nihil fit de ea nisi in Missa; etiamsi illa Vigilia habeat Homiliam propriam. In Dominicis & Festis novem Lectionum, infra Octavam occurrentibus; nona Lectio legitur de die infra octavam occurrente, & tunc ex Lectione octava & nona de Homilia Dominicæ, vel festi, fit una lectio quæ erit octava.

De Translatione Festorum.

X I V.

SI aliquod Festum duplex occurrat in Dominicis Adventus: & in Dominicis à Septuagesima, usque ad Dominicam octavæ Paschæ seu in Albis inclusivè: in Vigilia Nativitatis Domini; in die Circumcisionis: in tota octava Epiphaniæ: in feria quarta, Cinerum; à Feria quarta majoris Hebdom. inclusive usque octavam Paschæ:

In Ascensione Domini: in diebus à Vigilia Pentecostes, usque ad festum SS. Trinitatis inclusivè; in festo Corporis Christi: & eius octava; in festo Assumptionis B. Virginis, & in festo Omnium Sanctorum, transfertur in primam diem festo Duplici vel Semiduplici non impeditam. Si verò festa Nativitatis S. Joannis Baptistæ. SS. Irenæi & sociorum ejusd. & Apost. Petri & Pauli, & festum solemne alicujus loci, quod in propria tantum Ecclesia celebratur, in die Octavæ Corporis Christi Evenerint, in ipso die octavæ celebrantur: Officium verò octavæ fit die præcedenti, scilicet feria iv. Si autem festum Nativit. S. Joannis Baptistæ venerit in die Corporis Christi: transfertur in sequentem diem, & festivatur: sequentibus autem diebus, fit de octava Corporis Christi, cum commemoratione Octavæ S. Joannis Bapt. dies autem octava sancti Joann. & SS. Petri & Pauli transfertur in feriam Sextam: quod semper servetur, quando festum habens octavam, transfertur.

2 Si in die octava alicujus festi habentis octavam, occurrat aliquod festum duplex: fiat de festo, cum commemoratione diei octavæ: excepta die octava Nativitatis Domini: & Epiphaniæ, & Ascensionis: in quibus non fit de aliquo festo, sed transfertur in primam diem, similiter non impeditam, si autem non fuerit festum duplex, fiat de octava, & festum occurrens transferatur.

3. Si aliquod festum duplex infra octavam occurrens, alio majori festo duplici impediatur: transfertur in primam diem similiter non impeditam, & in eo fit commemor. de octava.

4 Si in aliis Dominicis à supradictis, occurrat festum novem Lectionum: non transfertur, sed de eo fit Officium, cum commemoratione Dominicæ:

5 Si duo vel plura festa novem Lectionum, simul eodem die veniant, fiat officium de majori id est, Duplici, & Semiduplicia transferantur. At si omnia fuerint duplicia, vel omnia Semiduplicia: fiat de digniori vel solemniori, & quæ minoris solemnitatis sunt transferantur.

6 Si plura festa novem Lectionum, transferenda sint, prius transferatur Duplex quam semid. & inter plura duplicia: quod est magis solemne, semper prius transferatur & prius celebretur. Alioquin si sunt æqualia: unum ante aliud transferatur, eo ordine quo erant celebranda in propriis diebus.

7 Festum simplex sive iij. Lectionum nunquam transfertur: sed si de eo fieri non potest officium, fiat commemoratio de eo, si autem venerit in illis diebus in quibus de simplici nulla fit commemoratio eo anno non fit de eo amplius.

8 Si aliquod festum novem Lectionum, in quo annotatum est fieri commemorationem alicujus sancti, transferatur propter advenientem Dominicam majorem, vel aliud festum majus, non tamen transfertur cum eo commemoratio illius sancti, in illo assignata sed dicta commemoratio de eo fit die suo in Dominica, vel festo in quo fieri possit, cum nona Lectione ejusdem si propriã de sancto habuerit. Festum verò novem Lectionum transfertur, sine ulla amplius commemoratione festi simplicis prædicti. Quod etiam servatur in Commemorationibus occurrentibus in Vigiliis, cum de Vigilia veniente in Dominica fit in Sabbato præcedenti: tunc enim commemoratio festi simplicis non fit in Vigilia sed Dominica.

De Concurrentia Officii. XV.

Concurrentia Officii semper attendenda est in secundis Vesperis quomodo sit ordinandum officium cum sequenti die. Itaque cum dicitur aliquod Officium cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis, cum sequenti in primis Vesperis.

2 Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio in primis: si utraque sint ejusdem solemnitatis, regulariter Vesperæ dicuntur de præcedenti, & Processiones de sequenti, nisi aliter in propriis locis notetur. Si vero non sint ejusdem solemnitatis: servetur differentia, in Rubrica de Translatione Festorum assignata; ut scilicet festa majora habeant primas & secundas Vesperas integras; quòd in festis B. Mariæ Virginis semper servatur, ut

ut notatur in proprio: & sic quando festum majus præcedit: Vesperæ dicuntur de præcedenti: Processio verò de sequenti. Si autem festum majus & solemne sequatur: Vesperæ erunt de sequenti, & nihil de præcedenti. Inter festa æqualis solemnitatis, servetur hic ordo: ut festa Domini præferantur omnibus aliis, & habeant utrasque Vesperas integras: sicuti festa Beatæ Mariæ festis aliorum sanctorum. Item festa Angelorum aut Apostolorum, cæteris aliis: & festa illorum sanctorum qui in propriis locis, vel Ecclesiis solemniter celebrantur: aliis in Kalend. descriptis.

3 Duplici vero concurrente cum festo Semiduplici: cum die Dominica: cum die infra octavam: cum officio B. Mariæ in Sabbato, cum festo Simplici: Vesperæ de præcedenti, Processio de sequenti: nisi in proprio aliter notetur.

4 Semiduplici Festo: Dominica: & die octava concurrentibus cum sequenti duplici: omnia de duplici & nihil amplius de Semiduplici. Item Semiduplici concurr. cum sequente Dominica I. Claſſ. Vesp. de sequenti & nihil de præcedenti. Item Semiduplici majori concurrente cum sequent. alio semiduplici minori, Dominica per annum, vel cum die infra oct. vel cum simplici: Vesperæ de præcedenti Process. de sequenti. Item semiduplici minori, concurrente cum sequente alio semiduplici majori: Vesperæ de sequenti & nil amplius de præcedenti. Concurrente vero cum alio Semiduplici minore, vel Dominica per annum sequentibus: Vesperæ de præcedenti, Processio de sequenti.

5 Dominica per Annum concur. cū seq. festo semid. maj vel min. Vesp. de seq. nil de præced. Nisi sit Dom. I. Claſſ. tūc enim dic. Vesp. de præced. proc. de seq. Dominica cōcurrente cum festo simplici, Vesperæ de de Dominica Processio de sequenti.

6 Die infra octavam concurrente cum sequente Dominica, vel semiduplici, omnia de sequenti nil de præcedenti. Dies infra octavam cum simplici propriè non habet concursum, quia in sequenti die infra octavam, non fit de simplici sed tantum commemoratio.

7 Die octava concurrente cum alia die octava totum de præcedenti Processio de sequenti. Item die octava concurrente cum sequenti duplici etiam translato totum de sequenti nil de præcedenti. Concurrente vero cum sequente semiduplici totum de præcedenti, Processio de seqūēti. Excepta die Octavæ Paschæ, in qua fit tantum Processio de festo sequenti, nisi fuerit duplex majus; tunc enim fit totum de sequenti, nil de præcedenti.

8 Simplex cum alio non potest concurrere in secundis Vesperis, licet cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis: sed ejus officium terminatur ad Nonam, & deinceps nil fit de eo. Si sequatur aliud simplex ad Vesperas, Psalmi erunt de feria occurrente ut in Psalterio, Capit. autem Versus & Aña. ad Magnificat de proprio vel de Communi, secundum qualitatem festi de quo fit officium die sequenti: & nil fit de præcedenti. Si nullum festum sequatur, sub intrat officium de Tempore, & Vesperæ integræ erunt de feria.

9 Feria non potest concurrere cum alio Officio in secundis Vesperis, neque cum ipsa potest esse concursus in primis Vesperis: quia ejus officium incipit & desinit, ubi desinit & incipit quodcunque aliud Officium. Et ideo si feria sequatur aliam feriam, in Vesperis præcedentis feriæ nil fit de sequenti, quoad ea quæ in sequenti feria sunt propria. Verbi gratia, si in Vesperis feriæ tertiæ, ante feriam quartam Cinerum fiat de feria, dicitur Oratio Dominicæ præcedentis, non autem ea quæ est propria in sequenti feria Cinerum: nec ante Orationem dicuntur eædem preces, quæ dicendæ sunt in dicta feria quarta Cinerum. Quod etiam fit, quando feria per Annum præcedit feriam iv. Temporum, vel Vigiliarum: Hac etiam ratione, superius dictum est in concurrentia aliorum officiorum: cum feria nullum officium concurrere, & nil fieri de feria præcedenti, adveniente alio Officio.

10 Cum vero occurrit, ut festum simplex veniat in Feria iv. & vi. Quatuor Temporum in Feria iv. Cinerum sive in capite jejunii & in Vigiliis quæ jejunantur. Vesperæ antecedentes (nisi ea die celebratum sit Festum novem Lectionum) erunt de feria Communi per

annum, non autem de sequenti ut dictum est: quod ideò non fit, quia sequens feria habeat primas Vesperas: sed quia cum festum simplex in sequenti die non habeat Officium propter feriam prædictam in ea occurrentem: nec etiam convenit illud habere primas Vesperas in præcedenti die.

De ordinando Officio ex præd. Rubricis. XVI.

SI quis velit ex supra dictis Rubricis ordinare Officium occurrentis diei; videat in Kalendario, & in Tabula festorum mobilium, de quo fiat officium sequenti die: & cum invenerit esse faciendum, sic ordinabit illud in Vesperis & aliis Horis Nocturnis & Diurnis.

2 Si ordinandum sit officium de Tempore, id est, de Dominica vel feria: recurrendum est semper ad Psalterium ubi ordinate ponitur quod est Commune Officii de Tempore, cum distributione Psalmorum: & ad Proprium de Tempore, ubi Lectiones & Responsoria, quædam Antiphonæ, & Orationes ponuntur, quæ desunt in Psalterio. Invitatorium, Capitula & Versic. Responsoria ad Horas, Antiphonæ & Hymni ad Completorium quæ diversis Temporibus ponuntur in proprio, dicuntur loco eorum quæ sunt in Psalterio: cum verò propria non fuerint, dicuntur ut in Psalterio.

3 Si Officium ordinandum sit de Sancto, recurrendum est semper ad Commune Sanctorum: (nisi Proprium habeat in Proprio Sanctorum.) ubi pro qualitate festi, si novem Lectionum id est, Duplex vel Semiduplex fuerit, omnia ordinate ponuntur, illis, exceptis quæ propria suis locis habentur. Si festum fuerit trium Lectionum, omnia sumuntur de eodem Communi ut supra notatum est in Rubrica de festo simplici, tres Lectiones, primi Nocturni, in Officio novem Lectionum: & prima & secunda Lectio in Officio iij. Lectionum, sumuntur de Scriptura occurrente in Officio de Tempore nisi aliæ in propriis locis ponantur.

4 In majoribus Solemnitatibus & festis per Annum totum Officium ordinatur ut in propriis locis ponitur.

5 In festis B. Mariæ, omissis iis quæ propria habentur, novem Psalmi & alia quædam; requirenda sunt ex Communi ejus officio parvo, circa finem Breviarij.

6 Modus inchoandi officium, dicendi Invitatorium, Antiphonas, Versus, & Hymnos ad Completorium habetur in principio, & in fine Psalterij. Cum vero Antiphonæ, ad Cantica Benedictus & Magnificat (& hoc in Officio Duplici) majori, duplicandæ sunt; Dicuntur bis integræ, in fine dictorum Canticorum tantum, aliæ verò Antiphonæ, ad Nocturnos, Laudes, & Vesperas, nunquam duplicantur.

7 Modus dicendi deprecationes & Benedictiones ante Lectiones, legendi & terminandi Lectiones: dicendi Responsoria post Lectiones, habetur in Dominica prima Adventus. Item modus dicendi Responsoria ad Horas, post Capitula; habetur in Psalterio.

8 Quomodo sit inchoandum & terminandum Officium per Horas habetur in Psalterio. Quomodo terminandum per Antiphonas beatæ Mariæ, habetur in fine Complet.

9 Sed ut hæc omnia facilius habeantur, positæ sunt sequentes Rubricæ de singulis Horis earumque partibus distinctè cognoscendis.

De Matutino. XVII.

AD Matutinum hæc per ordinem regulariter dicuntur secundum diversitatem Officij, nisi aliter in quibusdam diebus annotetur. Pater noster. Ave Maria, & Vers. Sancti Spiritus adsit nobis gratia. ℟. Amen. Omnia secretò. Deinde clara voce Hebdomadarius dicit. ℣. Domine labia mea aperies, pollice signando sibi os signo crucis. Deinde paulo altiori voce. ℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. Manu extensa signando se signo Crucis à fronte ad pectus, & à sinistro humero ad dextrum, quod servatur in principio omnium horarum cum dicitur ℣. Deus in adjutorium. Cum Gloria Patri, &c. ut in principio Psalterij. Deinde dicitur Invitatorium conveniens officio de Tempore, vel sancto, quod dicitur cum Psalmo Venite exultemus. eo modo quo in principio Psalterij describitur.

2 Dicto Psalmo Venite, in duplicibus, & semiduplicibus, dicuntur novem Psalmi (sed in Dominicis plures ut in Psalterio) cum suis Antiphonis & Versiculis quæ

Tempori

Tempori vel feſtó conveniunt & totidem Lectiones, cum totidem Reſponſoriis, ut ſuis locis ponitur per tres Nocturnos diſtinctos hoc modo.

3. In primo Nocturno dicuntur tres Pſalmi cum tribus Antiphonis poſt ſingulos Pſalmos una Aña, & in fine Pſalmi poſt ultimam Antiphonam cuiuſque Nocturni dicitur Verſiculus, poſtea Pater noſter ſecreto, Et ne nos. Deprecatio. Exurge Domine. Suſcipe deprecationem. Benedictio. Adjutor, & aliæ ad ſingulas Lectiones ut in prima Dominica de Adventu & ante Pſalterium ordinantur. Deinde leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ per ordinem in Officio de Tempore occurrunt niſi aliæ aſſignentur, & poſt ſingulas Lectiones dicitur unum Reſponſorium conveniens Officio. Si de Tempore ut in Proprio de Tempore. Si de ſancto, ut in Proprio Sanctorum; alioquin ut in Communi: etiamſi Lectiones primi Nocturni ſint de Scriptura Officij de Tempore.

4 In fine ultimi Reſponſorij cujuſque Nocturni, dicitur Gloria Patri, cum repetitione partis Reſponſorii, ut inferius dicitur in Rubrica de Reſponſoriis. Quando autem repetenda ſit pars Reſponſorij, vel integrum Reſponſorium; notatur in propriis locis.

5 In ſecundo Nocturno dicuntur alij tres Pſalmi, Antiphonæ, Verſiculus, Pater noſter: Deprecatio, Oſtende nobis. Benedictio. Deus Dei Filius, & aliæ ſequentes, ut in dicta Dominica prima de Adventu & ante Pſalterium. Tres Lectiones de aliquo Sermone SS. Patrum aut de vita illius Sancti de de quo ſit Officium, & poſt quamlibet Lectionem unum Reſponſ.

6 In tertio Nocturno alij tres Pſalmi cum Antiphonis ut ſupra poſt Tertiam Antiphonam Verſic. Pater noſter. Deprecatio. Adjutorium noſtrum. Benedictio. Redemptor, & ſequentes ad ſingulas Lectiones quæ erunt de Hom. Evangelij; de Tempore vel de Feſto, ſecundum qualitatem Officij. Poſt quamlibet Lectionem dicitur unum Reſponſorium, & poſt ultimum id eſt nonum Reſponſorium, dicitur Hymnus Te Deum laudamus; quando dici debet ut infra in Rubrica propria. Quando verò non dicitur Te Deum laudamus, in fine noni Reſponſorij dicitur Verſ. Gloria Patri. cum repetitione partis Reſponſorij quæ Aſteriſco * notatur.

7 In Officio trium Lectionum ad Matutinum. Pater noſter. Ave Maria. Sancti Spiritus. Domine labia, &c. Invitatorium in feriali Officio ſi non ſit in proprio de Tēpore dicitur ut in Pſalterio. Deinde dicitur Nocturnus feriæ, ut in Pſalterio id eſt xii. Pſalmi cum ſex Antiphonis, & Tempore Paſchali cum una Antiphona alleluia.

8 In feſtis autem Simplicibus & diebus infra Octavas dicitur etiam unum Nocturnum tantum, cum novem Pſalmis & totidem Antiphonis, de Communi illius Sancti de quo ſit Officium vel de feſto cujus celebratur Octava.

9 Poſt Pſalmos & Antiphonas dicitur Verſiculus, in feriali Officio, ut in Pſalterio; in feſtis; ut in Communi Sanctorum; vel ex die feſti qui ℣. ſemper deſumitur ex primo Nocturno, ut dicetur infra in Rubrica de Verſiculis & Reſponſoriis. Poſt Verſiculum dicitur Pater noſter. Deprecatio, & Benedictiones ut habetur infra in Rubrica de Deprecationibus & Benedictionibus. Tres Lectiones, ſi non adſit Homilia, dicuntur de Scriptura quæ eo die occurrit in Proprio de Tempore: ſi adſit Homilia; duæ primæ leguntur de Scriptura; & tertia de Homilia niſi aliter notetur. In feſtis, prima & ſecunda de Scriptura, tertia de Sancto. Si fuerint duæ Lectiones de Sancto, prima tantum erit de Scriptura reliquæ de ſancto.

10. Poſt ſingulas Lectiones in feriis dicitur unum Reſponſorium, ita ut dicantur tria Reſponſoria; in fine ultimi ℟. dicitur Gloria Patri. cum repetitione partis Reſponſorii quæ Aſteriſco * ſignatur: quæ Reſponſoria in Officio de ſanctis, ſumuntur ex Communi Sanctorum: in diebus infra Octavas ſumuntur ex die feſti: & diſtribuuntur ſecundum ordinem Feriarum, ut dicetur in Rubrica de Reſponſoriis: ſumuntur etiam ex Proprio ſi ibidem ponantur propria. In feriali Officio ſumuntur ex Dominicis, quando propria per ferias non diſtribuuntur, ordine infra deſcripto in Rubrica de Reſponſoriis.

De Versu Sacerdotali. XVIII.

Dicto Hymno Te Deum, quando dicitur: & quando non dicitur post ultimum Responsorium, sive novem sive tria dicantur: à Sacerdote Hebdomadario dicitur semper Versus. Exultabunt sancti in gloria, & ℟. Lætabuntur in cubilibus. (Qui propterea Versus Sacerdotalis nominatur) & dicitur in omni Officio, præterquam in triduo ante Pascha & in Officio Defunctorum.

De Laudibus. XIX.

Ad Laudes dicto Versu Sacerdotali. Exultabunt sancti, absolute dicitur cum signo Crucis. ℣. Deus in adjutorium, &c. ut suprà. Et dicuntur Psalmi, & Canticum. Benedicite, vel aliud ut habetur in feriali Officio, extra tempus Paschale, cum Añis Officio convenientibus, qui Psalmi & Canticum in Dominicis per annum (exceptis Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusivè (& in feriali Officio Temporis Paschalis, ac in festis tam novem quam trium Lectionum, dicuntur de Dominica ut in Psalterio. In prædictis vero Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusivè, dicuntur ut suis locis ponitur. In feriali Officio per annum, extra tempus Paschale, dicuntur ut in Psalterio.

2 Antiphonæ in Dominicis, quando propriæ non assignantur, dicuntur ut in Psalterio. In festis novem & trium Lectionum: si non adsint propriæ, dicuntur de Communi. In Dominicis verò, & feriis temporis Paschalis, Psalmi de Laudibus dicuntur, sub una Antiphona, Alleluia, ut in propriis locis notatur.

3 In festis novem Lectionum extra tempus Paschale, dicuntur quinque Antiphonæ ad Laudes (tempore autem Paschali sub una Antiphona, dicuntur Psalmi de Laudibus quod fit etiam in festis Simplicibus & diebus infra Octavas, in prædicto tempore Paschali nisi aliter notetur in proprio) quæ Antiphonæ sumuntur de Communi, si propriæ non adsint. Post Psalmos dicitur Capitulum, Versiculus Aña ad Canticum Benedictus, cum eodem Cantico & Oratio. Omnia pro qualitate Officij, de Tempore vel de festo.

4 Preces quando dicendæ sunt, dicuntur ante primam Orationem, de quibus in propriis Rubricis. Dicitur ante Orationem Dominus vobiscum & Oremus; post Orationem repetitur, Dominus vobiscum Deinde Benedicamus Domino. Et sic terminantur Laudes, nisi fieri debeat aliqua Processio: vel dicendus sit Psalmus pœnitentialis; vel Psalmus Levavi, aut Litania de quibus infra.

De Prima. XX.

Ad primam Pater noster, & Ave Maria Secretò. Sancti Spiritus. ℣. Deus in adjutorium. Deinde absolutè sine Aña inchoantur Psalmi, qui in Dominicis & feriis dicuntur ut in Psalterio. In festis autem & feriis tempore Paschali. Tres Psalmi tantum dicuntur, ut ibidem annotatur.

2 Post Psalmos, & Symbolum fidei quando dicitur; dicto semel alleluia, vel laus tibi Domine pro temporis diversitate, dicitur ℣. Exurge Domine, cum precibus sequentibus ut in Psalterio. In feriali Officio quando dictæ sunt magnæ preces ad Laudes, adduntur aliæ preces ut ibidem in Psalterio.

3 Post orationem Primæ dicto Benedicamus: In choro legitur Martyrologium. Deinde ℣. Pretiosa cum reliquis. Quæ etiam dicuntur ab iis qui etiam extra chorum non legerint martyrologium. In fine verò, pro Defunctis dicitur, in Dominicis & festis novem Lectionum, & per Octavas Paschæ, Pentecostes, & Corporis Christi. Secretò. ℣. Fidelium animæ. Quando verò non fit de festo novem Lectionum in fine primæ semper dicitur. Pro Defunctis ℣. Requiem æternam. Psalm. Deprofundis, cum ℣. & oratione ut in fine Horarum notatur.

De Horis Tertia, Sexta, & Nona. XXI.

Ad Tertiam, Sextam, & Nonam, secretò Pater noster, & Ave Maria. Sancti Spiritus. Deinde ℣. Deus in adjutorium. & Psalmi sine Aña, ut in Psalterio. Quibus finitis dicitur Alleluia, vel Laus tibi Domine. Post hæc dicitur Capitulum pro qualitate temporis vel Officii nisi in triduo ante Pascha tunc enim omittitur Laus tibi & Capitulum. Post Capitulum dicitur: Responsorium cum suo Versu pro qualitate Officij. Quæ in Dominicis

&

& feriis quando non habentur propria in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio. In festis; si in Proprio Sanctorum non sint propria, sumuntur de Communi. Post Responsorium dicitur Versiculus, Deinde (nisi dicendæ sint preces) Dominus vobiscum, & Oratio quæ habetur in Proprio de Tempore: si autem fit de Sancto: ut in Proprio Sanctorum: alioquin ut in Communi.

2 Post Orationem, repetitur Dominus vobiscum. Et dicitur Benedicamus Domino; Deinde Psalmus Pœnitentialis, si dicendus sit. In fine secretò ℣. Fidelium animæ. In Officio novem Lectionum: vel, si non sit Officium novem Lect. Requiem æternam cum Psalm. De profundis ℣. & Oratione. Finita nona quando ibi terminatur Officium, dicitur secretò Aña Beatæ Virginis, quæ occurrerit ut notatur post Completorium.

De Vesperis. XXII.

AD Vesperas Pater noster, Ave Maria. Sancti Spir. ℣. Deus in adjutor. Deinde dicũtur quinq; Psalmi cũ quinque Añis ut in Psalterio nisi propriæ Antiphonæ & Psalmi assignentur in propriis locis. Tempore Quadragesimæ quando Vesperæ dicuntur ante comestionem, in Choro immediate post Missam absolute incipiuntur à Celebrante in medio Altaris dicendo. Deus in adjutorium, interim genuflectitur in Choro.

2 Post Psalmos & Antiphonas dicitur Capitulum, Versiculus, Aña ad Magnificat, cum eodem Cantico, & Oratio: omnia de Tempore vel de Sancto, secundum qualitatem Officij.

3 Preces quando dicendæ sunt, dicuntur ante Orationem, Psalmus vero Pœnitentialis cum ℣. & Oratione, quando dicendus est dicitur post ℣. Benedicamus Domino. Eodem modo terminantur Vesperæ ac Laudes ut supra dictum est. De Processionibus quæ fiunt post Vesperas, dicetur infra in Rubrica de Processionibus. Notandum quod Officium cujuslibet diei, fere semper incipit in Vesperis diei præcedentis.

De Completorio. XXIII.

AD Completorium secreto Pater noster, Ave Maria, sancti Spiritus. Deinde ℣. Converte nos. ℣. Deus in adjutorium, Psalmi sine Aña. Et in fine Psalmorum Alleluia, vel Laus tibi Domine, nisi in triduo ante Pascha. Postea dicitur Hymnus Tempori vel festo conveniens. ℣. Custodi me. Aña & Canticum Nunc dimittis Deinde preces, post quas dicitur in festis novem Lectionum Oratio Deus qui illuminas: vel in aliis & in feriali Officio Oratio Illumina, cum Benedictione & Psalmo Pœnitentiali si dicendus sit, nisi in triduo ante Pascha, tunc enim omittuntur, Hymnus, Versic. Custodi. Canticum Nunc dimittis & reliquæ preces, Oratio & Benedictio & Psalmus Pœnitentialis, ut ibidem notatur. In fine vero dicitur Fidelium animæ. Scilicet in Officio novem Lectionum, in aliis vero. Requiem æternam Cum Psalmo De profundis & Oratione ut ibidem notatur. Deinde Antiphona beatæ Mariæ quæ occurrerit cum ℣. & Oratione.

De Invitatorio. XXIV.

INvitatorium semper dicitur ad Matutinum cum Psalmo Venite exultemus, & Gloria Patri in fine, ordine in principio Psalterij descripto, hoc est bis ante Psalmum, & semel post quemlibet Versum Psalmi, & semel post Gloria Patri. Ubicumque autem in fine Invitatorij apponitur hæc vox Duplicatur, tunc etiam bis dicitur post Gloria Patri. Variatur autem pro Officij qualitate ut in Psalterio & Proprio de Tempore, ac in Proprio & Communi Sanctorum.

2 Non dicitur in Festo Epiphaniæ Domini, nec in ejus die octava nec triduo ante Pascha, ut suis locis notatur.

3 A Dominica de Passione inclusive usque ad fer. v. in Cœna Domini, Omittitur ℣. Gloria Patri. In fine Psalmi Venite, nisi in Festis novem Lectionum infra illud tempus evenientibus.

De Antiphonis. XXV.

AD Matutinum, Laudes & Vesperas semper cum Psalmis dicuntur Añæ, vel una vel plures pro diversitate Officij, excepto primo Nocturno Dominicæ, in quo Psalmi dicuntur sine Antiphona, sed tantum in fine ipsorum dicitur semel Alleluia, vel Laus tibi Domine, quod fit similiter ad Horas & ad Completorium.

2 Si de Tempore fiat Officium,

id est de Dominica & feria, dicuntur Añæ ut in Psalterio, quæ cum Psalmis positæ, in Nocturnis, Laudibus & Vesp. Dominicæ ac feriarum, nunquam mutantur nisi Tempore Paschali, in quo dicitur tantum in Officio feriali ad Nocturnum, & ad Laudes unica Aña Alleluia. Similiter & in Laudibus festorum & Dominicarum tempore Paschali; quæ dicuntur sub una Aña alleluia, nisi aliter notetur. Excepto etiam tempore Adventus in quo singulis Dominicis sicut & Dominicis Septuagesimæ usque ad Pascha ad Laudes mutantur Añæ pro diversitate Temporum ut in Proprio de Tempore habentur. Aliis temporibus, cũ nõ assignantur propriæ semper dicuntur quæ positæ sunt in Psalterio,

3 Antiphonæ quæ in Proprio de Tempore in Sabbatis ponuntur ad Magnificat pro prima Dominica alicujus mensis, sumendæ sunt ex ea Dominica quæ est proximior Kalendis, vel est in Kalendis illius mensis ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis, ac etiam in Rubrica mensis Augusti. Et semper in Sabbato ponitur Aña ad Magnificat, quæ contigua est libro Scripturæ in Dominica ponendo.

4 In Festis Duplicibus ad Vesperas dicuntur Añæ de Laudibus nisi propriæ in Vesperis assignentur. In aliis vero dicuntur Antiphonæ de Psalterio.

5 Tempore Paschali in fine omnium Antiphonarum additur Alleluia quando in illis non habetur. A Septuagesima vero usque ad Pascha. Ubi habetur Alleluia omittitur, neque aliud ejus loco dicitur.

6 In omni Officio tam Duplici, Semiduplici, quam Simplici, & in Dominicis & feriis, Añæ inchoantur tantum ante Psalmos & post Psalmos integræ dicuntur. Nisi aliter in proprio notetur, & quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi, & incipit sicut Psalmus, tunc post inceptam Antiphonam non repetitur principium Psalmi. Sed continuatur Psalmus ab eo loco ubi desierit inchoata Antiphona, in Offic. autem Dupl. Añæ ad Ben. & Magn. duplic. & nunquam duplicantur nisi ad Bened. & ad Magnificat, quæ veró dicuntur ad ij. Magn. vel Ben. nunquam dupl.

7 Antiphonæ quædam dicuntur Alleluiaticæ; quia in his dicitur tantum modo alleluia, pluries repetitum, iuxta modulationem cantus: quam habent illæ Añæ; ad quarum imitationem compositæ sunt; & secundum prolixitatem vel brevitatem earum. Et ideo post alleluia, ponitur in Rubrica initium Añæ ad cujus modulum cantari debeat in Choro.

8 Sunt etiam quædam Añæ majores, quæ septies repetuntur ad Magnificat, quando autem dicuntur in Choro dividuntur in tres partes asteriscis notatas. Prima pars dicitur à primo Choro post primum Versum & à secundo post secundum. Secunda pars, à primo Choro post tertium versum & à secundo post quartum. Tertia pars à primo Choro post quintum Versum, & à secundo post Sextum. Post Versum autem Deposuit, repetitur alternatim, tota Aña per partes. Ac post ℣. Esurientes similiter; & post ℣. Suscepit. Denique post ℣. Gloria Patri Duplicatur alternatim. Extra chorum vero bis dicitur integra ante Psalmum Magnificat, & post Versum deposuit, repetitur tota Aña: Deinde cætera ut supra, & sic septies dicuntur istæ Añæ. Hoc modo cantantur ubique Añæ majores ante Nativitatem Domini quæ incipiunt per O. In quibusdam vero festis ut Epiphaniæ Ascensionis, &c. Sunt quædam aliæ in tres partes asteriscis divisæ quæ non septies repetuntur (nisi ad libitũ) sed tantum post ℣. Gloria Patri. Dupl. & alternatim bis dicuntur per partes asteriscis distinctas.

9 Sunt postremo quædam Añæ Versiculos habentes & tunc Versiculus ille dicitur in eodem tono Psalmi, post versum Gloria Patri antequam resumatur Antiphona. Antiphonæ autem illæ nunquam Duplicantur.

10 Antiphonis propriis tam in Officio de Tempore quam de sanctis semper cedunt quæ habentur in Psalterio & in Cõmuni Sanctorum.

11. Antiphonæ sanctæ Mariæ positæ in fine Completorij dicuntur ut inferius in propria Rubrica ponitur.

De Psalmis. XXVI.

PSalmi in Officio de Tempore, per omnes Horas, in Dominicis, & feriis dicuntur eo modo quo

distributi

distributi sunt in Psalterio, nisi aliquando aliter in Proprio de Tempore notetur. In festis autem dicuntur ut in propriis locis signantur, alioquin ut in Communi Sanctorum.

2 Psalmi ad Laudes de Dominica, cum Cantico *benedicite* dicuntur in omnibus festis per annum & in fer. Temporis Paschalis, (ac etiam in aliquibus diebus, in Proprio de Tempore) nisi aliter notetur.

3 Psalmus *Confitemini*, dicitur ad Primam, cum aliis psalmis in Psalterio assignatis, in omnibus Dominicis (quando Officium fit de Dominica ut in Psalterio; etiam in Dominicis occurrentibus infra Octavas Sanctorum & Dedicationis Ecclesiæ) à tertia Dominica post Pentecosten inclusive usque ad Vigiliam Nativitatis Domini exclusive; & à secunda Dominica post Epiphaniam inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive. A Septuagesima autem usque ad Pascha, ejus loco dicitur Psalmus *Dominus regnavit*, quia Psalmus *Confitemini* tunc dicitur ad Laudes post Psalmum *Miserere*, ut suo loco ponitur. In Dominicis vero Temporis Paschalis, à Dominica Octavæ Paschæ sive in Albis inclusive, usque ad Ascensionem exclusive; dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis, addito Symbolo S. Athanasij. *Quicumque*. Alij Psalmi per singulas Ferias distributi ad Primam dicuntur singuli, loco Psalmi *Confitemini*, in feriali tantum Officio, quando de Feria agitur, extra tempus Paschale, in Feriis vero Temporis Paschalis, in Festis per annum, & in Sabbato, sive de sancta Maria, sive de Feria fiat Officium, dicuntur tantum tres Psalmi, scilicet *Deus in nomine tuo. Beati immaculati*. & *Retribue*. Etiam si Festum novem Lect. celebretur in Dominica.

4 In Dominicis autem quando Officium fit de Dominica ut in Psalterio. Post Psalmum additur semper Symbolum sancti Athanasij. *Quicumque*. ut infra in propria Rubrica dicitur.

5 Psalmi Horarum, scilicet ad Tertiam, Sextam, & Nonam & ad Completorium, numquam mutantur ut in Psalterio sive de Tempore, sive de sanctis fiat Officium.

6 Ad Vesperas Psalmi dicuntur ut in Psalterio in Dominicis & Festis, Semiduplicibus & Simplicibus, sed in Duplicibus Psalmi Proprii ponuntur, & ut plurimum de Dominica, excepto ultimo qui mutatur: cum vero aliter fieri debet suis locis notatur.

7 In fine Psalmorum quando officium fit de Tempore ut in Psalterio, non dicitur Gloria Patri, nisi quando notatur in suis locis. Quando autem fit Officium de Festis vel de Sanctis. ℣. Gloria Patri dicitur in fine uniuscujusque Psalmi. Ad Laudes. ℣. Gloria Patri dicitur ut notatur in Psalterio. Ad Horas & Vesperas & Completorium dicitur, in fine cujusque Psalmi & Cantici, non dicitur in triduo ante Pascha. Nec in Officio Defunct. cujus loco in fine tantummodo Canticorum, Benedictus & Magnificat, dicitur Requiem æternam dona eis Domine. Etiam si fiat Officium pro uno tantum.

8 Antiqua in Versiculis Psalmorum interpunctio secundum usum Lugdunensem, servata est, & Asteriscis, signata, qui pausam & variationem cantus notant in Choro. Similiter virgulæ ex antiquo psallendi ritu Lugdunensi, hinc inde apposita sunt. Quibus non tam sensus, quam minor quædam pausa in Cantu notatur, ut omnes graviter & uniformiter psallant.

9 Ut distinguantur quidam Psalmi qui iisdem verbis incipiunt. Quando primus in ordine Psalterij dicendus est, tunc post ipsum psalmum ponitur hic numerus j. quando vero secundus est dicendus ponitur numerus ij.

De Canticis. XXVII.

Cantica dicuntur in Officio de Tempore tam in Dominicis quam Feriis ad Laudes, Vesperas, & Completorium, ut in Psalterio distribuuntur.

2. In omnibus Festis & Tempore Paschali ad Laudes semper dicitur Canticum Benedicite, ut in Dominica; & in fine ejus non dicitur Gloria Patri sicut in aliis Canticis dicitur, nec respondetur. Amen. Alia Cantica ferialia ut in Psalterio ad Laudes non dicuntur, nisi quando fit Officium de Feria extra Tempus Paschale.

3 Cantica Benedictus, Magnificat & Nunc dimittis, semper dicuntur

tur suo loco ut in Psalterio.

De Versiculis. XXVIII.

Versiculi semper dicuntur ad Matutinum, post ultimum, Psalm. & Antiphonam Nocturnorum sive in Officio dicantur tres Nocturni sive unus. Ad Laudes & Vesperas Versic. dicitur post Capitulum. Ad Horas Tertiam, Sextam & Nonam dicitur post Responsorium ut in Proprio & Communi notatur. Ad Completorium dicitur post Hymnum.

2 In Pascha Resurrectionis & per Octavam usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive ad Horas Tertiam Sextam & Nonam non dicitur Versic. ut ibidem.

3 Versibus prædictis Tempore Paschali semper additur ter alleluia in fine secundi Versiculi non vero primi. non additur vero in Versiculis precum, nec in Versibus primæ & Completorij, neque in Versic. Responsoriorum Matutini.

4 In Officio festi Simplicis, vel diei infra Octavam, post novem Psalmos & novem Antiphonas de Communi vel de Proprio illius sancti vel Octavæ, dicitur Versiculus de eodem Communi vel de die Festi, qui semper est Versiculus primi Nocturni.

5 Versiculi positi in Psalterio ad Laudes & Vesperas semper dicuntur, quando alij proprij non assignantur in Proprio de Tempore.

6 Versus Sacerdotalis dicitur ut habetur supra in propria Rubrica.

De Deprecationibus & Benedictionibus ante Lectiones.
XXIX.

Deprecationes & Benedictiones dicuntur per ordinem in Officio novem Lect. ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu, & ante Psalterium ponuntur. Scilicet post Versicul. Dicto Pater noster. secretò. Et ne nos, &c. dicuntur Deprecationes & Benedictiones ut ibidem notantur. Præterquam in Officio Matutino tridui ante Pascha, & in Officio Defunct. in quibus Deprecationes & Benedictiones non dicuntur.

2 Si fiat Officium trium Lectionum. Deprecatio sumitur semper è primo Nocturno, sed Benedictiones primi Nocturni dicuntur secunda & quinta Feria; secundi Nocturni Tertia & Sexta Feria; Tertij Nocturni quarta Feria & Sabbato. Omissa ultima Benedictione cujus loco dicitur, Trinitas sancta, ut in eadem prima Dominica de Adventu ponitur.

De Lectionibus. XXX.

Lectiones leguntur ad Matutinum, dictis Psalmis Nocturni cum Antiphonis & Versiculis, Deprecationibus quoque & Benedictionibus ut supra. In Duplicibus & Semiduplicibus dicuntur novem Lect. id est in quolibet Nocturno tres, præter quàm Tempore Paschali; in Feriis vero & Festis simplicibus leguntur tantum tres Lect.

2 In Officio novem Lectionum dicuntur hoc modo. In primo Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ quando suis locis propriæ aut de Communi Sanctorum non assignantur, semper leguntur ut in Officio de Tempore, quæ sua quæque die occurrunt legendæ. In secundo Nocturno si fit de sancto, tres Lect. leguntur de vita sancti, vel de aliquo Sermone aut Tractatu qui ei convenit; quæ si non adsint propriæ, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam Communi completur numerus trium Lectionum, quando Officium fit novem Lect. de aliquo sancto, qui habet unam tantum vel duas Lectiones proprias. Si fit de Dominica vel de alio officio novem Lect. per annum, etiam de die Octava; leguntur tres Lectiones de Sermone aut Tractatu qui in illis ponitur. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium posita in proprio aut ex Communi assignatæ, & primæ Lectioni de Homilia semper præponitur principium Evangelij de quo est Homilia etiam in diebus Oct. Excipiuntur ab hoc ordine Lectionum Officia matutina tridui ante Pascha, & Defunct. ut in suis locis ponitur.

3 Si in Officio novem Lect. contingat fieri commemorationem de aliquo sancto qui propriam habet Lectionem, nona Lectio legitur de sancto; si habuerit duas Lectiones ex duabus fiat una Lectio. Omissa nona Lect. in dicto Officio novem Lect. vel octavæ Lectioni adjuncta. Quod si eodem die occurrat Dominica vel feria quæ habeat Homiliam, nona Lectio sancti omittitur, & ejus loco dicitur Homilia Dominicæ vel Feriæ, scilicet vel

prima Lectio de Homilia vel tres simul in unam Lect. conjunctæ.

4 In Officio trium Lect. si fit de Feria tres Lectiones leguntur de Scriptura, nisi tres sint de Homilia quia tunc de Homilia leguntur si fit de sancto qui habeat tres Lectiones, prima tantum erit de Scriptura ut vel legatur una vel ex tribus simul junctis fiat una; secunda & tertia de sancto. Si unam tantum habuerit propriam, vel ex Communi assignatam, prima & secunda erunt de Scriptura, tertia de sancto. Quod etiam servatur in Officio beatæ Mariæ in Sabbato.

5 Lect. autem de Scriptura in Officio de Temp. sic distributæ sunt per annum ut quotidie aliquid ex ea legatur etiam in Officio de Sanctis, quando aliæ ut dictum est non assignantur.

6 Initia librorum sacræ Scripturæ, (qui fere semper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur quo notata sunt; etiam si fiat Officium de Sancto, nisi in festo aliæ propriæ Lect. Scripturæ vel de Cõmuni assignentur; tunc enim initium Lectionis de Scriptura, transfertur in sequentem diem, similiter non impeditam, & Lectiones illi diei de eadem Scriptura assignatæ, vel cum superioribus Lectionibus legantur, vel omittuntur ita ut non oporteat eas amplius in alio sequenti die resumere, sed illæ legantur quæ sua quaque die occurrunt, aut secum eisdem jungantur Quod semper servetur quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur.

7 Cum autem initium alicujus Epistolæ Catholicæ Tempore Paschali aut alicujus Prophetæ minoris mense Novembri infra Hebdomadam, illorum Temporum impeditur aliquo Festo novem Lectionum habente proprias Lectiones de Scriptura, dictum initium Epistolæ & Prophetæ quoad commode fieri potest ponetur in sequenti Feria, alio simili Scripturæ initio ponendo vel festo non impedita alio quin in præcedente similiter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur. Etiam si plura initia eadem die poni oporteat.

8 De Scriptura quoque tantum est positum quantum satis videtur pro numero Hebdomadarum quæ esse possunt inter Epiphaniam & Septuag. & inter Pentecosten & Adventum, ubi vero contingit minui numerum Dominicarum & Hebdomadarum post Epiphaniam; adveniente Dominica Septuagesquod superest de Epistolis Pauli quæ distributæ sunt pro numero dictarum Dominicarũ & Hebdomadarum, eo anno omittitur, quamvis de aliquibus Epistolis nil sit lectum. Quod etiam fit de Scriptura in libris regum (de quibus legitur ab Octava Pentecostes usque ad Dominicam Primam Augusti) cum non expletur numerus Dominicarum post Pentecosten, de eis libris annotatus usque ad mensem Augusti, quia tunc Lectionibus de his libris omissis, legitur de Scriptura quæ ponitur mense Augusti. Quod si fiat de aliqua Dominica post Epiphaniam anticipatè in Feria eo modo quo dictum est in Dominicis numero 4. & 5. tunc post officiũ Dominicæ anticipatæ & sequentibus diebus legatur de Epistolis B. Pauli assignatis Dominicæ anticipatæ & sequentibus Feriis omissis aliis quæ sunt assignatæ præcedenti Hebdomadæ. Quid autem observandum sit cum mensis cui quinque Dominicæ assignantur non habuerit nisi quatuor, in propriis locis notatur.

9 Lectiones de Scriptura positæ, in Communi Sanctorum. Leguntur in Festis ubi assignantur in Proprio Sanctorum per annum. Rursus quando aliquod Festum in propria Ecclesia celebratur. Item quando aliquod festum novem Lect. occurrit in Quadrag. vel illis diebus, in quibus in proprio de Tempore, non assignantur tres Lect. de Scriptura, tunc enim in Festis est recurrendum ad Lectiones de Scriptura positas in Communi Sanctorum. Quod si in aliquibus ex supradictis diebus occurrat dies Octavæ alicujus Festi habentis Octavam, tũc in primo Nocturno diei octavæ repetantur lect. quæ in primo Nocturno Festi lectæ fuerant. (Aliæ Lectiones secundi & tertij Nocturni positæ in Communi Sanctorum, similiter leguntur quando in Proprio Sanctorum assignantur, & quando in aliqua Ecclesia aliquod Festum celebratur cum novem lect. quia in ea est solemne & consuetum in ea celebrari, quod proprias & aprobatas de Festo lectiones non habuerit.

10. Lectio

cum suo loco ut in Psalterio.

De Versiculis. XXVIII.

VErsiculi semper dicuntur ad Matutinum, post ultimum, Psalm. & Antiphonam Nocturnorum sive in Officio dicantur tres Nocturni sive unus. Ad Laudes & Vesperas Versic. dicitur post Capitulum. Ad Horas Tertiam, Sextam & Nonam dicitur post Responsorium ut in Proprio & Communi notatur. Ad Completorium dicitur post Hymnum.

2 In Pascha Resurrectionis & per Octavam usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive ad Horas Tertiam Sextam & Nonam non dicitur Versic. ut ibidem.

3 Versibus prædictis Tempore Paschali semper additur ter alleluia in fine secundi Versiculi non vero primi, non additur vero in Versiculis precum, nec in Versibus primæ & Completorij, neque in Versic. Responsoriorum Matutini.

4 in Officio festi simplicis, vel diei infra Octavam, post novem Psalmos & novem Antiphonas de Communi vel de Proprio illius sancti vel Octavæ, dicitur Versiculus de eodem Communi vel de die Festi, qui semper est Versiculus primi Nocturni.

5 Versiculi positi in Psalterio ad Laudes & Vesperas semper dicuntur, quando alij proprij non assignantur in Proprio de Tempore.

6 Versus Sacerdotalis dicitur ut habetur supra in propria Rubrica.

De Deprecationibus & Benedictionibus ante Lectiones.
XXIX.

DEprecationes & Benedictiones dicuntur per ordinem in Officio novem Lect. ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu, & ante Psalterium ponuntur. Scilicet post Versicul. Dicto Pater noster. secretò. Et ne nos, &c. dicuntur Deprecationes & Benedictiones ut ibidem notantur. Præterquam in Officio Matutino tridui ante Pascha, & in Officio Defunct. in quibus Deprecationes & Benedictiones non dicuntur.

2 Si fiat Officium trium Lectionum. Deprecatio sumitur semper è primo Nocturno, sed Benedictiones primi Nocturni dicuntur secunda & quinta Feria; secundi Nocturni Tertia & Sexta Feria; Tertij Nocturni quarta Feria & Sabbato. Omissa ultima Benedictione cujus loco dicitur, Trinitas sancta, ut in eadem prima Dominica de Adventu ponitur.

De Lectionibus. XXX.

LEctiones leguntur ad Matutinum, dictis Psalmis Nocturni cum Antiphonis & Versiculis, Deprecationibus quoque & Benedictionibus ut supra. In Duplicibus & Semiduplicibus dicuntur novem Lect. id est in quolibet Nocturno tres, præter quàm Tempore Paschali; in Feriis vero & Festis simplicibus leguntur tantum tres Lect.

2 In Officio novem Lectionum dicuntur hoc modo. In primo Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ quando suis locis propriæ aut de Communi Sanctorum non assignantur, semper leguntur ut in Officio de Tempore, quæ sua quæque die occurrunt legendæ. In secundo Nocturno si fit de sancto, tres Lect. leguntur de vita sancti, vel de aliquo Sermone aut Tractatu qui ei convenit; quæ si non adsint propriæ, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam Communi completur numerus trium Lectionum, quando Officium fit novem Lect. de aliquo sancto, qui habet unam tantum vel duas Lectiones proprias. Si fit de Dominica vel de alio officio novem Lect. per annum, etiam de die Octava; leguntur tres Lectiones de Sermone aut Tractatu qui in illis ponitur. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium posita in proprio aut ex Communi assignatæ, & primæ Lectioni de Homilia semper præponitur principium Evangelij de quo est Homilia etiam in diebus Oct. Excipiuntur ab hoc ordine Lectionum Officia matutina tridui ante Pascha, & Defunct. ut in suis locis ponitur.

3 Si in Officio novem Lect. contingat fieri commemorationem de aliquo sancto qui propriam habet Lectionem, nona Lectio legitur de sancto; si habuerit duas Lectiones ex duabus fiat una Lectio. Omissa nona Lect. in dicto Officio novem Lect. vel octavæ Lectioni adjuncta. Quod si eodem die occurrat Dominica vel feria quæ habeat Homiliam, nona Lectio sancti omittitur, & ejus loco dicitur Homilia Dominicæ vel Feriæ, scilicet vel

prima Lectio de Homilia vel tres simul in unam Lect. conjunctæ.

4 In Officio trium Lect. si fit de Feria tres Lectiones leguntur de Scriptura, nisi tres sint de Homilia quia tunc de Homilia leguntur si fit de sancto qui habeat tres Lectiones, prima tantum erit de Scriptura ut vel legatur una vel ex tribus simul junctis fiat una; secunda & tertia de sancto. Si unam tantum habuerit propriam, vel ex Communi assignatam, prima & secunda erunt de Scriptura, tertia de sancto. Quod etiam servatur in Officio beatæ Mariæ in Sabbato.

5 Lect. autem de Scriptura in Officio de Temp. sic distributæ sunt per annum ut quotidie aliquid ex ea legatur etiam in Officio de Sanctis, quando aliæ ut dictum est non assignantur.

6 Initia librorum sacræ Scripturæ, (qui fere semper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur quo notata sunt; etiam si fiat Officium de Sancto, nisi in festo aliæ propriæ Lect. Scripturæ vel de Cōmuni assignentur; tunc enim initium Lectionis de Scriptura, transfertur in sequentem diem, similiter non impeditam, & Lectiones illi diei de eadem Scriptura assignatæ, vel cum superioribus Lectionibus legantur, vel omittuntur ita ut non oporteat eas amplius in alio sequenti die resumere, sed illæ legantur quæ sua quaque die occurrunt, aut cum eisdem jungantur Quod semper servetur quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur.

7 Cum autem initium alicujus Epistolæ Catholicæ Tempore Paschali aut alicujus Prophetæ minoris mense Novembri infra Hebdomadam, illorum Temporum impeditur aliquo Festo novem Lectionum habente proprias Lectiones de Scriptura, dictum initium Epistolæ & Prophetæ quoad commode fieri potest ponetur in sequenti Feria, alio simili Scripturæ initio ponendo vel festo non impedita alio quin in præcedente similiter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur. Etiam si plura initia eadem die poni oporteat.

8 De Scriptura quoque tantum est positum quantum satis videtur pro numero Hebdomadarum quæ esse possunt inter Epiphaniam & Septuag. & inter Pentecosten & Adventum, ubi vero contingit minui numerum Dominicarum & Hebdomadarum post Epiphaniam; adveniente Dominica Septuagesimæ quod super est de Epistolis Pauli quæ distributæ sunt pro numero dictarum Dominicarū & Hebdomadarum, eo anno omittitur, quamvis de aliquibus Epistolis nil sit lectum. Quod etiam fit de Scriptura in libris regum (de quibus legitur ab Octava Pentecostes usque ad Dominicam Primam Augusti) cum non expletur numerus Dominicarum post Pentecosten, de eis libris annotatus usque ad mensem Augusti, quia tunc Lectionibus de his libris omissis, legitur de Scriptura quæ ponitur mense Augusti. Quod si fiat de aliqua Dominica post Epiphaniam anticipatè in Feria eo modo quo dictum est in Dominicis numero 4. & 5. tunc post officiū Dominicæ anticipatæ & sequentibus diebus legatur de Epistolis B. Pauli assignatis Dominicæ anticipatæ & sequentibus Feriis omissis aliis quæ sunt assignatæ præcedenti Hebdomadæ. Quid autem observandum sit cum mensis cui quinque Dominicæ assignantur non habuerit nisi quatuor, in propriis locis notatur.

9 Lectiones de Scriptura positæ, in Communi Sanctorum. Leguntur in Festis ubi assignantur in Proprio Sanctorum per annum. Rursus quando aliquod Festum in propria Ecclesia celebratur. Item quando aliquod festum novem Lect. occurrit in Quadrag. vel illis diebus, in quibus in proprio de Tempore, non assignantur tres Lect. de Scriptura, tunc enim in Festis est recurrendum ad Lectiones de Scriptura positas in Communi Sanctorum. Quod si in aliquibus ex supradictis diebus occurrat dies Octavæ alicujus Festi habentis Octavam, tūc in primo Nocturno diei octavæ repetantur lect. quæ in primo Nocturno Festi lectæ fuerant. (Aliæ Lectiones secundi & tertij Nocturni positæ in Communi Sanctorum, similiter leguntur quando in Proprio Sanctorum assignantur, & quando in aliqua Ecclesia aliquod Festum celebratur cum novem lect. quia in ea est solemne & consuetum in ea celebrari, quod proprias & aprobatas de Festo lectiones non habuerit.

10. Lectio

10 Lectiones primi Nocturni in Officio novem lectionum & lectio prima in Officio trium lectionum leguntur cum Titulo libri ex quo sumuntur, nisi aliter in propriis locis notetur. Lect. etiam ij. Nocturni & lectio secunda vel tertia in Officio trium lectionum quando sunt ex aliquo Sermone vel Tractatu, historia, Epistola aut aliquo alio opere, leguntur cum Titulo & nomine Authoris; aliàs minimè. Et similiter in tertio Nocturno vel in ultima lectione, quādo legitur Homilia, præponitur Titulus auctoris cujus est Homilia.

11 In fine cujusque lectionis dicitur. Tu autem Domine miserere nostri. & respondetur. Deo gratias. Præterquam in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha, & in Officio Defunct. ut suis locis ponitur.

De Responsoriis post Lectiones.
XXXI.

Responsoria dicuntur ad Matutinum post lectiones id est post quamlibet lectionem tam in Officio novem quam trium lect. dicitur unum Responsorium cum suo Versu. In fine ultimi ac etiam tertij, & Sexti dicitur Gloria Patri usque ad sicut erat exclusive, cum repetitione partis responsorij quæ asterisco * notatur, nisi dicatur Hymnus Te Deum laudamus. Tunc enim in ultimo Responsorio non dicitur Gloria Patri, Excepto Tempore Passionis, quo Tempore loco Gloria Patri repetitur Resp. à principio, usque ad ℣. exclusive, excepto etiam Officio Defunct. in quo loco Gloria Patri dicitur Requiem æternam, &c.

2 In Festis & Dñicis primæ Classis duplicantur Responsoria & tunc in 1. Resp. post repetionē partis ℞. asterisco notatæ dicitur Gloria Patri, usque ad Sicut erat in principio & nunc & semper inclusive. Deinde repetitur totum ℞. usque ad ℣. exclusive. Alia vero Duplicantur sine sicut erat. Quando vero dicitur Hymnus Te Deum laudamus, tunc ultimum ℞. non duplicatur nec in eo dicitur Gloria Patri.

3 In Officio trium lect. quando fit de Sanctis si Responsoria non assignantur ut in Proprio, sumuntur de Communi Sanctorum, & in Feriis per annum, quando alia propria non assignantur, sumuntur de Dominica in qua primo sunt posita hoc ordine. Feria secunda & quinta tria Respons. primi Nocturni. Feria tertia & Sexta tria Responsoria secundi Nocturni. Feria quarta & Sabbato quando in eo fit de Feria, tria Responsoria tertij Nocturni Dominicæ præcedentis. In Festis vero trium lect. idem ordo servatur. Ab octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam habentur Respons. propria in singulis Feriis.

4 Sumuntur autem Responsoria ex eo loco ubi primo sunt posita in principio mensis vel libri, & repetuntur in aliis sequentibus Dominicis illius mensis, in quibus alia non assignantur, vel donec de illo libro legitur unde sumpta sunt Responsor. quæ autem in prima Hebdomada mensis posita sunt per Ferias, repetuntur eodem ordine in eisdem Feriis per sequentes Hebdomadas donec alia ponantur. Quod si sint quædam alia ℞. ejusdem mensis, & libri. Præter novem, quæ in Dominica dicta sunt, ea ponuntur in Feria secunda proxime sequenti V. G. Si sit unum tantum, ponitur primum in Feria secunda, & duo alia Responsoria erunt secundum & tertium primi Nocturni Dominicæ. Si sint duo, ponuntur pro primo & secundo Respons. in Feria secunda, & pro tertio ponitur tertium ℞. primi Nocturni de Dominica. Si sint tria, ponuntur pro tribus Responsoriis Feriæ secundæ & in sequenti Feria tertia, ponuntur tria Responsoria secundi Nocturni Dominicæ; & sic deinceps. Feria autem quinta resumuntur tria Responsoria primi Nocturni Dominicæ, & sic in sequentibus.

5 Si ℞. primi Nocturni ejus Dominicæ in qua primo ponuntur, propter Festum novem Lectionum in ea occurrens in ipsa Dominica poni non possint: ponantur prima die ejus Hebdomadæ in qua occurrit fieri de Feria, & omittantur alia quæ forte in illa Feria propria haberentur. Si vero in tota illa Hebdomada non occurrat dies in quo fiat de Feria, illa Respons. ponantur in sequenti Hebdomada vel Dominica similiter non impedita. Dummodo in ea alia ℞. non sint primo ponenda; alioquin eo anno omittantur. ℞. etiam quæ in aliquibus Feriis per Hebdomad. habentur

bentur; si in die quo posita sunt non possint dici propter Festum occurrens, non sunt transferenda in aliumdiem sed omittantur.

6 Tempore Paschali in fine Responsorij ante ℣. additur alleluia.

De Responsoriis Horarum. XXXII.

RESponsoria ad Horas dicuntur post Capitulum ad Tertiam, Sextam & Nonam, præterquam in triduo ante Pascha, in quo Resp. Horarum dicuntur sine Capitulis statim post Psalmos: & per Octavam Paschæ, usque ad Nonam Sabbati inclusive quibus diebus nulla dicuntur ℟. nec Capitula ad Horas. Quando fit Officium de Dominica vel Feria per annum dicuntur ℟. ad Horas, ut habentur in Psalterio. In Adventu autem Quadragesima, Tempore Passionis & Paschali, ut suis locis habentur. In Festis similiter quando non habentur propria, dicuntur ut in Communi Sanctorum.

2 In Responsorio ad Horas post ℣. repetitur integre idem Responsorium ac etiam post Gloria Patri eo modo quo ordinantur ad Tertiam in Dominicis & Feriis per annum, ut in Psalterio. Tempore vero Quadragesimæ usque ad Pascha, Responsoria ad Horas dicuntur eodem modo quo Responsoria ad Matut. post Lectionem: & in fine illorum, semper dicitur Gloria Patri, cum repetitione Responsorij, eo modo quo ordinantur ad Horas in Dominica Quadragesimæ, ut in Proprio de Tempore, excepto Tempore Passionis, tunc enim non dicitur Gloria Patri, sed ejus loco repetitur Responsorium à principio.

3 Responsoria ad Horas quæ ponuntur in Psalterio & in Proprio de Tempore pro prima Dominica Adventus, dicuntur per totum Adventum, quando fit Officium de Tempore: similiter quæ ponuntur Dominica prima in Quadrages. Dicuntur usque ad Dominicam Tertiam in Quadrages. exclusive. Quæ similiter ponuntur pro Dominica tertia in Quadrages. Dicuntur usque ad Dominicam Passionis exclusive; & quæ ponuntur in Dominica Passionis dicuntur usque ad Pascha exclusive. Item quæ ponuntur pro Dominica Octavæ Paschæ sive in Albis dicuntur usque ad Ascensionem exclusive; quæ vero ponuntur in aliquo Festo habente Octavam, dicuntur per totam Octavam quando fit de Octava.

4 Tempore Paschali à Dominica Octavæ Paschæ usque ad Dominicam Octavæ Pentecostes seu SS. Trinitatis inclusive, in fine Respons. & etiam in fine primi Versus, dicuntur duo alleluia. Ad Versiculum vero post Respons. non dicitur Alleluia, sed in fine ℟. ad eundem Versiculum, dicitur ter Alleluia, modo quo supra notatum est in Rubrica de Versiculis numero 3. extra Tempus Paschale in quibusdam Festis ad Tertiam, Sextam & Nonam, ad Responsoria adduntur Alleluia, ut notatur ibidem.

De Capitulis. XXXIII.

CApitula semper dicuntur ad Vesperas & ad Laudes post Psalmos & Antiphonas, ad Horas vero post Psalmos & Alleluia semel, vel Laus tibi Domine, &c. Excepto triduo ante Pascha & tota Hebdomada Paschæ usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive; excepto etiam Officio Defunct. in quibus non dicitur Capitulum in aliqua Horarum.

2 Capitula Dominicalia posita in Psalterio, in primis & secundis Vesperis, in Laudibus & Horis dicuntur à tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum, & à secunda post Epiphaniam usque ad Septuages. Capitula autem Ferialia dicuntur post Octavam Pentec. usque ad Adventum, & ab Octava Epiph. usque ad Dominicam primam in Quadrages. aliis Temporibus dicuntur ut in Proprio de Tempore & in Psalterio. Si fit de Sanctis, ut in Proprio Sanctorum, cum propria adsunt, alioquin de Communi Sanctorum.

3 In Dominicis & Festis regulariter Capitulum positum in primis Vesperis dicitur in Laudibus, ad Tertiam, & in secundis Vesperis: quibusdam exceptis quæ suis locis assignantur. Post Capitulum semper respondetur. Deo gratias.

De Oratione. XXXIV.

ORatio in Vesperis & Laudibus dicitur post Añas ad Magnificat & Benedictus immediate, nisi quando dicendæ sunt preces, quæ dicuntur post Añam & in fine illarum Oratio. Ad Primam Oratio dicitur post Versic. Dignare Domine,

mine, nisi dicendæ sint preces, ad alias Horas dicitur post Versiculum Responsorij, nisi dicendæ sint preces, tunc enim Oratio dicitur post preces. Ad Complet. Oratio dicitur post Preces.

2 Ad Primam & Completorium, nunquam mutantur Orationes quæ habentur in Psalterio, præterquam in triduo ante Pascha, in quo triduo ad omnes Horas usque ad Nonam Sabbati Sancti inclusive, post Psalmum Miserere, dicitur Oratio diei, ut suo loco ponitur. Regulariter Oratio quæ dicta est in primis Vesperis, dicitur etiam ad Laudes & ad Tertiam & secundas Vesperas. Orationes vero mutantur, ad Sextam & Nonam; quæ in Festis, ut plurimum sumuntur ex duabus Processionibus quæ fiunt in primis Vesperis: In Quadragesi. autem, Quatuor Temporibus Vigiliis & Feriis Rogationum, Oratio quæ dicta est ad Laudes non dicitur ad alias Horas, sed ad Tertiam, Sextam & Nonam dicuntur propriæ ut in Adventu & in Quadragesi: vel ut in Psalterio: In Vesperis autem sequentibus dicitur vel alia propria, ut in Quadrag: vel Dominicæ præcedentis ut in aliis Feriis. Quæ Oratio præcedentis Dominicæ semper dicitur in feriali Officio per Hebdomadam quando propria non assignatur. Infra Octavam dicitur Oratio ut in die Festi, similiter in die Oct. nisi alia propria assignetur.

3 Ante Orationem etiam quando aliquis solus recitat Officium semper dicitur ℣. Dominus vobiscum & Respond. Et cum spiritu tuo, qui ℣. non dicitur ab eo qui non est saltem in ordine Diaconatus nec à Diacono, præsente Sacerdote nisi de illius licentia. Si quis autem ad Diaconatus ordinem non pervenerit, ejus loco dicat Domine exaudi orationem meam. Respondetur. Et clamor meus ad te veniat. Deinde dicitur Oremus, postea Oratio, Deinde repetitur. ℣. Dominus vobiscum, vel Domine exaudi orationem meã, postquam fuerit Responsum Amen. Postea dicitur Benedicamus Domino. Respondetur. Deo gratias.

4 Si Oratio dirigatur ad Patrem concluditur per Dominum; si ad Filium. Qui vivis & regnas; si in principio Orationis fiat mentio filij, dicatur Per eumdem. Si in fine Orationis fiat mentio filij; dicatur. Qui tecum vivit & regnat. Si fiat mentio Spiritus sancti, dicatur. In unitate ejusdem Spiritus sancti, Per omnia sæcula, &c,

5 Unicuique Orationi semper præponitur Oremus, præterquam in Officio Defunct. in quo alio modo qua .. supra Orationes dicuntur.

De Hymno, Te Deum.

X X X V.

Hymnus Te Deum dicitur in Festis Duplicibus nisi aliter in proprio notetur, dicitur etiam in omnibus Dominicis à Pascha Resurrectionis inclusive, usque ad Adventum exclusive, & à Nativitate Domini inclusive usque ad Septuagesimam exclusive.

2 Non dicitur autem in Dominicis Adventus & à Sexagesima inclusive usque ad Pascha exclusive.

3 Cum dicitur; non Duplicatur nonum Responsorium & semper in eo omittitur Gloria Patri.

4 Statim post Te Deum laudamus dicitur Versus Sacerdotalis, Exultabunt sancti & inchoantur Laudes præterquam in nocte Nativitatis Domini, quia dicto Te Deum statim incipitur Missa.

De Oratione Dominica.

X X X V I.

Oratio Dominica Pater noster, & Salutatio Angelica Ave Maria semper dicitur secretò ante omnes Horas:

2 Quando post inceptum Officium dicitur alicubi Pater noster, dicitur semper, secretò usque ad ℣. Et ne nos, qui profertur clara voce excepto Officio Defunct. in quo aliter notatur.

De Symbolo Apostolorum & Symbolo S. Athanasij. Quicumque.

X X X V I I.

Symbolum Apostolorum dicitur tantum ad primam & ad Completorium, & dicitur totum secreto, usque ad ℣. Carnis Resurrectionem, qui clara voce pro fertur.

2 Symbolum S. Athanasij. Quicumque: dicitur ad Primam post Psalmum Retribue, in omnibus Dominicis per Annum. Quando fit Officium de Dominica. exceptis Dominicis infra oct. Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis Corporis Christi, ac Dominica Resurrectionis, & Pentecostes in quibus dicuntur tantum tres Psalmi consueti

consueti ut in Festis. In Dominicis infra alias Octavas, in Nativitate Domini, & in Dominica Trinitatis dicitur, alias numquam, neque si aliquod Festum novem Lectionum celebretur in Dominica. Et in fine illius dicitur. Gloria Patri.

De Precibus. XXXVIII.

PReces sunt aliquot Versus qui aliquando dicuntur ante Orationem incipientes à Kyrie eleison vel alio Versu.

2 Aliæ sunt preces magnæ, aliæ parvæ. Magnæ preces ad Laudes & Horas distinctæ, ut in Psalterio dicuntur tantum in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum & Vigiliarum quæ iejunantur, vel in quibus fit abstinentia, carnis (exceptis Vigilia Nativitatis Domini ac Vigilia & Quatuor Temporibus Pentecostes) & tunc dicuntur flexis genibus. In aliis vero Feriis per Annum quando fit de Feria dicuntur tantum parvæ Preces ut in psalterio per Horas distinctæ sunt, & in illis non flectuntur genua. Tempore Paschali nullæ dicuntur Preces. Ad Primam & ad Completorium semper dicuntur Preces consuetæ quæ ibi ponuntur, quocumque Festo adveniente.

3 In Feriis Adventus, Quadragesimæ & Quatuor Temporum dicuntur magnæ Preces etiam ad Vesperas si non sequatur Festum. Ad Completorium dicuntur consuetæ Preces sed flexis genibus. Dicuntur autem preces flexis genibus ab Hebdomadario & cæteris omnibus usque ad Vers. Gloria Patri Psalmi De profundis in Laudibus, & Psalmi Miserere in Vesperis. Ad alias Horas dicuntur flexis genibus usque ad ℣. Dominus vobiscum. Psalmi Pœnitentiales dicuntur flexis genibus usque ad Gloria Patri. & Psalm. De profundis usque ad ℣. Requiem æternam, exclusive.

4 In Vigiliis magnæ preces dicuntur tantum ad Matutinum & per Horas, Ad Vesperas verò sequentes, non dicuntur quia inde fit de Festo. Quod si post Vigiliam sancti Mathiæ, sequatur primus dies Quadragesimæ. In Vesperis dicuntur magnæ preces quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis, & non Vigiliæ. Quod etiam servatur quando in Feria Sexta & Sabbato quatuor Temporum Septembris fit Officium de Feria cum in eis non occurrat Festum ix. Lectionum tunc enim in Vesperis Feriæ vi. dicuntur magnæ preces quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis non autem Feriæ, Quatuor Temporum.

3 Psalmus Miserere dicitur cum precibus ad Vesperas tantum. Et Psalmus De profundis ad Laudes. In Officio Defunctorum dicuntur preces prout in eo assignantur.

De Psalmo Levavi. XXXIX.

IN Feriali Officio post Laudes dicitur Psalmus Levavi, cum ℣. & Oratione, ab Octava Epiphaniæ, usque ad Dominicam Palmarum. Et ab Octava Pentecostes usque ad diem 17. Decembris exclusive, & in Festis trium Lectionum, sed infra Octavas non dicitur, & etiam ubi notatur.

De Processionibus. XL.

POst Vesperas & Laudes in Choro fiunt Processiones ad aliquam Ecclesiam Capellam vel altare vel Crucem, vel ad Presbyterium, prout mos est in qualibet Ecclesia, & quidem in omnibus Sabbatis & Dominicis, ad Vesperas fiunt duæ Processiones. In omnibus etiam Festis novem Lectionum post primas Vesperas, fiunt similiter duæ Processiones & post secundas Vesperas, fit una Processio tantum nisi prædictum officium concurrat cum sequenti novem Lectionum, vel occurrat in Sabbato vel Dominica, ratione cujus tunc etiam fiunt duæ Processiones. Ad Processiones sumuntur regulariter Responsoria de Matutino Officio diei sequentis: primum scilicet Responsorium in prima Processione, & secundum in secunda, quod Responsor. dicitur tantum usque ad Versum exclusive nisi aliter notetur. Orationes verò ut habentur suis locis: sed in Festis Sanctorum ubi aliquando nullæ assignantur, sumuntur de Communi.

2 In aliquibus Festis fit tantum una Processio & dicitur tantum unum Responsorium, quo finito, dicitur iterum Magnificat cum Antiphona propria; similiter & ad Laudes nunquam fit nisi una Processio & iterum Benedictus

cum

cum sua Aña; aliquando etiam fit tantum Processf. sine Benedictus.

3. Responsorium ad Processionem dicitur aliquando cum ℣. & etiam cum Gloria Patri ut notatur suis locis sed tunc unica tantum fit Processio. Finitis Responsor ad Processionem dicitur Dominus vobiscum Deinde Oratio: iterum Dominus vobiscum, & ℣. Benedicamus Domino.

4 Quando infra Hebdomadam fit processf. de Feria; in ea semper dicitur Oratio Dominicæ præcedentis. Si Oratio quæ convenit illi Officio de quo sumuntur processiones dicta non fuerit in Vesperis; ea ponitur in prima processione (sive una sive duæ fiant) omissa ea quæ alias dicenda occurreret. Quod si aliquando processio nulla, aut aliter quam supradictum est, agenda sit, illud suo loco ordinatur.

5 Extra Chorum recitantur privatim, Responsoria & Orationes quæ ad Processiones ponuntur atque etiam secundum Magnificat aut Benedictus cum sua Antiphona.

De Psalmo De profundis.

XLI.

IN Officio trium Lectionum ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam & Completorium, in fine dicitur pro Defunctis Requiem æternam & Psalmus De profundis ut notatur in Psalterio. In Officio autem novem Lectionum dicitur tantum, in fine, secretò. ℣. Fidelium animæ, ut ibidem notatur.

De Hymnis ad Completorium.

XLII.

POst Psalmos Completorij & Alleluia vel Laus tibi Domine; dicitur Hymnus qualibet die præterquam à Feria v. in Cœna Domini inclusive, ad Completorium Sabbati infra Octavam Paschæ exclusive; quo tempore non dicuntur Hymni,

2 Dominica die quando fit de Dominica ut in Psalterio, & in Officio Feriali dicitur Hymnus Dominicæ, & singulis Hebdomadæ diebus assignatus, In aliis vero Festis & Officiis, de Proprio de Tempore vel Sanctorum dicitur Hymnus qui proprius assignatur vel de Communi Sanctorum pro qualitate Festi. Hymni proprij in Advent. Quadrag. & Temp. Pasch. dicuntur tantum in Sab. & Dom. quando fit de Dominica.

3 Semper dicitur Hymnus ad Completorium, conveniens Officio Vesperarum, quamvis de sequenti Festo facta sit Processio.

De Antiphonis B. Mariæ in fine Nonæ & Completorij.

XLIII.

ANtiphonæ B. Mariæ positæ in fine Psalterij post Completorium dicuntur in fine Nonæ & Completorii singulis Hebdomadæ diebus & pro Temporis diversitate ut ibidem ordinantur præterquam in triduo ante Pascha. Dicuntur ad Nonam in secreto, & omittuntur quando Missa vel alia Hora post Nonam dicenda occurrit. In fine vero Completorij semper dicuntur.

De Psalmis Penitentialibus. Litaniis & Officio parvo Beatæ Mariæ.

DE Septem Psalmis Pœnitentialibus & Litaniis, Officio parvo B. Mariæ & Officio Defunctorum, quando & quomodo dicenda sint habentur suis locis propriæ Rubricæ circa finem Breviarij.

JANUARIUS.

Cyclus Epact.	*Littera Dom.*		*Dies mensis.*	
*	A	Kal.	1	Circumcisio Domini,& Oct.Nativ. ejusdem. *Duplex prima Classis.*
xxix	b	iiij	2	Octava S.Stephani Protomart.*semiduplex mi. Com.* S.Clari Confess.
xxviij	c	iij	3	Octava S.Joannis Apost. *semid. mi. Commem.* S.Genovefæ virg. *in Miss.*
xxvij	d	Prid.	4	Octava SS.Innocentium *semid. mi.*
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ *iij.Lect.*
25xxv	f	viij	6	Epiphania Domini. *Dupl.* 1.*Classis.*
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniæ. *iij.Lect.*
xxiij	A	vj	8	De Octava.
xxij	b	v	9	De Octava.
xxj	c	iiij	10	De Octava.
xx	d	iij	11	De Octava.
xix	e	Prid.	12	De Octava.
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ. *semid.mai.*
xvij	g	xix	14	Felicis Presbyt. & Conf. *iij.*Lect.*Com.* S.Pauli primi Eremitæ. *Commem. minor. fidel. Defunctorum.*
xvj	A	xviij	15	Hilarii Episc.& Confess. *iij.Lect.*
xv	b	xvij	16	Marcelli Papæ & mart. *iij.Lect.*
xiv	c	xvj	17	Antonii Abbatis *sem.mai. Co.*SS.Speosippi, Eleosippi & Meleosippi.m.
xiij	d	xv	18	Cathedra S.Petri Romæ *iij.Lect. Com.*
xij	e	xiv	19	S.Priscæ Virg.& m.*Primum Septuag.*
xj	f	xiij	20	Fabiani & Sebastiani mart. *dupl.min.*
x	g	xij	21	Agnetis Virg. & mart. *semid. mi.*
ix	A	xj	22	Vincentii mart. *semid.mai.*
viij	b	x	23	Barnardi Episc.& Conf.Lugd. *iij.Lect.*
vij	c	ix	24	Timothei Apost. *iij.Lect.*
vj	d	viij	25	Conversio S.Pauli Apost. *semid. mai. Com.*S.Præjecti Episc.& mart.*in Miss.*
v	e	vij	26	Polycarpi Episc. & mart. *iij.Lect.*
iv	f	vj	27	Joan.Chrysost.Episc. & Conf.*iij.Lect.*
iij	g	v	28	Agnetis secundò *iij. Lect.*
ij	A	iiij	29	Francisci Salesii Episc.& Conf. *semid. mai. Com.* S.Valerii Episc. & Conf.
j	b	iij	30	
*	c	Prid.	31	

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis	
xxix	d	Kal.	1	Ignatij Episc. & mart. *iij. Lect.*
xxviij	e	iv	2	PURIFICATIO B.M. VIRG. *duplex mai.*
xxvij	f	iij	3	Blasij Episc.& mart. *iij.Lect. In maj.Eccles.semid.maj.Com.* S.Lupicini Episc.
25.xxvj	g	Prid.	4	Lugd.& Conf. *in Missa.*
25.xxiv	A	Non.	5	Agathæ Virg. & mart. *semid. mi.*
xxiij	b	viij	6	
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	*Primum Quadrag.*
xx	e	v	9	Apolloniæ Virginis & mart. *iij. Lect.*
xix	f	iv	10	
xviij	g	iij	11	Desiderij Episc. & mart. *iij. Lect.*
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	Stephani Episc.Lugd.& Conf. *iij.Lect.*
xv	c	xvj	14	Valentini Interamnensis Episc. atque Valentini Presbyt. Romani, martyrum. *iij. Lect.*
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	Onesimi Apost. *iij. Lect.*
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	
vij	d	viij	22	Cath.S.Petri Antioch. *iij.Lect.ult.Sept.*
vj	e	vij	23	Vigilia. *Carnis abstinentia.*
v	f	vj	24	MATTHIÆ APOSTOLI. *dupl. mi.*
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	Baldomeri Subdiacon. Lugd. & Confess. *iij. Lect.*
j	c	Prid.	28	

In anno bissextili, Februarius est dierum 29. *&* *Festum* S. Matthiæ *celebratur* 25.Februarij: *& bis dicitur*, Sexto Kalendas, *id est, die* 24. *& die* 25. *& littera Dominicalis quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem: Ut si in Januario littera Dominicalis fuit* A, *mutatur in præcedentem, quæ est* g, &c. *& littera* F, *bis servit* 24.*&* 25. *Quando verò in anno bissextili dies vigesquarta venerit in Sabbato; tunc etiam ipsa die* 24. *celebratur festum* S.Matthiæ, *& festivatur, secundùm usum Lugdunensis Ecclesiæ.*

Cyclus Epact.	*Litteræ Dom.*		*Dies mensis.*	
*	d	Kal.	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	
xxvj	A	iij	5	
25.xxv.	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Thomæ Aquinatis Conf. *semid. mi. In quibusdam Ecclesiis tantùm.*
xxiij	d	viij	8	
xxij	e	vij	9	
xxj	f	vj	10	
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	Gregorij Papæ & Confess. *semid.maj.*
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	*Ultimum Quadrag.*
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	Josephi sponsi B.M. Virg. *duplex mai.*
xj	b	xiij	20	Joachim Patris B. M. V. *semid. mai.*
x	c	xij	21	*Com.*S.Benedicti Abb. *Æquinoct.Vern.*
ix	d	xj	22	*Primum Pascha.*
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO B. M. VIRGINIS. *Duplex, mai.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis	
xxix	g	Kal.	1	
xxviij	A	iiij	2	Nicetii Episc.Lugd.& Cõf. *semid.mai.*
xxvij	b	iij	3	*Cõ.*S.Francisci de Paula Cõf.*in Missa.*
25.xxvj	c	Prid.	4	Ambrosii Episc.& Conf.*semid.mai.*
25.xxiv	d	Non.	5	
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iiij	10	
xviij	c	iij	11	Leonis I. Papæ & Confess. *iij.Lect.*
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	
xv	f	xviij	14	Tiburtii, Valeriani, & Maximi, mart.
xiv	g	xvij	15	*iij.Lect.*
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	Gebuini Episc.Lugd.& Conf. *iij.Lect.*
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	
vij	g	x	22	Ippipodii mart.Lugd.*iij.Lect.*
vj	A	ix	23	Georgii mart.*semid.mai.Comm.*SS.Felicis, Fortunati & Achillei mart. Lugdunensium.
v	b	viij	24	Alexandri & soc.mart.Lugd. *iij.Lect.*
iv	c	vij	25	Marci Evangel. *dupl.mi.Com.*S.Rustici Episc.Lugd.& Conf.*Vltimum Pascha,*
iij	d	vj	26	*Primum Rogationum.*
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	Vitalis mart. *iij.Lect.*
*	g	iij	29	Petri mart. *iij.Lect.*
xxix	A	Prid.	30	

MAIUS

Cyclus Epact.	*Litteræ Dom.*		*Dies mensis*	
xxviij	b	Kal.	1	PHILIPPI ET JACOBI APOST. *duplex mi.* *Commem.* S. Andeoli mart. *in Missa.*
xxvij	c	vj	2	Athanasij Episc. & Confess. *iij. Lect.*
xxvj	d	v	3	INVENTIO SANCTÆ CRUCIS. *dupl. mi.* *Commem.* SS. Alexandri Papæ, Eventij, & Theoduli mart.
25.xxv	e	iv	4	
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	Prid.	6	Joannis ante Portam Latinam. *semiduplex mai.*
xxij	A	Non.	7	
xxj	b	viij	8	
xx	c	vij	9	Gregorij Nazianzeni Episc. & Conf. *iij. Lect. Commem.* Translat. S. Nicolai Episc. & Confess. *in Missa.*
xix	d	vj	10	Gordiani, & Epimachi mart. *iij. Lect.* *Primum Pentecost.*
xviij	e	v	11	
xvij	f	iv	12	Pancratij, Nerei, & Achillei mart. *iij. Lect.*
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	
xij	d	xvj	17	
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	Urbani Papæ & mart. *iij. Lect.*
iij	f	vij	26	
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	
*	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	*Ultimum Rogationum.*
xxviij	d	Prid.	31	

JUNIUS.

Cyclus Epact.	*Littera Dom.*		*Dies mensis*	
xxvij	e	Kal.	1	
25. xxvj	f	iv.	2	Pothini Primi Lugd. Episc. & 47. m. Lugd. *dupl. mi. Com.* SS. Marcellini Petri & Erasmi.
25. xxiv	g	iii	3	Blandinæ Virg.& mart. Lugd. *iij. Lect.*
xxiij	A	Prid.	4	*Comm.* S. Limphardi. Presb. & Cōf.
xxij	b	Non.	5	
xxj	c	viii	6	Claudii Episc.& Confess. *semid. mai.*
xx	d	vij	7	*Comm.* S. Agobardi Episc. Lugd. &
xix	e	vj	8	Confess. *in Missa.*
xviij	f	v	9	Primi & Feliciani mart. *iij. Lect.*
xvij	g	iv	10	Basilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii mart. *iij. Lect.*
xvj	A	iii	11	Barnabæ Apost. *iij. Lect.*
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	Ragneberti mart. *iij. Lect. Com.* S. Antonii de Padua *in Missa.* *Vltimum Pentecost.*
xiij	d	xviii	14	Basilii Magni Episc.& Conf. *iij. Lect.*
xij	e	xvij	15	
xj	f	xvj	16	Cyrici & Julittæ mart. *iij. Lect. In*
x	g	xv	17	*maj. Eccles. semid. maj.*
ix	A	xiv	18	Marci & Marcelliani frat. m. *iij. Lect.*
viij	b	xiij	19	Gervasii & Prothasii mart. *iij. Lect.*
vij	c	xij	20	Eucherii. 1. Lugd. Episc. *semid. mai.*
vj	d	xj	21	
v	e	x	22	Albani & socior. mart. *iij. Lect. Comm.* S. Consortiæ Virg. *in Missa.*
iv	f	ix	23	Vigil. *Iejun. Com.* S. Boniti Ep.& C.
iii	g	viij	24	NATIV. S. JOAN. BAPT. *duplex* 1. *Classis.*
ii	A	vij	25	De Octava S. Joannis.
i	b	vj	26	Joannis & Pauli mart. *semid. mai. in maj. Ecclesia. Alibi sem. mi. Co.* Octavæ.
*	c	v	27	Irenæi Lugd. Episc. & soc. mart. *dupl. mai. Translatum fuit ad diem 23. Novemb. de mandato Ill. & Rev. Camilli de Neufville Archiepisc.*
xxix	d	iv	28	De Octava S. Joannis. *Com.* Vigiliæ & S. Leonis Pap. & C. *in Miss. jejuniū.*
xxviij	c	iij	29	PETRI ET PAULI APOST. *duplex mai.*
xxvij	f	Prid.	30	Celebritas S. Pauli Apost. *semid. mi. Com.* S. Martialis Episc. & mart. *in Miss.*

JULIUS

JULIUS.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis	
xxvj	g	Kal.	1	Octava S. Joannis Baptistæ *semid. mi.* *In majori Ecclesia, dupl. min. Commem.* S. Domitiani Abbatis.
25.xxv	A	vj	2	Visitatio B. Mariæ Virg. *dupl. min. Com.* SS. Processi & Martiniani. mart.
xxiv	b	v	3	De Octav. Apost. Petri & Pauli *iij. Lect.*
xxiij	c	iv	4	De Octava Apost. *iij. Lect. Com.* Transl. S. Martini Episc. & Confess.
xxij	d	iij	5	De Octava *iij. Lect.*
xxj	e	Prid.	6	Octava Apost. Petri & Pauli *sem. mi.*
xx	f	Non.	7	Transl. S. Thomæ Episc. & m. *iij. Lect.*
xix	g	viij	8	*In majori Ecclesia.* Angelorum Custodũ & Raphaëlis Archãg. *dupl. mai.*
xviij	A	vij	9	*In majori Ecclesia,* Consecratio majoris Altaris Ecclesię Lugd. *dupl. mai.*
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum mart. *iij. Lect.*
xvj	c	v	11	Translatio S. Bened. Abbatis *iij. Lect.*
xv	d	iv	12	Vivêtioli Episc. Lugd. & Cõf. *iij. Lect.*
xiv	e	iij	13	
xiij	f	Prid.	14	Bonaventurę Episc. & Conf. *semid. mi.*
xij	g	Idib.	15	
xj	A	xvij	16	
x	b	xvj	17	Sperati & socior. ejus mart. *in majori Ecclesia semid. maj.* Alibi *iij. Lect.*
ix	c	xv	18	Symphorosæ cum septẽ fil. m. *iij. Lect.*
viij	d	xiv	19	
vij	e	xiij	20	Margaritæ Virg. & mart. *semid. mai.*
vj	f	xij	21	Praxedis Virg. *iij. Lect.*
v	g	xj	22	Mariæ Magdalenæ *duplex mi.*
iv	A	x	23	Apollinaris Episc. & mart. *iij. Lect.*
iij	b	ix	24	Vigilia. *Com.* S. Christinæ Virg. & m. *Carnis abstinentia.*
ij	c	viij	25	JACOBI APOSTOLI. *duplex minus Com.* S. Christophori & Cucufati mart.
j	d	vij	26	Annæ Matris B. Mariæ Virg. *dupl. mi.*
*	e	vj	27	
xxix	f	v	28	Pantaleonis mart. *iij. Lect. In maj. Eccles. semid. maj. Comm.* S. Peregrini Lugd. Presbyt. & Conf.
xxviij	g	iv	29	Felicis Papæ, Simplicii, Faustini & Beatricis m. *iij. Lect. Com.* Marthæ V.
xxvij	A	iij	30	Abdon & Sennen mart. *iij. Lect.*
25.xxvj	b	Prid.	31	Translatio S. Germani Episc. & Confess. *iij. Lect. Com.* S. Ignatii Conf.

AUGUSTUS.

Cyclus Epact.	Litteræ Dom.		Dies mensis.	
25.xxiv	c	Kal.	1	Petri ad vincula. *semid. mai.Commemor.* SS. Machabæorum Mart.
xxiij	d	iiij	2	Stephani Papæ & Mart. *iij. Lect.*
xxij	e	iij	3	Revelat. seu invent. Corp. s. Stephani Protomart. *in maiori Eccles. duplex mai.* Alibi *semid. majus.*
xxj	f	Prid.	4	Adventus seu translat. S. Justi Lugd. Episc.& Confess. de eremo. *iij.Lect.*
xx	g	Non.	5	S. Mariæ ad Nives. *duplex min. Comm.* S. Dominici Confess.
xix	A	viij	6	Trãsfig.Dñi *dup.mi.Cõ.*SS.Xisti,&c.m.
xviij	b	vij	7	Donati Episc. & mart. *iij.Lect.*
xvij	c	vj	8	Cyriaci & soc.mart. *iij.Lect.Com.* S. Severi Presb. & Confess.
*				
xvj	d	v	9	Vigilia *jejunium.* [Lugd.Ep.
xv	e	iv	10	LAURENTIJ MART. *dup.mi.Cõ.*S.Arigij
xiv	f	iij	11	Tiburtij mart. *iij. Lect.*
xiij	g	Prid.	12	Trãs.S.Andeoli m. *iij.Lect.In maj.Eccl. sem.maj.Cõ.* S.Claræ. virginis.
xij	A	Idib.	13	Hyppoliti & socior,mart. *iij. Lect.*
xj	b	xix	14	Vig.*jejun.Com.*S.Euseb.Presb.& Cõf.
x	c	xviij	15	ASSUMPT. B. M. VIRG.*duplex* I. *classis.*
ix	d	xvij	16	ROCHI CONFES. *semid. mai. Com.* Oct.
viij	e	xvj	17	De Oct. *Commemor.* S.Mammetis m.
vij	f	xv	18	De Oct. *Commemor.* S. Agapiti m.
vj	g	xiv	19	De Octava. *Cõm.* S. Badulphi Abbatis.
v	A	xiij	20	De Oct. *Comm.* S. Bernardi Abbatis.
iv	b	xij	21	De Octava. *Cõm.* S. Philiberti. Abbatis.
iij	c	xj	22	Octav. Assumpt.B.M.V. *sem.mai.Com.* SS. Timot. & Symphor. m.
ij	d	x	23	Vigilia *Com.* SS. Minervi & Eleazari cum 8. filiis m. Lugdunensibus. *Carnis abstinentia.*
j.	e	ix	24	BARTHOL.AP. *dupl.mi.Cõ.*S.Genesij m.
*	f	viij	25	LUDOVICI REG. FRANC. ET CONF. *semid. mai. Comm.* SS. Eusebij Vincent. &c. mart.
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	
xxvij	b	v	28	Augustini Episcopi & Confess. *semid. mai. Comm.*SS.Juliani & Hermetis m.
xxvj	c	iv	29	Decol. S.Joannis Baptistæ. *duplex mai. Commemor.* S. Sabinæ m.
25. xxv	d	iij	30	Felicis & Adaucti mart. *iij. Lect.*
xxiv	e	Prid.	31	Paulini Episc. & Conf. *iij. Lect.*

SEPTEMBER.

Cyclus Epact.	*Litteræ Dom.*		*Dies mensis*	
xxiij	f	Kal.	1	Prisci Lugd. Episc. & Confess. *iij. Lect. Com.* S. Ægidii Abbatis.
xxij	g	iiii	2	Justi Lugd. Episc. & Confes. *semidupl. maj. Com.* S. Elpidii Lugd. Ep. & C.
xxj	A	iii	3	
xx	b	Prid.	4	Marcelli Lugd. Presb. & mart. *iij. Lect.*
xix	c	Non.	5	
xviij	d	viii	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	NATIV. B. M. VIRG. *dupl. maj. Comm.* S. Adriani mart.
xv	g	v	9	De Octava Nativitatis.
xiv	A	iv	10	De Octava *Commem.* S. Nicolai de Tolentino. *In Missa.*
xiij	b	iii	11	De Octava *Com.* S. Patientis Lugd. Ep. & Conf. Prothi & Hyacinthi mart. *in Missa.*
xij	c	Prid.	12	De Octava. *Comm.* S. Sacerdotis Lugd. Episc. & Confes.
xj	d	Idib.	13	De Octava.
x	e	xviij	14	Exaltat. S. Crucis *sem. maj. In maj. Eccl.* Cornelii & Cypriani m. & Pont.
ix	f	xvij	15	Octava Nativitatis *semid. maj. Comm.* Alpini Lugd. Episc. & Conf. & SS. Nicomedis & Valeriani. m. *In majori Ecclesia.* Dedicatio Ecclesiæ S. Stephani. *duplex. 1. Class.*
viij	g	xvi	16	Eufemiæ, Luciæ & Geminiani mart. *iij. Lect.*
vij	A	xv	17	
vj	b	xiv	18	Ferreoli mart. *iij. Lect.*
v	c	xiii	19	
iv	d	xii	20	Vigilia. *Iejunium.*
iij	e	xi	21	MATTHÆI APOST. ET EVANG. *dup. mi.*
ij	f	x	22	Mauricii & socior. mart. *iii. Lect.*
i	g	ix	23	Theclæ Virg. & Mart. *iii. Lect.*
*	A	viii	24	Andochii, Thyrsi & Felicis m. *iii. Lect.*
xxix	b	vij	25	Lupi Episc. Lugd. & Conf. *iii. Lect.*
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Cosmæ & Damiani mart. *iii. Lect.*
25. xxvj	e	iv	28	Annemundi Lugd. Episcop. & mart. *semiduplex maj.*
25. xxiv	f	iii	29	DEDIC. S. MICHAELIS ARCHANGELI. *duplex. minus.*
xxiii	g	Prid.	30	Hieronym. Presb. & Conf. *semid. ma.*

OCTOBER

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
xxii	A	Kal.	1	Remigij & Germani Episc. & Confess. *iij. Lect.*
xxi	b	vi	2	Leodegarij Episc. & mart. *iij. Lect.* SS. Angelorum Custodum. *duplex minus fuit celebratum in majori Ecclesia 8. Iulij.*
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Francisci Confess. *iij. Lect.*
xviii	e	iii	5	Apollinaris Episc. & Confess. *iij Lect.*
xvii	f	Prid.	6	Fidis Virg. & Mart. *iij. Lect. Commem.* S. Brunonis Confess.
xvi	g	Non.	7	Marci Papæ & Confess. *iij. Lect.*
xv	A	viij	8	
xiv	b	vii	9	Dionysij, Rustici, & Eleutherij mart.
xiii	c	vi	10	*semid. maj.*
xii	d	v	11	
xi	e	iv	12	Eugendi Confess. *iij. Lect.*
x	f	iij	13	Geraldi Confess. *iij. Lect.*
ix	g	Prid.	14	Calixti Papæ & Confess. *iij. Lect. Com.* Transitus seu depositio S. Justi Episc. Confess. *in Missa.*
viii	A	Idib.	15	Antiochi Episc. Lugd. & Conf. *iij. Lect.*
vii	b	xvii	16	
vi	c	xvi	17	Florentij Episc. & Confess. *iij. Lect.*
v	d	xv	18	Lucæ Evangelistæ *duplex mi.*
iv	e	xiv	19	
iii	f	xiii	20	
ii	g	xii	21	Viatoris Confess. *iij. Lect. Commemorat.*
i	A	xi	22	SS. Ursulæ & soc. mart.
*	b	x	23	
xxix.	c	ix	24	
xxviii	d	viii	25	Crispini & Crispiniani mart. *iij. Lect.*
xxvii	e	vii	26	Remigij Lugd. Episc. & Conf. *iij. Lect.*
xxvi	f	vi	27	Vigilia. *Jejunium.*
25. xxv	g	v	28	SIMONIS ET JUDÆ APOST. *duplex. min.*
xxiv	A	iv	29	
xxiii	b	iii	30	
xxii	c	Prid.	31	Vigil. *Jejun. Com.* S. Quintini. *in Missa.*

NOVEMBER.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis	
xxj	d	Kal.	1	FESTUM OMNIUM SANCTORUM. *duplex. majus.*
xx	e	iv	2	Eustachii & socior. ejus mart. *iij. Lect. Commemoratio major omnium fidelium Defunctorum.*
xix	f	iij	3	
xviij	g	Prid.	4	Caroli Episc. & Confess. *semid. maj. In maj. Eccles. Duplex maj.*
xvij	A	Non.	5	
xvj	b	viij	6	
xv	c	vij	7	
xiv	d	vj	8	Quatuor coronatorum mart. *iij. Lect.*
xiij	e	v	9	Theodori mart. *iii. Lect.*
xij	f	iv	10	
xj	g	iij	11	MARTINI EPISC. ET CONFES. *semid. maj. Com.* S. Verani Lugd. Episc.
x	A	Prid.	12	
ix	b	Idib.	13	Brixii Episc. & Confess. *iii. Lect.*
viij	c	xviij	14	Rufi Confess. *iii. Lect.*
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	Eucherii 2. Lugd. Ep. & Cōf. *sem. maj.*
v	f	xv	17	Edmundi Episc. & Conf. *iii. Lect.*
iv	g	xiv	18	Romani & sociorum ejus mart. *sem. maj. Comm.* S. Gregorii Taumaturgi Episc. & Confess.
iii	A	xiij	19	
ii	b	xij	20	
i	c	xj	21	Præsentatio B. Mariæ Virg. *dupl. min. Comm.* S. Columbani Abbatis.
*	d	x	22	Cæciliæ Virg. & mart. *semid. minus.*
xxix	e	ix	23	IRENÆI LUGD. EPISC. & 19. millium Lugd. martyr. *dup. mai.*
xxviij	f	viij	24	Clementis Papæ & mart. *sem. min. Cō.* Oct. SS. Martyrū. & S. Chrysogoni. m.
xxvij	g	vij	25	Catharinæ Virg. & m. *dupl. mi. Cō.* Oct.
25. xxvj	A	vj	26	De Oct. SS. Martyrum *Comm.* S. Lini Papæ & mart.
25. xxiv	b	v	27	De Oct. *Cō.* SS. Saturnini & Saturnini.
xxiij	c	iv	28	De Octava *Comm.* S. Sileæ Apost.
xxij	d	iii	29	De Oct. *Com.* Vigiliæ. *Iejunium.*
xxj	e	Prid.	30	ANDREÆ APOST. *duplex min. Com.* Oct.

DECEMBER

Cyclus Epact.	*Litteræ Dom.*		*Dies mensis*	
xx	f	Kal.	1	
xix	g	iiii	2	
xviij	A	iii	3	
xvij	b	Prid.	4	*Com.*B.Barbaræ Virginis & mart.
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viii	6	Nicolai Episc. & Conf. *semid. maj.*
xiv	e	vii	7	
xiij	f	vi	8	CONCEPTIO B. V. M. *duplex maj.*
xij	g	v	9	De Octava.
xj	A	iv	10	De Octava. *Com.*S.Eulaliæ Virg. & m.
x	b	iii	11	De Octava.
ix.	c	Prid.	12	De Octava.
viij	d	Idib.	13	De Octava. *Com.* S.Luciæ Virg. & m.
vij	e	xix	14	De Octava.
vj	f	xviij	15	Octava Conceptionis B.Marię Virg. *semid. maj.*
v	g	xvii	16	
iv	A	xvi	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiii	20	Vigilia. *Carnis abstinentia.*
*	e	xii	21	THOMÆ APOSTOLI. *duplex mi.*
xxix	f	xi	22	
xxviii	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia. *Iejunium.*
xxvj	b	viii	25	NATIV. DÑI NOSTRI JESU CHRISTI. *Duplex* 1.*Classis.*
xxv	c	vii	26	STEPHANI PROTOMART. *dupl.* 1. *Classis.*
xxiv	d	vi	27	JOANNIS APOST. ET EVANGELIST. *duplex.* 1. *Classis.*
xxiij	e	v	28	SS. INNOCENTIUM MART. *dupl. maj.*
xxii	f	iv	29	Thomę Episc. & mart. Canon.Lugd. *semid. maj. Com.* S. Trophimi Episc. & Confess. *in Missa.*
xxi	g	iii	30	De Octava.
* 19.xx	A	Prid.	31	Sylvestri Papę & Conf. *semid. mi. In majori Ecclesia* Columbę Virg. & mart. *semid. mi.*

DEPRE

DEPRECATIONES
ET BENEDICTIONES.

Dicendæ ante Lectiones in Officio novē, & iij. Lectionū.

In j. Nocturno, & in Officio trium Lectionum.

DEPRECATIO

℣. Exúrge Dñe ádjuva nos.
℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

SUſcipe deprecatiónem noſtram Dómine Jeſu Chriſte; qui cum Patre & Spíritu ſancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculórū. ℟. Amen.

Benedictiones primi Nocturni, & pro ij. & v. Feria in Officio trium Lectionum.

1. Adjútor & propítius ſit nobis omnípotēs & miſéricors Dñs. ℟. Amen.
2. Benedictiónibus ſuis répleat nos omnípotens & miſéricors Dóminus.
3. Cœléſtem Benedictiónē tríbuat nobis omnípotens & miſéricors Dóminus.

In ſecundo Nocturno.

DEPRECATIO.

℣. Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam.
℟. Et ſalutáre tuum da nobis.

Benedictiones ij. Nocturni & pro iij. & vj. Feria.

4. Deus Dei Fílius nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.
5. Ætérnam Benedictiónē tríbuat nobis omnípotēs, & miléricors Dóminus.
6. Grátia Spíritûs ſancti illúminet ſenſus & corda noſtra. ℟. Amen.

In tertio Nocturno.

DEPRECATIO.

℣. Adjutórium noſtrū in nómine Dñi. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

Benedictiones iij. Nocturni & pro iv. Feria & Sabbato.

7. Redémptor humáni géneris nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.
8. Unigénitus Dei Fílius, nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.
9. Ad ſupernórum cívium ſocietátem perdúcat nos omnípotens & miſéricors Dóminus. ℟. Amen.

In Officio trium Lectionum loco ultimæ Benedictionis prædictæ dicitur.

Trínitas Sancta nos benedícat & ab omni malo deféndat.
℟. Amen.

SERMO SANCTI BERNARDI Abbatis.

Serm. 47. in Cantica.

MOneo vos, dilectissimi; purè semper, ac strenuè; divinis interesse laudibus. Strenuè quidem; ut sicut reverenter, ita & alacriter Domino assistatis. Non pigri. Non somnolenti. Non oscitantes. Non parcentes vocibus. Non præscindentes verba dimidia. Non integra transilientes. Non fractis & remissis vocibus, muliebre quoddam, balbâ de nare sonantes: sed virili (ut dignum est) & sonitu & affectu; voces sancti Spiritûs depromentes. Purè verò: ut nihil aliud dum psallitis, quàm quod psallitis, cogitetis. Spiritus enim sanctus illâ horâ gratum non recipit; quidquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Huc usque S. Bernardus.

Psalmodiam non multùm protrahamus: sed rotunda & viva voce cantemus. Metrum & finem versûs simul intonemus: & simul dimittamus. Punctum nullus teneat: sed citò dimittat. Post punctum, bonam pausam faciamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere præsumat: aut post alios nimiùm trahere vel punctum tenere. Simul cantemus: simul pausemus: semper in auscultando. Amen.

Ideò bene agite, & in aliquo nolite timere.

PSAL





Fol. 1.

ORDO PSALTERII ET OFFICII DE TEMPORE.

Secundùm Usum Lugdunensis Ecclesiæ, Primæ Galliarum Sedis.

DOMINICA AD MATUTINUM.

Ante Matutinum, & omnes Horas dicitur secretò.

PATER noster, qui es in cælis : sanctificétur nomen tuum : advéniat regnum tuum : fiat volúntas tua, sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie : & dimítte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris : Et ne nos indúcas in tentatiónē: sed líbera nos à malo, Amen.

AVe María, grátia plena, Dóminus tecum benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui Jesus. Sancta María mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc & in horâ mortis nostræ. Amen.

℣. Sancti Spiritûs adsit nobis grátia. Amen.

Deinde clara voce dicitur ℣.

DOmine lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. ℣. Deus in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio & nunc & semper & in sæcula sæculórum, Amen. Allelúia.

Sic dicitur Allelúia. *ad omnes Horas per totum annum præterquam à Dominica in Septuagesima usque ad Feriam Quintam in Cœna Dñi : tunc enim*

dicitur, Laus tibi Dómine Rex ætérnæ glóriæ.

Invitatorium sequens dicitur singulis Dominicis in quibus proprium non assignatur.

Invitatorium. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos. *Repetitur.* Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Psalmus 94.

VEníte exultémus Dómino jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne: & in psalmis jubilémus ei. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus super omnes deos: quóniã non repéllet Dñs plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipse cónspicit. Adorémus Deũ, quia ipse fecit nos.

Quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte adorémus, & procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster: nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra sicut in exacerbatióne secúndùm diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt, & vidérunt ópera mea. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi; Semper hi errant corde: ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in irâ meâ, si introíbunt in réquiem meam. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum, Amen. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Aliis temporibus Invitatorium dicitur quod habetur in Proprio de Tempore, pro Officij varietate, quod & in Capitulis ad Laudes & aliis similibus servetur. In Psalterio non dicitur ℣. Glória Patri, *nisi ubi notatur.*

IN

IN I. NOCTURNO.

Absolute sine Ant. dicuntur duodecim Psalmi sequentes.

Psalmus 1.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum: * & in via peccatorum non stetit: * & in cathedra pestilentiæ non sedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus: * & in lege ejus meditabitur, die ac nocte.

Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum,* quod fructum suum dabit, in tempore suo.

Et folium ejus non defluet: * & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic:* sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio:* neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum: * & iter impiorum peribit.

Psalmus 2.

Quare fremuerunt Gentes: * & populi meditati sunt inania?

Astiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum: * adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * & projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cælis irridebit eos: * & Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: * & in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: * ego hodie genui te.

Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam: * & possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea: * & tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudimini qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * & exultate ei cum tremore.

Apprehendite discipli-

nam : * nequándo iraſcátur Dóminus, & pereátis de viâ juſtâ.

Cùm exárſerit in brevi ira ejus : * beáti omnes qui confidunt in eo.

Pſalmus 3.

DOmine quid multiplicáti ſunt qui tríbulant me : * multi inſúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem Dómine ſuſcéptor meus es : * glória mea,& exáltās caput meũ.

Voce meâ ad Dóminum clamávi : * & exaudívit me, de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi & ſoporátus ſum : * & exurréxi, quia Dñs ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge Dómine ſalvum me fac, Deus meus,

Quóniam tu percuſsíſti omnes adverſántes mihi ſine causâ : * dentes peccatórum contrivíſti.

Dómini eſt ſalus : * & ſuper pópulum tuum, benedíctio tua.

Pſalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me: * neque in irâ tua corrípias me.

Miſerére mei Dómine, quóniam infírmus ſum:* ſana me Dómine , quóniam conturbáta ſunt,ómnia oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valdè : * ſed tu Dómine uſquequo ?

Convértere Dómine,& éripe ánimam meam:* ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tui:* in inférno autem , quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo: * lavábo per ſíngulas noctes lectum meum:* lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes , inimícos meos.

Diſcédite à me omnes qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus, vocem fletus mei.

Exaudìvit Dóminus deprecatiónem meam : * Dóminus oratiónẽ meam ſuſcépit.

Erubéſcant, & conturbéntur

béntur veheménter, omnes inimíci mei: * convertántur & erubéſcant, valdè velóciter.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto.

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper: * & in ſæcula ſæculórum, Amen.

Pſalmus 7.

DOmine Deus meus in te ſperávi: * ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam: * dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat.

Dómine Deus meus ſi feci iſtud: * ſi eſt iníquitas in mánibus meis.

Si réddidi retribuéntibus mihi mala: * décidam méritò ab inimícis meis inánis.

Perſequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat: * & concúlcet in terrâ vitam meam: * & glóriam meam, in púlverem dedúcat.

Exúrge Dómine in irâ tuâ: * & exaltáre in fínibus, inimicórum meórum.

Et exúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandáſti: * & ſynagóga populórũ, circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me Dómine ſecúndùm juſtítiã meam: * & ſecúndùm innocéntiam meam ſuper me.

Conſumétur nequítia peccatórum, & díriges juſtum: * ſcrutans corda & renes Deus.

Juſtum adjutórium meũ à Dómino: * qui ſalvos facit rectos corde.

Deus judex juſtus, fortis & pátiens: * numquid iráſcitur per ſíngulos dies?

Niſi convérſi fuéritis, gládium ſuum vibrábit: * arcum ſuum teténdit, & parávit illum.

Et in eo parávit vaſa mortis: * ſagíttas ſuas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injuſtítiam: * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum: * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus: * & in vérticem ipsíus, iníquitas ejus deſcéndet.

Confitébor Dómino secúndùm justítiam ejus: * & psallam nómini Dómini Altíssimi. *Psalmus* 8.

DOmine Dóminus noster : * quàm admirábile est nomen tuum, in univérsâ terrâ !

Quóniam eleváta est, magnificéntia tua super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem, propter inimícos tuos: * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum:* lunam & stellas quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum;

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis : * glóriâ & honóre coronásti eum : * & constituísti eum, super ópera manuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus : * oves & boves univérsas : * ínsuper & pécora campi.

Vólucres cœli & pisces maris : * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster : * quàm admirábile est nomen tuum, in univérsâ terrâ ! *Psalmus* 9.

COnfitébor tibi Dñe in toto corde meo:* narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te : * psallam nómini tuo Altíssime.

In converténdo inimícum meum retrórsum : * infirmabúntur, & períbunt à fácie tuâ.

Quóniam fecísti judícium meum & causam meam:* sedes super thronum, qui júdicas justitiã.

Increpásti Gentes, & périit ímpius : * nomen eórum delésti in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem : * & civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu:* & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum: * & ipse judicábit orbem terræ in æquitáte : * judicábit pópulos in justítiâ.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi : * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Sperent

Sperent in te qui novérunt nomen tuum:* quóniã non dereliquísti quæréntes te Dómine.

Psállite Dómino, qui hábitat in Sion: * annuntiáte inter Gentes stúdia ejus.

Quóniam requírens sãguinem eórum recordátus est: * non est oblítus clamórem páuperum.

Miserére mei Dómine:* vide humilitátem meam, de inimícis meis.

Qui exáltas me de portis mortis: * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas, in portis fíliæ Sion.

Exultábo in salutári tuo: * infíxæ sunt Gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto, quem abscondérunt: * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum suárum, cõprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum: * omnes Gentes quæ obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exúrge Dómine, non confortétur homo: * judicéntur Gentes in conspéctu tuo.

Constítue Dómine legislatórem super eos: * sciant Gentes quóniam hómines sunt.

Ut quid Dómine recessísti longè: * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper:* comprehendúntur in cõsíliis, quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ: * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor: * secúndùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus: * inquinátæ sunt viæ illíus, in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * Non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os

plenum est, & amaritúdine, & dolo : * sub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis : * ut interficiat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * insidiátur in abscóndito, quasi leo, in speluncâ suâ.

Insidiátur ut rápiat páuperem : * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum: * inclinábit se & cadet, cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo, Oblítus est Deus: * avértit fáciem suam, ne vídeat in finem.

Exúrge Dómine Deus, & exaltétur manus tua: * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum ? * dixit enim in corde suo, Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas : * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper : * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni:* quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in sæculum sæculi : * períbitis Gentes de terrâ illius.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus : * præparatiónes cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo & húmili:* ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terrâ. *Psalmus* 10.

IN Dómino confído : * quómodo dícitis ánimæ meæ : * Tránsmigra in montem sicut passer ?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum : * paravérunt sagíttas suas in pháretrâ:* ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti destruxérunt : * justus autem quid fecit ?

Dóminus in templo sancto suo: * Dóminus in cælo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt:*pálpebræ ejus intérrogant, filios hóminum.

Dóminus intérrogat justum & ímpium:*qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet

Pluet ſuper peccatóres láqueos:* ignis,& ſulphur & ſpíritus procellárum, pars calícis eórum.

Quóniam juſtus Dóminus, & juſtítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus. Glória Patri.

Pſalmus 11.

SAlvum me fac Dómine, quóniam defécit ſanctus: * quóniam diminútæ ſunt veritátes, à filiis hóminum.

Vana locúti ſunt unuſquíſque ad próximum ſuum: * lábia dolóſa in corde,& corde locúti ſunt.

Diſpérdat Dóminus univérſa lábia dolóſa: * & linguam magníloquam.

Qui dixérunt, Linguam noſtrã magnificábimus: * lábia noſtra à nobis sũt:* Quis noſter Dóminus eſt?

Propter miſériam ínopum, & gémitum páuperum: * nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in ſalutári: * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia caſta:* argéntum igne examiná[illegible]:* probátum terræ,[illegible]túm séptuplum.

Tu Dñe ſervábis nos:* & cuſtódies nos à generatióne hac,in ætérnum.

In circúitu ímpij ámbulant: * ſecúndùm altitúdinem tuam multiplicáſti,filios hóminum.

Pſalmus 12.

USquequò Dómine oblivíſcéris me in finem? * úſquequò avértis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam consília in ánimâ meâ: * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me?* réſpice,& exáudi me Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus, Præválui advérsùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero: * ego autem in miſericórdiâ tuâ ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo: * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi: * & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Pſalmus 13.

DIxit insípiens in corde ſuo: * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt, & abominábiles facti ſunt in ſtúdiis ſuis: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Dóminus de cælo proſpéxit ſuper filios hóminũ:* ut videat ſi eſt intélligens, aut requírens Deũ.

Omnes declinavérunt:* ſimul inútiles facti ſunt:* non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Sepúlchrum patens eſt guttur eórum: * linguis ſuis dolósè agébant: * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum eſt: * velóces pedes eórũ, ad effundéndũ sánguinẽ.

Contrítio & infelícitas in viis eórum: * & viam pacis non cognovérunt: * non eſt timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóſcent omnes qui operántur iniquitátem:*qui dévorant plebem meã ſicut eſcã panis.

Dñm non invocavérũt:* illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne juſtâ eſt: * consílium ínopis confudíſtis: * quóniam Dóminus ſpes eius eſt.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſraël?* cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſraël.

Pſalmus 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingréditur ſine mácula: * & operátur juſtítiam.

Qui lóquitur veritátem in corde ſuo: * qui non egit dolum in linguâ ſuâ.

Nec fecit próximo ſuo malum: * & oppróbrium non accépit, advérsùs próximos ſuos.

Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu eius malignus: * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo ſuo & non décipit: * qui pecúniam ſuam non dedit ad usúram: * & múnera ſuper innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum.

Glória Patri. Allelúia.

A Septuageſima verò uſque ad Paſcha dicitur,

Laus

Laus tibi Dómine Rex ætérnæ glóriæ.

Per Annum, ℣. Memor fui nocte nóminis tui Dómine. ℟. Et custodívi legem tuam.

In Adv. ℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. Deus noster manifésté veniet.

Post Versum cujuslibet Nocturni dicitur, Pater noster, *secretò*. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Deprecatio, ℣.

EXúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Súscipe deprecatiónem nostrã Dñe Jesu Christe; qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus : per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen. ℣. Domne jube benedícere. *Benedictio*. 1. Adjútor & propítius sit nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Deinde leguntur Lectiones cum Responsoriis, ut in Proprio de Tempore assignantur.

Pro ij. Lectione, *Bened.* Benedictiónibus suis répleat nos omnípotens & miséricors Dñs. ℟. Amé.

Pro iij. Lectione, *Benedictio.* Cœléstem benedictiónem tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

Antiphona. Conserva me.

Et non repetitur in Psalmo : quod semper fit quando Antiphona incipit à primo Versu Psalmi.

Psalmus 15.

COnsérva me Dómine, quóniam sperávi in te : * dixi Dómino, Deus meus es tu; * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terrâ eius: * mirificávit omnes volútátes meas, in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * pósteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum, per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei : * tu es qui restítues, hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim hæréditas mea, præclára est mihi.

Benedícam Dóminum,

qui tríbuit mihi intelléctum : * ínsuper & usque ad noctem, increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum,&exultávit lingua mea : * ínsuper & caro mea, requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * neque dabis Sanctum tuum, vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ:*adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua, usque in finem.

Glória Patri.

Per Annum, Antiph. Consérva me Dómine quóniam in te sperávi.

Antiph. Inclína Dómine.

Psalmus 16.

EXáudi Dómine justítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam : * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo iudícium meum pródeat : * óculi tui vídeant æquitátem.

Probásti cor meum, & visitásti nocte : * igne me examinásti : * & non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum, ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis : * ut non moveántur, vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me Deus : * inclína aurem tuam mihi, & exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas : * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me : * ut pupíllam óculi.

Sub umbrâ alárum tuárum prótege me : * à fácie impiórum, qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, * ádipem suum conclusérunt:* os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * óculos suos statuérunt, declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam : * & sicut

ficut cátulus leónis, hábitans in ábditis.

Exúrge Dómine, prævéni eum, & supplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio: * frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine à paucis de terra dívide eos, in vitâ eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est, venter eórum.

Saturáti sunt filiis: * & dimisérunt relíquias suas, párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo cõspéctui tuo: * satiábor cùm apparuérit glória tua. Glória Patri.

Antiphona. Inclína Dómine aurem tuam mihi, & exáudi verba mea.

Antiph. Díligam te.

Psalmus 17.

Díligam te Dómine fortitúdo mea: * Dóminus firmaméntũ meũ, & refúgium meum: * & liberátor meus.

Deus meus, adjûtor meus: * & sperábo in eũ

Protéctor meus, & cornu salútis meæ: * & suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum: * & ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * & torréntes iniquitátis, conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me: * præoccupavérũt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum: * & ad Deum meum clamávi.

Et exaudívit de templo sancto suo vocẽ meam: * & clamor meus in conspéctũ ejus, introívit in aures ejus.

Commota est, & contrémuit terra: * fundaménta móntium conturbáta sunt, & commóta sunt: * quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus: * & ignis à fácie ejus exársit: * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cælos & descéndit: * & calígo, sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, & volávit: * volávit super pennas ventórũ.

Et pósuit ténebras latíbulum suum: * in circúitu ejus tabernáculũ ejus: * tenebrósa aqua, in núbibus aëris.

Præ

Præ fulgóre in cõſpéctu ejus nubes tranſiérunt : * grando & carbónes ignis.

Et intónuit de cælo Dominus:* & Altiſſimus dedit vocem ſuam : * grando & carbónes ignis.

Et miſit ſagíttas ſuas,& diſſipávit eos : * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárũ: *& reveláta ſunt fundaménta orbis terrárũ.

Ab increpatióne tuâ Dómine : * ab inſpiratióne ſpíritûs iræ tuæ.

Miſit de ſummo , & accépit me : * & aſſúmpſit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortiſſimis, & ab his qui odérunt me : * quóniam confortáti ſunt ſuper me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ : * & factus eſt Dóminus, protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem : * ſalvum me fecit quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiã meam:* & ſecúndùm puritátem mánuum meárum, retríbuet mihi.

Quia cuſtodívi vias Dómini : * nec impiè geſſi, à Deo meo.

Quóniam omnia judícia ejus in cõſpéctu meo:* & juſtitias ejus, non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo : * & obſervábo me,ab iniquitáte meâ.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam: * & ſecúndùm puritátem mánuum meárum , in conſpéctu oculórum ejus.

Cum ſancto ſanctus eris : * & cum viro innocénte, ínnocens eris.

Et cum elécto eléctus eris : * & cum pervérſo pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem ſalvum fácies:* & óculos ſuperbórum , humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam , Dómine : * Deus meus illúmina , ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne : * & in Deo meo , tranſgrédiar murum.

Deus meus impollúta via ejus : * elóquia Dómini igne examináta : *

protéctor

protéctor est ómnium, sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus, qui præcínxit me virtúte: * & pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum: * & super excélsa státuẽs me.

Qui docet manus meas ad prælium: * & posuísti ut arcum æreum, bráchia mea.

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ: * & déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua corréxit me in finem: * & disciplína tua, ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me: * & non sunt infirmáta vestígia mea.

Pérsequar inimícos meos, & comprehéndam illos: * & non convértar, donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum: * & supplantásti insurgéntes in me, subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum: * & odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret ad Dóminũ:* nec exaudívit eos.

Et commínuam eos ut púlverem ante fáciẽ venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli:*constítues me,in caput Géntiũ.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi: * in audítu auris, obedívit mihi.

Fílij aliéni mentíti sunt mihi: * filij aliéni inveteráti sunt: * & claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus: * & exaltétur Deus, salútis meæ.

Deus qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me: * liberátor meus de inimícis meis iracúdis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: * à viro iníquo erípies me.

Proptéreà confitébor tibi in natiónibus Dómine: * & nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes Regis

gis eius: * & fáciens misericórdiã Christo suo David: * & sémini eius, usq; in sæculũ. Glória Patri.

Antiphona. Diligam te Dómine virtus mea.

Per Annũ. ℣. Médiâ nocte surgébam. ℟. Ad confiténdũ tibi super judícia justítiæ tuæ.

In Adventu. ℣. Memento nostri Dómine in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo. Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Deprecatio, ℣. Osténde nobis Dómine, misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis. ℣. Domne jube benedícere. *Bened.* Deus Dei Fílius nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Pro v. Lectione, Bened. Ætérnã benedictiónẽ tríbuat nobis omnípotens & misericors Dñs. ℟. Amen.

Pro vj. Lectione, Bened. Grátia Spíritus sancti illúminet sensus & corda nostra. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

Per Annum, Antiph. Allelúia. *In Choro cantatur ad modulum Añæ* Domine adjutor, *sub qua sola dicuntur tres Psalmi sequentes.*

A Septuagesima ad Pascha, Antiph. Dómine.

Psalmus 18.

CÆli enárrant glóriam Dei: * & ópera mánuum eius, annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum: * & nox nocti, índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ neque sermónes: * quorum non audiántur, voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * & in fines orbis terræ, verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * à summo cælo egréssio ejus.

Et occúrsus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat, à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætifi-

lætificántes corda: * præcéptum Domini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus pérmanet in ſæculum ſæculi:* judícia Dómini vera, iuſtificáta in ſemetípſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multum : * & dulciora, ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea : * in cuſtodiéndis illis, retribútio multa.

Delícta quis intélligit: ab occúltis meis munda me: * & ab aliénis, parce ſervo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * & emundábor, à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei:* & meditátio cordis mei, in conſpéctu tuo ſemper.

Dómine adiútor meus, & redémptor meus.

Glória Patri.

Antiph. Dómine adiútor meus & redémptor meus.

Ant. Mittat tibi Dñs.

Pſalmus 19.

EXaúdiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de ſancto:* & de Sion tueátur te.

Memor ſit omnis ſacrifícii tui : * & holocaúſtum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi ſecúndùm cor tuum:* & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in ſalutári tuo : * & in nómine Dei noſtri, magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas:*nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus, Chriſtum ſuum.

Exáudiet illum de cælo ſancto ſuo:*in potentátibus ſalus, déxteræ eius.

Hi in cúrribus, & hi in equis:* nos autem in nómine Dómini Dei noſtri, invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt:* nos autem ſurréximus, & eré cti ſumus.

Dómine ſalvum fac Regem : * & exáudi nos in die, qua invocavérimus te. Glória Patri.

Antiph. Mittat tibi Dóminus auxíliũ de ſancto.

Ant. Cantábimus & pſallémus. *Pſalm.*20.

DOmine in virtúte tua lætábitur Rex : * & ſuper

ſuper ſalutáre tuum, exultábit veheménter.

Deſidérium cordis eius tribuíſti ei : * & voluntáte labiórum eius, nō fraudáſti eum.

Quóniam prævenîſti eum in benedictiónibus dulcédinis : * poſuíſti in cápite eius, corónam de lápide pretióſo.

Vitam pétiit à te, & tribuíſti ei : * longitúdinem diérum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magna eſt glória eius in ſalutári tuo: * glóriam & magnum decórem, impónes ſuper eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in ſæculū ſæculi : * lætificábis eum in gáudio, cum vultu tuo.

Quóniam Rex ſperat in Dómino : * & in miſericórdiâ Altíſſimi, non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat, omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in irâ ſuâ conturbábit eos : * & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terrâ perdes : * & ſemen eórum, à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala:* cogitavérunt consília, quæ non potuérunt ſtabilíre.

Quóniā pones eos dorſum : * in relíquiis tuis, præparábis vultum eorū.

Exaltare Dómine in virtúte tuâ : * cantábimus & pſallémus, virtútes tuas. Glória Patri.

Per Annum, *Aña.* Alleluia, allelúia, allelúia. ℣. Exaltáre Dñe in virtúte tua ℟. Cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

In Adventu, ℣. Egrediétur virga de Radice Jeſſe. ℟. Et flos de radíce ejus aſcéndet.

A ſeptuageſ. ad Paſcha. *Aña.* Cantabimus & Pſallemus, virtutes tuas Dñe. Pater noſter, *ſecretò*. ℣. Et ne nos inducas. ℟. Sed libera nos à malo.

Deprecatio. ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Domne jube benedícere. *Benedictio.* Redémptor humáni genéris nos benedícere & adiuváre dignétur. ℟. Amen.

Pro

Pro viij. Lectione, Bened Unigénitus Dei Fílius nos benedícere & adiuváre dignétur. ℟. Amen.

Pro ix. Lectione, Bened. Ad supernórum cívium societátem, perdúcat nos omnípotens & misericors Dóminus. ℟. Amen.

Sequens Hymnus semper dicitur post ultimam Lectionem & Responsorium in omnibus Dominicis à Paschate ad Adventum, à Nativitate Domini usque ad Septuagesimam, & in omnibus Festis duplicibus, aut ubi notatur.

Hymnus.

TE Deum laudámus: te Dñm, confitémur.

Te ætérnum Patrem: omnis terra, venerátur.

Tibi omnes Angeli: tibi cæli, & univérsæ potestátes.

Tibi Chérubim & Séraphim: incessábili voce proclámant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dñs, Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli & terra: glóriâ, majestátis tuæ.

Te, gloriósus: Apostolórum chorus.

Te, Prophetárum: laudábilis númerus.

Te, Mártyrum candidátus: laudat exércitus.

Te, per orbem terrárum: sancta confitétur Ecclésia.

Patrem, imménsæ majestátis.

Venerándum tuum verum: & únicum Fílium.

Sanctum quoque, paráclerum Spíritum.

Tu Rex glóriæ Christe.

Tu Patris, sempitérnus es Fílius.

Tu ad liberándum susceptúrus hóminem: non horruísti, Vírginis úterũ.

Tu devícto mortis acúleo: aperuísti credéntibus, regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes · in glória Patris.

Judex créderis esse ventúrus.

Te ergo quæsumus fámulis tuis súbveni: quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérnâ fac cum sanctis tuis: glóriâ munerári.

Salvum fac pópulum tuum Dómine: & bénedic, hæreditári tuæ.

Et rege eos, & extólle illos, usque in ætérnum.

Per síngulos dies, benedícimus te.

Et laudámus nomen

tuum

tuum in sæculum : & in æculum sæculi.

Dignáre Dñe die isto sine peccáto, nos custodíre.

Miserére nostri Dómine : miserére nostri.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos:quemádmodũ sperávimus in te.

Glória Patri, & Fílio & Spíritui sancto, &c.

In te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnũ.

AD LAUDES.

Versus sacerdotalis.

Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

DEus in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adiuvándum me festína. Glória Patri & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio & nunc & semper: & in sæcula sæculórum, Amen. Allel. *vel* Laus tibi Dñe Rex ætérnæ glóriæ.

Pro temporis diversitate.

A Dominica post Octavam Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, & à tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventũ.

Antiph. Allelúia. *In Choro cantatur sub modulo Antiphonæ* Et respiciétes,

Psalmus 92.

DOminus regnávit decórem indútus est : * indútus est Dóminus fortitúdinẽ, & præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ: * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc* à sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina Dómine : * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos : * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris : * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis:* domum tuam decet sanctitúdo Dómine, in longitúdinem dierum.

Glória Patri.

Psalmus 99.

JUbiláte Dómino omnis terra : * servíte Dómino in lætítiâ.

Introíte in conspéctu ejus in exultatione: * scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ eius, intioíte portas eius in confessióne : * átria

tria eius in hymnis, confitémini illi.

Laudáte nomen eius, quóniam suávis est Dóminus: * in ætérnum misericórdia eius: * & usque in generatióne, & generatiónem véritas eius.
Glória Patri.

Psalmus 62.

DEus Deus meus: * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea* quàm multiplíciter tibi caro mea!

In terrâ desértâ, ínviâ, & inaquósâ, sic in sancto appárui tibi: * ut vidérem virtútem tuam, & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vitâ meâ: * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea: * & lábiis exultatiónis, laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te: * quia fuísti adiútor meus.


Et in velaménto alárum tuárum exultábo: * adhæsit ánima mea post te:* me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam: * introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo: * laudabúntur omnes qui iurant in eo: * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Psalmus 66.

DEus misereátur nostri, & benedícat nobis: * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri.



Ut cognoscámus in terrâ viam tuam: * in ómnibus Géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi populi Deus: * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exultent Gentes: * quoniam júdicas pópulos in æquitáte:* & Gentes in terrâ dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus: * confiteántur tibi pópuli omnes:* terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: * & métuant eum

eum omnes fines terræ. Glória Patri.

Antiph. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Per Annum, Aña. Tres púeri.

Canticum trium puerorum. Danielis 3.

BEnedícite ómnia ópera Dómini Dómino:* laudáte & superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite Angeli Dómini Dómino : * benedícite cæli Dómino.

Benedîcite aquæ, quæ super cælos sunt Dómino : * benedícite omnes virtútes Dómini Dño.

Benedícite sol & luna Dómino:* benedícite stellæ cæli Dómino.

Benedícite imber & ros Dómino : * benedícite omnis spíritus Dómino.

Benedícite ignis & æstus Dómino : * benedícite frigus, & æstus Dómino.

Benedícite rores & pruína Dómino : * benedícite gelu & frigus Dómino.

Benedícite glácies & nives Dómino : * benedícite noctes & dies Dómino.

Benedícite lux & ténebræ Dómino:* benedícite fúlgura & nubes Dómino: * benedícat terra Dómino.

Benedícite montes & colles Dómino : * benedícite univérsa germinántia terræ Dómino.

Benedícite fontes Dómino : * benedícite maría & flúmina Dómino.

Benedicite cete, & omnia quæ movéntur in aquis, Dómino : * benedícite omnes vólucres cæli Domino.

Benedícite omnes béstiæ & pecóra Dómino : * benedícite filij hóminum Dómino : * Benedícat Israël Dómino.

Benedícite sacerdótes Dómini Dómino : * benedícite servi Dómini Dómino.

Benedícite spíritus & ánimæ iustórum Dómino : * benedícite sancti & hûmiles corde Dómino.

Benedícite Ananía, Azaria, Mísaël Dómino, laudáte & superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patri & Fílio cum sancto Spíritu : * laudémus & superexalte

exaltémus eum in sǽcula.

Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli : * & laudábilis,& gloriósus, & superexaltátus in sǽcula.

Per Annum, Aña. Tres púeri jussu Regis in camínum missi sunt, non veréntes flammam ignis, dicébant : benedíctus Deus.

Per Annum, Aña. Allelúia. *Iuxta modulum Antiphonæ,* Data est mihi.

Psalmus 148.

LAudáte Dóminum de cælis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol & luna : * laudáte eum omnes stellæ & lumen.

Laudáte eum cæli cælórum : * & aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, & facta sunt : * ipse mandavit, & creáta sunt.

Státuit ea in sæculum,& in sæculum sæculi:* præcéptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra : * dracónes & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles : * ligna fructífera & omnes cedri.

Béstiæ & univérsa pécora : * serpéntes & vólucres pennátæ.

Reges terræ, & omnes pópuli: * príncipes & omnes júdices terræ.

Júvenes,& vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cælum & terram : * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * filiis Israël pópulo appropinquánti sibi.

Psalmus 149.

CAntáte Dómino cánticum novum : * laus ejus in Ecclesia sanctórũ.

Lætétur Israël in eo,qui fecit eum : * & filiæ Sion exúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano & psaltério psállant ei.

Quia beneplácitum est Dómino

Dómino in pópulo suo: * & exaltábit mansuétos, in salútem.

Exultábunt sancti in glória: * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum: * & gládij ancípites, in mánib9 eórũ.

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus: * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus;: * & nóbiles eórum, in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis iudícium conscríptum: * glória hæc est ómnibus sanctis eius. *Psalmus* 150.

LAudáte Dóminum in sanctis eius: * laudáte eum in firmaménto, virtútis eius.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secúndùm multitúdinem, magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudate eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis, & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonãtibus: * laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Gloria Patri.

Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, alleluia.

Sequens Capitulum dicitur in Dominicis, à secundâ post Epiphaniam usque ad Septuagesimam.

Capitulum.

BEnedíctio, & cláritas, & sapiéntia, & gratiárũ áctio; honor, virtus, & fortitúdo Deo nostro: in sæcula sæculórum, Amen. ℟. Deo grátias.

Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

Per Annum, ℣. Dóminus regnávit. ℟. Decórem índuit, allelúia, allelúia, allelúia.

In Adventu & à septuagesima usque ad quadragesimam Capitulum ℣. *&* ℟. *ut asignantur in proprio de tempore.*

Canticum Zachariæ.

Luc. 1.

BEnedíctus Dóminus Deus Isræl: * quia visitávit, & fecit redemptiónem, plebis suæ.

Et eréxit cornu, salútis nobis: * in domo David púeri sui.

Sicut

Sicut locútus est, per os sanctórum: * qui à sæculo sũt, Prophetárum ejus.

Salútem ex inimícis nostris: * & de manu ómnium, qui odérunt nos.

Ad faciéndam misericórdiam, cum pátribus nostris: * & memorári, testaménti sui sancti.

Jusjurándum quod jurávit, ad Abraham patrem nostrum: * datúrum se nobis.

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti: * serviámus illi.

In sanctitáte, & justítia coram ipso: * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus: * in remissiónem, peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos, óriens ex alto.

Illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros, in viam pacis.

Glória Patri.

Deinde dicitur Aña, & Oratio propria.

DOMINICA
ad Primam.

Pater noster. Ave María. Sancti Spíritus. ℣. Deus in adjutórium. Allelúia. *vel* Laus tibi Dñe Rex ætérnæ glóriæ. *pro temporis diversitate.*

Psalmus 53.

DEus in nómine tuo salvum me fac: * & in virtúte tua, júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam: * aúribus pércipe, verba oris mei.

Quóniam alièni insurrexérunt advérsùm me: * & fortes quæsiérunt ánimam meam: * & non proposuérunt Deum, ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * & Dóminus suscéptor est, ánimæ meæ:

Avérte mala inimícis meis: * & in veritáte tua, dispérde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi: * & confitébor nómini tuo Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: * & super inimícos meos, despéxit óculus meus.

Glória Patri, & Filio.

Sequens Psalmus Confitémini Dómino. *dicitur tantũ in Dominicis, quandò fit Officium de Dominica ut in Psalterio, præterquam in Dominicis à Pascha usque ad Pentecosten. à Septuagesima verò usque ad Pascha ejus loco dicitur Psal.* Dñs regnávit. *ut sup. in Laudib.* 20.

Psalmus 117.

Confitémini Dómino, quóniã bonus:* quóniam in sæculum, misericórdia ejus.

Dicat nunc Israël, quóniam bonus: * quóniam in sæculum, misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: * quóniam in sæculum, misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum: * quóniam in sæculũ, misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dñm: * & exaudívit me, in latitúdine Dñs.

Dóminus mihi adjútor:* non timébo, quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor:* & ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino: * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino:* quàm speráre in princípibus.

Omnes Gentes, circumdedérunt me: * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me: * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes: * & exarsérunt sicut ignis in spinis: * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Impúlsus, evérsus sum ut cáderem: * & Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus.* & factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis & salútis: * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem: * déxtera Dñi exaltávit me: * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar sed vivã:* & narrábo ópera Dñi.

Castígans castigávit me Dóminus:* & morti non trádidit me.

Aperite mihi portas justitiæ,

ſtitiæ, ingréſſus in eas confitébor Dómino: * hæc porta Dómini, juſti intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me: * & factus es mihi in ſalútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes: * hic factus eſt in caput ánguli.

A Dómino factum eſt iſtud: * & eſt mirábile in óculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus: * exultémus, & lætémur in ea.

O Dómine ſalvum me fac: * ô Dómine benè proſperáre: * benedíctus qui venit, in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Conſtitúite diem ſolémnem, in condénſis: * uſque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi: * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniã exaudíſti me: * & factus es mihi in ſalútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Glória Patri.

Pſalmus 118.

BEáti immaculáti in via: * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui ſcrutántur teſtimónia ejus: * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem: * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandáſti, mandáta tua cuſtodíri nimis.

Utinam dirigántur, viæ meæ: * ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas.

Tunc non confúndar: * cùm perſpéxero, in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis: * in eo quod dídici judícia juſtitiæ tuæ.

Juſtificatiónes tuas cuſtódiam: * non me derelínquas uſquequáque.

In quo córrigit adoleſcéntior viã ſuam: * in cuſtodiéndo ſermónes tuos.

In toto corde meo exquiſívi te: * ne repéllas me, à mandátis tuis.

In corde meo abſcóndi elóquia tua: * ut non peccem tibi.

Benedíctus es Dómine: * doce me juſtificatiónes tuas.

In lábiis meis pronũtiávi, ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórũ tuórum delectátus ſum: * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor: * & conſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tuis meditábor:* non oblivíſcar ſermónes tuos.

Glória Patri.

Retríbue ſervo tuo: * vivífica me, & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos: * & conſiderábo, mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra: * non abſcóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas: * in omni témpore.

Increpáſti ſupérbos: * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum: * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & advérsùm me loquebántur:* ſervus autem tuus exercebátur, in juſtificatiónibus tuis.

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt: * & consílium meum, juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit paviménto ánima mea:* vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudíſti me: * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me: * & exercébor, in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio:* confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me: * & de lege tua, miſerére mei.

Viã veritátis elégi:* judícia tua non ſũ oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis Dñe:* noli me cõfúndere.

Viam mandatórum tuórum cúcurri: * cùm dilatáſti cor meum.

Glória Patri.

Sequens Symbolum dicitur in Dominicis tantum, quando fit Officium de Dominica ut in Pſalt. & in feſto SS.Trinitatis.

Symbolum S. Athanaſij.

Quicúmque vult ſalvus eſſe, ante ómnia opus eſt ut téneat Cathólicam fidem: * quam niſi quiſque íntegram, inviolatámque

latámque ſerváverit : * abſque dúbio in ætér num períbit.

Fides autem Cathólica hæc eſt:* ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in unitáte venerémur: * neque confundéntes persónas:*neque ſubſtántiam ſeparántes.

Alia eſt enim persóna Patris: * ália Fílij : * ália Spíritûs ſancti : * ſed Patris, & Fílij, & Spíritûs ſancti,una eſt divínitas:* æquális glória, coætérna majéſtas.

Qualis Pater: * talis Fílius : * talis Spíritus sánctus.

Increátus Pater : * increátus Fílius : * increátus Spíritus ſanctus.

Imménſus Pater : * imménſus Fílius : * imménſus Spíritus ſanctus.

Ætérnus Pater: * ætérnus Fílius:* ætérnus Spiritus ſanctus : * & tamen non tres ætérni ſed unus ætérnus: * ſicut non tres increáti nec tres imménſi: * ſed unus increátus & unus imménſus.

Simíliter omnípotens Pater : * omnípotens Fílius: * omnípotens Spíritus ſanctus : * & tamen non tres omnipoténtes, ſed unus omnípotens.

Ita Deus Pater : * Deus Fílius : * Deus Spíritus ſanctus : * & tamen non tres Dij,ſed unus eſtDeus.

Ita Dóminus Pater : * Dóminus Fílius : * Dóminus Spíritus ſanctus : * & tamen non tres Dómini,ſed unus eſt Dóminus.

Quia ſicut ſigillátim unamquámque persónam Deum aut Dñm confitéri Chriſtiánâ veritáte compéllimur : * itá tres Deos aut Dños dícere,Cathólicâ religióne prohibémur.

Pater, à nullo eſt factus : * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre ſolo eſt: * non factus, nec creátus, ſed génitus.

Spíritus ſanctus à Patre & Fílio: * non factus, nec creátus, nec génitus, ſed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: * unus Fílius, non tres Fílij: * unus Spíritus ſanctus, non tres Spíritus ſancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut poſtérius nihil majus aut minus : * ſed

totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt, & coæquáles: * ita ut per ómnia sicut jam suprà dictum est, & únitas in Trinitáte, & Trínitas in unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse: * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem: * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi, fidéliter credat.

Est ergo fides recta: * ut credámus & confiteámur, quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius: * Deus & homo est.

Deus est, ex substántia Patris ante sæcula génitus: * homo est, ex substántia Matris, in sæculo natus.

Perféctus Deus: * perféctus homo, ex ánima rationáli, & humánâ carne subsístens.

Æquális Patri, secúndùm Divinitátem: * minor Patre, secúndùm humanitátem.

Qui licèt Deus sit & homo: * non duo tamen sed unus est Christus.

Unus autem, non conversióne Divinitátis in carnem: * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omnínò non confusióne substántiæ: * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro unus est homo: * ita Deus & homo, unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostrâ, descéndit ad ínferos: * tertiâ die resurréxit à mórtuis: * ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: * indè ventúrus est judicáre vivos & mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis: * & reddi túri sunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt ibunt in vitam ætérnam: * qui verò mala in ignem ætérnum.

Hæc est fides Cathólica: * quam nisi quisque fidéliter, firmitérque credíderit: * salvus esse non póterit.

Glória Patri. Allelúia. *vel* Laus tibi Dómine Rex ætérnæ glóriæ.

Deinde

Deinde dicuntur sequentes Preces.

℣. Exúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. Kyrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïsõ Christe eléïson. Kyrie eléïsõ. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Vivet ánima mea & laudábit te, & judícia tua adjuvábunt me. ℟. Errávi sicut ovis quæ périit: quære servum tuum Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus. Credo in Deum, *secretò*, Patrem omnipoténtem, creatórem cæli & terræ. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum: qui concéptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, & sepúltus: descéndit ad ínferos: tértiâ die resurréxit à mórtuis: ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: indè ventúrus est judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum. *Alta voce.* ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam, Amen. ℣. Réspice Dómine in servos tuos, & in ópera tua, & dírige filios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos: & ópera mánuum nostrárum dírige super nos: & opus mánuum nostrárum dírige.

Orémus. *Oratio.*

Dirígere, & sanctificáre dignéris Dómine Jesu Christe Fili Dei vivi hódiè corda & córpora nostra; ut in exequéndis mandátis tuis, & voluntáte tibi & actióne placeámus salvátor mundi; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus: Per ómnia sæcula sæculórum; ℟. Amen. ℣. Dignáre Dómine die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Dñe exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

AUge in nobis quæsumus Dómine fidem tuam ! & Spiritûs sancti lucem, in nobis semper accénde. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit & regnat Deus in unitáte ejúsdem Spíritûs sancti ! Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Prædicta Oratio dicitur etiam in festo SS. Trinitatis. In aliis verò festis & feriis dicitur ejus loco.

Orémus. *Oratio.*

VEritas tua, quæsumus Dómine, lúceat semper in córdibus nostris ! & omnis fálsitas inimíci destruátur. Per Dñm.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias;

Deinde in Choro legitur Martyrologium.

Posteà Hebdomadarius dicit. ℣. Pretióśa in conspéctu Dómini. ℟. Mors sanctórum ejus.

Et absolutè sine Orémus.

Oratio.

SAncta María, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Deum ! ut mereámur vitam ætérnam possidére. ℟. Amen

Chorus. ℣. Adjuva nos Deus salutáris noster, & propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos, & propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum, ne fortè dicant in Géntibus, Ubi est Deus eórum ? Glória Patri, & Fílio & Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórũ, Amen. Kyrie eléisõ. Kyrie eléis. Christe eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónẽ. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórũ Dómine delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus ! Genitrícis Fílij

tui

tui Dómini Dei nostri, & ómnium Sanctórum tuórum intercessióne salvémur. Per eúmdem Dñm.

Deinde dicitur secretò.

℣. Fidéliũ ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Et sic dicitur singulis diebus Dominicis & festis novem Lectionum, & per Octavas Paschæ, Pentecostes & Corporis Christi.

IN FERIALI OFFICIO *extra Tempus Paschale.*

AD PRIMAM.

Pater noster. Ave María. Sancti Spiritûs. ℣. Deus in adjutórium. *ut suprà.* Allelúia. *vel* Laus tibi Dñe Rex ætérnæ glóriæ.

Psalmus. Deus in nómine tuo. *ut suprà.* 25.

Deinde dicitur unus ex infrascriptis Psalmis, secundum Ferias distinctis. Sabbato autem dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis.

FERIA SECUNDA.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini: * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam: * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ. Glória Patri.

FERIA TERTIA.

Psalmus 24.

AD te Dñe levávi ánimã meã * Deus meus in te cõfido, nõ erubéscã.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Cōfundántur omnes iníqua agéntes, supervácuè.

Vias tuas Dómine demónstra mihi: * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tuâ, & doce me: * quia tu es Deus salvátor meus: * & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine: * & misericordiárum tuárum, quæ à sæculo sunt.

Delícta juvētútis meæ: * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm misericórdiam tuam meménto mei tu: * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dñs: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício: * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini misericórdia & véritas: * requiréntibus testaméntū ejus, & testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dñe propitiáberis peccáto meo: * multū est enim.

Quis est homo qui timet Dñm: * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur: * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum: * & testaméntum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dñm: * quóniā ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me & miserére mei: * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei, multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis, érue me.

Vide humilitátē meā & labórē meum: * & dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt: * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubéscā quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi: * quia sustínui te.

Líbera Deus Israël: * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Glória Patri.

FERIA QUARTA.

Psalmus 25.

JUdica me Dómine, quóniam ego in Innocéntia mea ingréſſus sũ:* & in Dómino ſperans non infirmábor.

Proba me Dómine, & tenta me: * ure renes meos & cor meum.

Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt: * & complácui in veritáte tuâ.

Non ſedi cum concílio vanitátis: * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi eccléſiam malignántium: * & cum ímpiis non ſedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas: * & circúmdabo altáre tuũ Dñe.

Ut áudiam vocem laudis: * & enárrem univérſa mirabília tua.

Dómine diléxi decórem domûs tuæ: * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam: * & cum viris ſánguinum vitam meam.

In quorũ mánibus iniquitátes sũt:* déxtera eórũ repléta eſt munéribus.

Ego autẽ in innocéntia mea ingréſſus ſum:* rédime me & miſerére mei.

Pes meus ſtetit in diréćto: * in eccléſiis benedícam te Dómine.

Glória Patri.

FERIA QUINTA.

Pſalmus 22.

DOminus regit me & nihil mihi déerit: * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refećtiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me ſuper sémitas juſtítiæ: * propter nomen ſuum.

Nam & ſi ambulávero in médio umbræ mortis:* non timébo mala quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéćtu meo menſam: * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me: * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in do-

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Vivet ánima mea & laudábit te, & judícia tua adjuvábunt me. ℟. Errávi ſicut ovis quæ périit: quære servũ tuum Dómine, quia mandáta tua non ſum oblítus; Credo in Deum. *ſecretò uſque ad* ℣. Carnis reſurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam, Amen.

Quando ad Matutinum non ſunt dicta magna Preces feriales ſtatim dicitur ℣. Réſpice Dómine, *ut infra.*

Quando autem ad Matutinum dicta ſunt magna Preces feriales, inferiùs poſita poſt Laudes Feria ſecunda; tunc ad Primam ſequentes Preces dicuntur flexis genibus.

℣. Júdica Dómine nocéntes me: ℟. Expúgna impugnántes me. ℣. Apprehénde arma & ſcutum. ℟. Et exúrge in adjutórium mihi. ℣. Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos qui perſequúntur me. ℟. Dic ánimæ meæ Salus tua ego ſum. ℣. Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis. ℟. Ut nõ moveántur veſtígia mea. ℣. Ego clamávi; quoniam exaudíſti me Deus. ℟. Inclína aurem tuam mihi, & exáudi verba mea. ℣. Mirífica miſericórdias tuas. ℟. Qui facis ſperántes in te. ℣. A reſiſténtibus déxteræ tuæ cuſtódi me. ℟. Ut pupíllam óculi. ℣. Sub umbra alárum tuárum prótege me. ℟. A fácie impiórum qui me afflixérunt. ℣. Audítam fac mihi manè miſericórdiã tuam. ℟. Quia in te ſperávi. ℣. Notam fac mihi viam, in qua ámbulem. ℟. Quia ad te levávi ánimam meam. ℣. Eripe me de inimícis meis Dómine ad te confúgi. ℟. Doce me fácere voluntátẽ tuam: quia Deus meus es tu. ℣. Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectã. ℟. Propter nomen tuum Dómine vivificábis me in æquitáte tua. ℣. Edúces de tribulatióne ánimam meam. ℟. Et in miſericórdia tua diſpérdes omnes inimícos meos. ℣. Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam. ℟. Quóniam ego ſervus tuus ſum.

Sequens

Sequens Oratio dicitur eadem voce.

Orémus. *Oratio.*

DEus refúgium páuperum, spes humíliũ, salúsque miserórum; deprecatiónẽ nostram quæsumus benígnus exáudi, & pro ómnibus qui se nobis in oratiónibus cõmendavérunt: précibus nostris aurem tuæ pietátis inclína; Et si qui ex his jam obiérunt, ab omni vínculo delictórum ánimas eórum cleménter absólve; Si qui autem adhuc in hac frágili & incértâ vitâ consistunt: ita eis benedictiónem tuam misericórditer largíri dignéris; ut & solátia vitæ mortális accípiant, & sempitérna gáudia comprehéndãt: ut semper hic & ubíque poténtia bonitátis tuæ ab ómnibus sint tuti advérsis; ℟. Amen.

℣. Réspice Dómine in servos tuos, & in ópera tua, & dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos: & ópera mánuum nostrárum dírige super nos: & opus mánuum nostrárum dírige.

Orémus. *Oratio.*

DIrígere & sanctificáre dignéris Dómine Jesu Christe Fili Dei vivi hódie corda & córpora nostra; ut in exequéndis mandátis tuis, & voluntáte tibi & actióne placeámus Salvátor mundi; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus: Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dignáre Dómine die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Dómine exáudi oratiónẽ meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

VEritas tua, quæsumus Dómine, lúceat semper in córdibus nostris: & omnis fálsitas inimíci destruátur. Per Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

In Quadragesima, Feria ij. iv. & vj. dicitur Psalmus pœnitentialis, Beáti quorum: *cum* ℣. & *Oratione ut in fine Breviarij.*

Deinde

In lábiis meis pronũtiávi, ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórũ tuórum delectátus ſum: * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor: * & conſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tuis meditábor:* non oblivíſcar ſermónes tuos.

Glória Patri.

Retríbue ſervo tuo: * vivífica me, & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos: * & conſiderábo, mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra: * non abſcóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas: * in omni témpore.

Increpáſti ſupérbos: * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum: * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & advérsùm me loquebántur:* ſervus autem tuus exercebátur, in juſtificatiónibus tuis.

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt: * & consílium meum, juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit paviménto ánima mea:* vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudíſti me: * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me: * & exercébor, in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio:* confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me: * & de lege tua, miſerére mei.

Viã veritátis elégi:*judícia tua non sũ oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis Dñe:*noli me cõfúndere.

Viam mandatórum tuórum cúcurri: * cùm dilatáſti cor meum.

Glória Patri.

Sequens Symbolum dicitur in Dominicis tantum, quando fit Officium de Dominica ut in Pſalt. & in feſto SS. Trinitatis.

Symbolum S. Athanaſij.

Quicúmque vult ſalvus eſſe, ante ómnia opus eſt ut téneat Cathólicam fidem: * quam niſi quiſque íntegram, inviolatámque

latámque servàverit: * absque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem Cathólica hæc est:* ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in unitáte venerémur:* neque confundéntes persónas:*neque substántiam separántes.

Alia est enim persóna Patris: * ália Fílij: * ália Spíritûs sancti: * sed Patris, & Fílij, & Spíritûs sancti,una est divínitas:* æquális glória, coætérna majéstas.

Qualis Pater: * talis Fílius: * talis Spíritus sánctus.

Increátus Pater: * increátus Fílius: * increátus Spíritus sanctus.

Imménsus Pater: * imménsus Fílius: * imménsus Spíritus sanctus.

Ætérnus Pater: * ætérnus Fílius:* ætérnus Spíritus sanctus: * & tamen non tres ætérni sed unus ætérnus: * sicut non tres increáti nec tres imménsi: * sed unus increátus & unus imménsus.

Simíliter omnípotens Pater: * omnípotens Fílius: * omnípotens Spíritus sanctus: * & tamen non tres omnipoténtes, sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater: * Deus Fílius: * Deus Spíritus sanctus: * & tamen non tres Dij, sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater: * Dóminus Fílius: * Dóminus Spíritus sanctus: * & tamen non tres Dómini, sed unus est Dóminus.

Quia sicut sigillátim unamquámque persónam Deum aut Dñm confitéri Christiánâ veritáte compéllimur: * itá tres Deos aut Dños dícere, Cathólicâ religióne prohibémur.

Pater, à nullo est factus: * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre solo est: * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre & Filio: * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: * unus Fílius, non tres Fílij: * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius nihil majus aut minus: * sed

totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt, & coæquáles: * ita ut per ómnia sicut jam suprà dictum est, & únitas in Trinitáte, & Trínitas in unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse: * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem: * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi, fidéliter credat.

Est ergo fides recta: * ut credámus & confiteámur, quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius: * Deus & homo est.

Deus est, ex substántia Patris ante sæcula génitus: * homo est, ex substántia Matris, in sæculo natus.

Perféctus Deus: * perféctus homo, ex ánima rationáli, & humánâ carne subsístens.

Æquális Patri, secúndùm Divinitátem: * minor Patre, secúndùm humanitátem.

Qui licèt Deus sit & homo: * non duo tamen sed unus est Christus.

Unus autem, non conversióne Divinitátis in carnem: * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omnínò non confusióne substántiæ: * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro unus est homo: * ita Deus & homo, unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostrâ, descéndit ad ínferos: * tertiâ die resurréxit à mórtuis: * ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: * indè ventúrus est judicáre vivos & mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis: * & redditúri sunt, de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt ibunt in vitam ætérnam: * qui verò mala in ignem ætérnum.

Hæc est fides Cathólica: * quam nisi quisque fidéliter, firmitérque credíderit: * salvus esse non póterit.

Glória Patri. Allelúia. *vel* Laus tibi Dómine Rex ætérnæ glóriæ.

Deinde

Deinde dicuntur sequentes Preces.

℣. Exúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. Kyrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïsō Christe eléïson. Kyrie eléïsō. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Vivet ánima mea & laudábit te, & judícia tua adjuvábunt me. ℟. Errávi sicut ovis quæ périit: quære servum tuum Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus. Credo in Deum, *secretò*, Patrem omnipoténtem, creatórem cæli & terræ. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum: qui concéptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, & sepúltus: descéndit ad ínferos: tértiâ die resurréxit à mórtuis: ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: indè ventúrus est judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum. *Alta voce.* ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam, Amen. ℣. Réspice Dómine in servos tuos, & in ópera tua, & dírige filios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos: & ópera mánuum nostrárum dírige super nos: & opus mánuum nostrárum dírige.

Orémus. *Oratio.*

Dirígere, & sanctificáre dignéris Dómine Jesu Christe Fili Dei vivi hódiè corda & córpora nostra; ut in exequéndis mandátis tuis, & voluntáte tibi & actióne placeámus salvátor mundi; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus: Per ómnia sæcula sæculórum; ℟. Amen. ℣. Dignáre Dómine die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Dñe exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

AUge in nobis quæsumus Dómine fidem tuam ! & Spiritûs sancti lucem, in nobis semper accénde. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, Qui tecum vivit & regnat Deus in unitáte ejúsdem Spíritûs sancti ! Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Prædicta Oratio dicitur etiam in festo SS. Trinitatis. In aliis verò festis & feriis dicitur ejus loco.

Orémus. *Oratio.*

VEritas tua, quæsumus Dómine, lúceat semper in córdibus nostris ! & omnis fálsitas inimíci destruátur. Per Dñm.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias;

Deinde in Choro legitur Martyrologium.

Posteà Hebdomadarius dicit. ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors sanctórum ejus.

Et absolutè sine Orémus. *Oratio.*

SAncta María, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Deum ! ut mereámur vitam ætérnam possidére. ℟. Amen

Chorus. ℣. Adjuva nos Deus salutáris noster, & propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos, & propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum, ne fortè dicant in Géntibus, Ubi est Deus eórum ? Glória Patri, & Fílio & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórũ, Amen. Kyrie eléïsõ. Kyrie eléïs. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónẽ. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórũ Dómine delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus ! Genitrícis Fílij tui

tui Dómini Dei noſtri, & ómnium Sanctórum tuórum interceſſióne ſalvémur. Per eúmdem Dñm.

Deinde dicitur ſecretò.

℣. Fidéliũ ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

Et ſic dicitur ſingulis diebus Dominicis & feſtis novem Lectionum, & per Octavas Paſchæ, Pentecoſtes & Corporis Chriſti.

IN FERIALI OFFICIO

extra Tempus Paſchale.

AD PRIMAM.

Pater noſter. Ave María. Sancti Spiritûs. ℣. Deus in adjutórium. *ut ſuprà.* Allelúia. *vel* Laus tibi Dñe Rex ætérnæ glóriæ. *Pſalmus.* Deus in nómine tuo. *ut ſuprà.* 25.

Deinde dicitur unus ex infra ſcriptis Pſalmis, ſecundum Ferias diſtinctis. Sabbato autem dicuntur tantum tres Pſalmi ſicut in Feſtis.

FERIA SECUNDA.

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo.

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum: * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcéndet in montem Dómini: * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam ſuam: * nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes veſtras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes veſtras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ. Glória Patri.

FERIA TERTIA.

Pſalmus 24.

AD te Dñe levávi ánimã meã* Deus meus in te cõfído, nõ erubéſcã.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Cōfundántur omnes iníqua agéntes, supervácuè.

Vias tuas Dómine demónstra mihi: * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tuâ, & doce me: * quia tu es Deus salvátor meus: * & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine: * & misericordiárum tuárum, quæ à sæculo sunt.

Delícta juvētútis meæ: * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm misericórdiam tuam meménto meī tu: * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dñs: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício: * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini misericórdia & véritas: * requiréntibus testaméntū ejus, & testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dñe propitiáberis peccáto meo: * multū est enim.

Quis est homo qui timet Dñm: * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur: * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum: * & testaméntum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dñm: * quóniā ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me & miserére mei: * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei, multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis, érue me.

Vide humilitátē meā & labórē meum: * & dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt: * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubéscā quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsērunt mihi: * quia sustínui te.

Líbera Deus Israël: * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Glória Patri.

FERIA

FERIA QUARTA.

Psalmus 25.

JUdica me Dómine, quóniam ego in Innocéntia mea ingréssus sũ:* & in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me Dómine, & tenta me: * ure renes meos & cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est: * & complácui in veritáte tuâ.

Non sedi cum concílio vanitátis: * & cum iníqua geréntibus non introibo.

Odívi ecclésiam malignántium: * & cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas: * & circúmdabo altáre tuũ Dñe.

Ut áudiam vocem laudis: * & enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine diléxi decórem domûs tuæ: * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam: * & cum viris sánguinum vitam meam.

In quorũ mánibus iniquitátes sũt: * déxtera eórũ repléta est munéribus.

Ego autẽ in innocéntia mea ingréssus sum: * rédime me & miserére mei.

Pes meus stetit in dirécto: * in ecclésiis benedícam te Dómine.

Glória Patri.

FERIA QUINTA.

Psalmus 22.

DOminus regit me & nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ: * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis: * non timébo mala quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam: * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me: * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in do-

mo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Glória Patri.

FERIA SEXTA.

Psalmus 21.

DEus Deus meus réspice in me, quare me dereliquísti? * longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem & non exáudies: * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt & liberásti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt: * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo: * oppróbrium hóminum & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ: * in te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meæ, Deus meus es tu: * ne discésseris à me.

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum: * sicut leo rapiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum * & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquéscēs: * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea: * & lingua mea adhæsit fáucibus meis: * & in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsēdit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos: * dinumeravérũt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt & inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea: * & super vestem meam misérunt sortem.

Tu

Tu autem Dñe ne elongáveris auxílium tuum:* ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámeâ Deus ánimam meã: * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis:* & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum laudáte eum: * univérsum semen Jacob glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis.

Nec avértit fáciem suã à me: * & cùm clamárẽ ad eum, exaudívit me

Apud te laus mea in ecclésiâ magnâ:* vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent paúperes & saturabúntur: * & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Reminiscéntur & converténtur ad Dóminum, univérsi fines terræ.

Et adorábunt in conspéctu ejus: * univérsæ famíliæ Géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * & ipse dominábitur Géntium.

Manducavérunt, & adoravérunt omnes pingues terræ:* in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet:* & semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * & annuntiábunt cæli justítiam ejus: * pópulo qui nascétur, quẽ fecit Dñs.

Glória Patri.

Sabbato nihil additur, ut suprà in Rubrica. 33.

Deinde dicuntur Psalmi. Beáti immaculáti. *&* Retríbue servo tuo. *ut suprà. 27.*

Allelúia. *vel* Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

℣. Exúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. Kyrie eléïson. Kyrie eléïsõ. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. *secretò.*

℣. Et

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Vivet ánima mea & laudábit te, & judícia tua adjuvábunt me. ℟. Errávi ficut ovis quæ périit: quære servũ tuum Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus; Credo in Deum. *secretò usque ad* ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam, Amen.

Quando ad Matutinum non sunt dicta magna Preces feriales statim dicitur ℣. Réspice Dómine, *ut infra.*

Quando autem ad Matutinum dicta sunt magna Preces feriales, inferiùs posita post Laudes Feria secunda: tunc ad Primam sequentes Preces dicuntur flexis genibus.

℣. Júdica Dómine nocéntes me. ℟. Expúgna impugnántes me. ℣. Apprehénde arma & scutum. ℟. Et exúrge in adjutórium mihi. ℣. Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos qui persequúntur me. ℟. Dic ánimæ meæ Salus tua ego sum. ℣. Pérfice gressus meos in sémitis tuis. ℟. Ut nõ moveántur vestígia mea. ℣. Ego clamávi; quoniam exaudísti me Deus. ℟. Inclína aurem tuam mihi, & exáudi verba mea. ℣. Mirífica misericórdias tuas. ℟. Qui facis sperántes in te. ℣. A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me. ℟. Ut pupíllam óculi. ℣. Sub umbra alárum tuárum prótege me. ℟. A fácie impiórum qui me afflixérunt. ℣. Audítam fac mihi manè misericórdiã tuam. ℟. Quia in te sperávi. ℣. Notam fac mihi viam, in qua ámbulem. ℟. Quia ad te levávi ánimam meam. ℣. Eripe me de inimícis meis Dómine ad te confúgi. ℟. Doce me fácere voluntátẽ tuam: quia Deus meus es tu. ℣. Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectã. ℟. Propter nomen tuum Dómine vivificábis me in æquitáte tua. ℣. Edúces de tribulatióne ánimam meam. ℟. Et in misericórdia tua dispérdes omnes inimícos meos. ℣. Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam. ℟. Quóniam ego servus tuus sum.

Sequens

Sequens Oratio dicitur eadem voce.

Orémus. *Oratio.*

DEus refúgium páuperum, spes humíliũ, salúsque miserórum; deprecatiónẽ nostram quæsumus benígnus exáudi, & pro ómnibus qui se nobis in oratiónibus cõmendavérunt: précibus nostris aurem tuæ pietátis inclína; Et si qui ex his jam obiérunt, ab omni vínculo delictórum ánimas eórum cleménter absólve; Si qui autem adhuc in hac frágili & incértâ vitâ consístunt: ita eis benedictiónem tuam misericórditer largíri dignéris; ut & solátia vitæ mortális accípiant, & sempitérna gáudia comprehéndãt: ut semper hic & ubíque poténtia bonitátis tuæ ab ómnibus sint tuti advérsis; ℟. Amen.

℣. Réspice Dómine in servos tuos, & in ópera tua, & dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos: & ópera mánuum nostrárum dírige super nos: & opus mánuum nostrárum dírige.

Orémus. *Oratio.*

DIrígere & sanctificáre dignéris Dómine Jesu Christe Fili Dei vivi hódiè corda & córpora nostra; ut in exequéndis mandátis tuis, & voluntáte tibi & actióne placeámus Salvátor mundi; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus: Per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dignáre Dómine die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Dómine exáudi oratiónẽ meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

VEritas tua, quæsumus Dómine, lúceat semper in córdibus nostris: & omnis fálsitas inimíci destruátur. Per Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

In Quadragesima, Feria ij. iv. & vj. dicitur Psalmus pœnitentialis, Beáti quorum. *cum* ℣. & *Oratione ut in fine Breviarij.*

Deinde

Deinde in Choro legitur Martyrologium.

Postea Hebdomadarius dicit ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus. *Et absolutè sine* Oremus. *Oratio.*

SAncta Maria, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Deum: ut mereámur vitam ætérnam possidére. ℟. Amen. *Chorus.* ℣. Adjuva nos Deus salutáris noster, & propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos. Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum, ne fortè dicant in Géntibus; Ubi est Deus eórum? Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum, Amen Kyrie eléison. Kyrie eléison. Christe eléison. Christe eléison Kyrie eléison. Pater noster. *secreto usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórũ Dómine delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus: Genitrícis Filij tui Dómini Dei nostri, & ómnium Sanctórum tuórum intercessióne salvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In fine Primæ quotiescumque non fit de Festo Duplici, vel novem Lectionum dicitur pro Defunctis ℣. Réquiem ætérnã dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis. *Psalmus.* De profúndis. *ut inf. In fine non dicitur,* Glória Patri. *sed ejus loco* ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, cui numquam sine spe misericórdiæ

diæ ſupplicátur ? propitiáre animábus famulórum tuórum ; ut qui de hac vitâ in tui nóminis confeſſióne deceſſérunt ? Sanctórum tuórum número fácias aggregári. Per Dóminum noſtrum.

Et dicitur ſecretò ℣. Requiéſcát in pace. ℟. Amē.

In Feriis autem in quibus dictæ ſunt magnæ Preces prædictus Pſalmus De profúndis. *dicitur flexis genibus, quod in fine aliarum Horarum ſervetur.*

IN FERIALI OFFICIO,

Temporis Paſchalis & in Feſtis per Annum,

Poſt Pſalmum, Deus in nómine tuo. *dicitur tantum Pſalmus* Beáti immaculáti. *&* Retríbue. *ut ſuprà.* 27. *Deinde* Allelúia. *vel* Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ. *Reliqua ut ſupra in Dominica.*

Sed in Officio Feriali, & in Feſtis trium Lectionum poſt Orationem, Famulórum. *dicitur ſemper pro Defunctis*, ℣. Réquiem ætérnam. *ut ſupra.*

AD TERTIAM.

Pater noſter. Ave Maria. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium. Allelúia. *vel* Laus tibi Dómine Rex ætérnæ glóriæ. *Pro temporis diverſitate.*

Pſalmus 118.

LEgem pone mihi Dómine viam juſtificatiónum tuárum : * & exquíram eam ſemper.

Da mihi intelléctum, & ſcrutábor legem tuam : * & cuſtódiam illam, in tote corde meo.

Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum : * quia ipſam vólui.

Inclína cor meum in teſtimónia tua: * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne víideant vanitátem : * in via tua, vivífica me.

Státue ſervo tuo elóquium tuum : * in timōre tuo.

Amputa oppróbrium meum, quod ſuſpicátus ſum : * quia judícia tua jocúnda.

Ecce concupívi mandáta tua:* in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat ſuper me miſericórdia tua Dómine: * ſalutáre tuum, ſecúndùm elóquium tuum.

Et reſpondébo exprobrántibus

brántibus mihi verbum:* quia ſperávi, in ſermónibus tuis.

Et ne aúferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque: * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

Et cuſtódiam legẽ tuam ſemper: * in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Et ambulábam in latitúdine: * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar in teſtimóniis tuis in conſpéctu Regũ: * & non confundébar

Et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi: * & exercébor, in juſtificatiónibus tuis.

Glória Patri.

MEmor eſto verbi tui ſervo tuo: * in quo mihi ſpem dedíſti.

Hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea:* quia elóquium tuum, vivificávit me.

Supérbi iníquè agébant uſquequáque: * à lege autem tuâ, non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à ſæculo Dómine: * & conſolátus ſum.

Defectio ténuit me: * pro peccatóribus, derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erãt juſtificatiónes tuæ:* in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui Dómine: * & cuſtodívi legem tuam.

Hæc facta eſt mihi: * quia juſtificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea Dómine: * dixi, cuſtodíre legẽ tuam.

Deprecátus ſum fáciem tuam in toto corde meo * miſerére mei ſecundùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas: * & convérti pedes meos, in teſtimónia tua.

Parátus ſum, & non ſum turbátus: * ut cuſtódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi ſunt me: * & legem tuam, non ſum oblítus.

Mediâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi: * ſuper judícia, juſtificatiónis tuæ.

Párticeps ego ſum ómnium timéntium te: * & cuſtodiéntium mandáta tua.

Miſericórdiâ tua Dñe plena eſt terra: * juſtificatiónes

cationes tuas, doce me.

Glória Patri.

BOnitátem fecísti cum servo tuo Dómine: * secúndùm verbum tuum.

Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me: * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquam humiliárer ego delíqui: * proptéreà, elóquium tuũ custodivi.

Bonus ès tu: * & in bonitáte tua, doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum: * ego autem in toto corde, scrutábor mandáta tua.

Coagulátũ est sicut lac cor eórum:* ego verò legem tuam, meditátus sũ.

Bonum mihi quia humiliásti me :* ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui : * super míllia auri, & argénti.

Manus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me:* da mihi intelléctum, ut discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur:* quia in verbum tuum, supersperávi.

Cognóvi Dómine quia æquitas judícia tua : * & in veritáte tua, humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me : * secúndùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam : * quia lex tua, meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injústè iniquitátem fecérunt in me:* ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te :* & qui novérunt, testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis : * ut non confúndar.

Glória Patri. Allelúia. *vel* Laus tibi Dómine Rex ætérnæ glóriæ.

Sequens Capitulum, & alia in aliis Horis dicuntur in Dominicis, à secunda post Epiph. usque ad Septuages. Responsoria etiam usque ad Dominicam primam Quadragesimæ similiter & quæ sequuntur in Feriali Officio.

Capitul.

Capitulum. 1 Theſſ. 5.

OMnia probáte; quod bonum eſt tenéte: ab omni ſpécie malâ abſtinéte vos.

℟. Inclína cor meum Deus, in teſtimónia tua. *& repetitur.* Inclína cor meum Deus in teſtimónia tua. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem: in viâ tuâ vivífica me. *Repetitur.* ℟. Inclína cor meum Deus in teſtimónia tua Glória Patri. & Fílio, & Spirítui ſancto. *Repetitur* ℟. Inclína cor meum Deus in teſtimónia tua. ℣. Ego dixi, Dómine miſerére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi ℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

VOx noſtra te Dómine ſemper deprecétur: & ad aures tuæ pietátis aſcéndat. Per Dóminum noſtrum.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias;

Deinde dicitur ſecretò. Fidélium ánimæ, &c. *quod etiam dicitur in fine Sextæ, Nonæ, & Completorij ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis novem Lectionum, & per Octavam Paſchæ, Pentecoſtes & Corporis Chriſti.*

In Feriali Officio per Annum.

Capitulum. Galat. 6.

ALter altérius ónera portáte: & ſic adimplébitis legem Chriſti.

℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Ego dixi, Dómine miſerére mei. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. Glória Patri & Fílio; & Spirítui ſancto. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Adjútor meus eſto Dómine. ℟. Ne derelínquas me, neque deſpícias me Deus ſalutáris meus.

Deinde dicuntur parvæ Preces quæ ſequuntur.

KYrie eléïſon. Kyrie eléïſon. Chriſte eléïſon. Chriſte eléïſon, Kyrie eléïſon. Pater noſter. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Oſténde nobis Dómine miſericórdiam

tuam.

tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

UT tuam Dñe misericórdiam consequámur: fac nos tibi toto corde esse devótos. Per. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

In Feriis verò in quibus ad Laudes dictæ sunt magnæ Preces, tunc post ℟. dicuntur sequentes flexis genibus.

KYrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Ego dixi Dñe miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequò. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *Oratio.* Ut tuam Dómine. *ut sup.*

Tempore Adventus in Feriali Officio.

Capitulum. Ierem. 2.

IN diébus illis salvábitur Iuda, & Israël habitábit confidénter; & hoc est nomen quod vocábũt eum: Dñs justus noster. ℟. Veni ad liberándum nos, Dómine Deus virtútum. Veni ad liberándum nos Dómine Deus virtútum. ℣. Et osténde fáciem, & salvi érimus. Veni ad liberándum nos Dómine Deus virtútum. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Veni ad liberándum nos Dómine Deus virtútum. ℣. Timébunt Gentes nomen tuum Dómine. ℟. Et omnes Reges terræ glóriam tuam.

Deinde dicuntur magnæ Preces ut suprà.

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

Concéde quæsumus omnipotens Deus, ut magnæ festivitátis ventúra solémnia próspero celebrémus effécti; paritérque reddámur, & inténti cæléstibus disciplínis: & de nostris tempóribus lætióres. Per Dñm.

In fine Tertiæ quotiescumque non sit de Festo novem Lectionum dicitur pro Defunctis.

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

Ps. De profúndis. *ut inf. in cujus fine non dicitur.* Glória Patri. *sed ejus loco.*

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

Absólve Dómine, ánimas famulórum tuórum, ab omni vínculo delictorum: ut in Resurrectiónis glóriâ, inter Sanctos tuos resuscitáti respírent. Per Dóminum.

Secretò. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD SEXTAM.

Pater noster. Ave María. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium. Allelúia. *vel* Laus tibi Dómine Rex ætérnæ glóriæ.

Pro temporis diversitate.

Psalmus 118.

Defécit in salutáre tuum ánima mea: * & in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuũ: * dicéntes, Quando cõsoláberis me?

Quia factus sũ sicut uter in pruína: * justificatiónes tuas, non sũ oblítus.

Quot sũt dies servi tui * quando fácies de persequéntibus me, judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes: * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulóminùs consummavérunt me in terra: * ego autem, non dereliqui mandáta tua.

Secúndũ misericórdiam tuã vivífica me * & custódiã, testimónia oris tui.

In ætérnum Dñe, verbũ tuum pérmanet in cælo.

In generatióne & generatiónem véritas tua: * fundásti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ persevérat dies: * quóniam ómnia serviunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditátio mea est: * tunc fortè periíssem, in humilitáte mea.

In ætérnũ non oblivíscar justificatiónes tuas: * quia in ipsis, vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac: * quóniam justificatiónes tuas, exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: * testimónia tua, intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem: * latum mandátum tuum nimis.

Glória Patri.

QUómodo diléxi legẽ tuã Dómine: * totâ die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo: * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi: * quia testimónia tua, meditátio mea est.

Super senes intelléxi: * quia mãdáta tua quæsívi.

Ab omni viâ malâ prohíbui pedes meos: * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi: * quia tu legem posuísti mihi.

Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua: * super mel ori meo!

A mandátis tuis intelléxi: * proptéreà, odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum: * & lumen sémitis meis.

Jurávi: * & státui, custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque: * Dómine vivífica me, secúndùm verbum tuum.

Voluntária oris mei, beneplácita fac Dñe: * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper: * & legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi: * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in ætérnum: * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum, ad faciéndas

faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum : * propter retributiónem.

Glória Patri.

INíquos ódio hábui : * & legem tuam diléxi.

Adjútor & suscéptor meus es tu : * & in verbum tuum supersperávi.

Declináte à me malígni: * & scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndùm elóquiū tuum,& vivā; * & non confúndas me, ab expectatióne meâ.

Adjuva me & salvus ero:* & meditábor in justificatiónibus tuis sēper.

Sprevísti omnes discedéntes à judíciis tuis : * quia injústa cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ:* ideò diléxi testimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas : * à judíciis enim tuis, tímui.

Feci judícium & justítiam : * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum : * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum : * & in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secúndùm misericórdiam tuam : * & justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego· * da mihi intelléctum ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi Dómine : * dissipavérunt legem tuam.

Ideò diléxi mandáta tua : * super aurum, & topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iníqnam, ódio hábui.

Glória Patri. Allelúia. *vel* Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

Pro temporis diversitate.

In Dominicis per Annū.

Capitulum. 1.Cor.1.

GRátia vobis, & pax à Deo Patre nostro : & Dómino Jesu Christo.

℟. In ætérnum Dómine pérmanet verbum tuum. In ætérnum. ℣. In cælo & in sæculum sæculi véritas tua. In ætérnum. Glória Patri. In ætérnū.

℣. Dn̄s regit me,& nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta quæsumus omnípotens Deus : ut líberis tibi méntibus serviámus. Per Dóminum.
℣. Dóminus vobíscum ; ℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino ; ℟. Deo grátias ;

In Feriali Officio per Annum.

Capitulum. Grátia vobis. *ut suprà.*

℟. Benedícam Dóminum in omni témpore. Benedícam Dñm. ℣. Semper laus ejus in ore meo. Benedícam. Glória Patri. Benedícam: ℣. Dóminus regit me, & nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Deinde dicuntur parvæ Preces quæ sequuntur.

KYrie eléïson. Kyrie eléïsō. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam & salvi érimus. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum ; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

CLamántes ad te Deus dignánter exáudi ; ut nos de profúndo iniquitátis erípias : & ad gáudia ætérna perdúcas. Per Dóminum.
℣. Dóminus vobíscum ; ℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino ; ℟. Deo grátias ;

In Feriis verò in quibus ad Laudes dictæ sunt magnæ Preces, tunc post ℟. dicuntur sequentes flexis genibus.

KYrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent. ℣. Dómine salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ. ℟. Et rege eos, & extólle illos us-

usque in ætérnum. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

Clamántes ad te Deus. *ut suprà.*

Tempore Adventus in Feriali Officio.

Capitulum. Isai. 2. a.

VEníte ascendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob, & docébit nos vias suas, & ambulábimus in sémitis ejus; quia de Sion exíbit lex: & verbum Dómini de Jerúsalem.

℟. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. Osténde. ℣. Et salutáre tuum da nobis. Osténde. Glória Patri. Osténde. ℣. Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Deinde dicuntur magnæ Preces. ut suprà. 31.

Orémus. *Oratio.*

MEntes nostras, quæsumus Dómine, lúmine tuæ visitatiónis illústra: ut esse te largiénte mereámur, & inter próspera húmiles: & inter advérsa secúri. Qui vivis.

In fine Sextæ quotiescumque non fit de Festo novem Lectionum dicitur pro Defunctis. ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

Ps. De profúndis. *ut inf.*

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

INclína Dómine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur: ut ánimas famulórum tuórum, quas de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas: & Sanctórum tuórum júbeas esse consórtes. Per Dóminum nostrum. *secretò.* ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD NONAM.

Pater noster. Ave María. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium. Allelúia. *vel* Laus tibi Dómine Rex ætérnæ glóriæ.

Psalmus 118.

MIrabília testimónia tua: * ídeò scrutáta est ea, ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat: * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi spíritum: * quia mandáta tua desiderábā.

Aspice in me, & miserére mei: * secúndùm judícium, diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige, secúndùm elóquium tuū: * & non dominétur mei, omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum: * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum: * & doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei: * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es Dómine: * & rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua: * & veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus: * quia oblíti sunt verba tua, inimíci mei.

Ignítum elóquium tuū veheménter: * & servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, & contémptus: * justificatiónes tuas, non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in ætérnum: * & lex tua véritas.

Tribulátio & angústia invenérunt me: * mandáta tua, meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in ætérnum: * intelléctum da mihi, & vivam.

Glória Patri.

CLamávi in toto corde exáudi me Dómine: * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac: * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte & clamávi: * quia in verbum tuum supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo: * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndùm misericórdiam tuam Dómine : * & secúndùm judícium tuum, vivífica me.

Appropinquavérũt persequéntes me iniquitáti : * à lege autem tuâ longè facti sunt.

Propè es tu Dómine: * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis: * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meã, & éripe me : * quia legem tuã, non sũ oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me : * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus salus: * quia justificatiónes tuas,non exquisiérũt.

Misericórdiæ tuæ multæ Dómine: * secúndùm judícium tuum, vivífica me.

Multi qui persequúntur me, & tribulant me:* à testimóniis tuis, non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabescébam : * quia elóquia tua non custodiérũt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi : * Dómine in misericórdia tua, vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas : * in ætérnum, ómnia judícia justítiæ tuæ.

Glória Patri.

PRíncipes persecúti sũt me gratis : * & à verbis tuis, formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua : * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus sum:* legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi : * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam: * & non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum Dómine:* & mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua : * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & testimónia tua, * quia omnes viæ meæ, in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo Dómine : * juxta elóquium

quium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo : * secúndùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum:* cum docúeris me iustificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquia tua : * quia ómnia mandáta tua, æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me:* quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum Dómine : * & lex tua, meditátio mea est.

Vivet ánima mea, & laudábit te : * & judícia tua, adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit : * quære servum tuum Dómine : * quia mandáta tua, non sum oblítus.

Glória Patri. Allelúia. *vel* Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ. *pro temporis diversitate.*

In Dominicis per Annū.

Capitulum. 1.Cor.6.

EMpti estis prétio magno : glorificáte & portáte Deum in córpore vestro.

℟. Aspice in me Dómine, & miserére mei. Aspice. ℣. Secúndùm judícium diligéntium nomen tuum. Aspice. Glória Patri. Aspice. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Orémus. *Oratio.*

REdémptor noster áspice Deus: & tibi nos júgiter servíre concéde. Qui vivis.

℣. Dóminus vobíscum ; ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino ; ℟. Deo grátias ;

In Feriali Officio per Annum.

Capit. Empti estis. *ut sup.*

℟. Rédime me Dómine, & miserére mei. Rédime me Dómine, & miserére mei. ℣. Pes enim meus stetit in via recta, in ecclésiis benedícam Dómino. Rédime. Glória Patri. Rédime. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Deinde dicuntur parvæ Preces quæ sequuntur.

KYrie eléïson. Kyrie eléïsō. Christe eléïson. Christe eléïson. Ky-

rie eléïson. Pater noster. *secretò usque ad ℣.* Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dómine exáudi oratiónẽ meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cũ spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

A Cunctis iniquitátibus nostris exue nos Dómine: & in tua fac pace gaudére. Per Dóminũ. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias;

In Feriis verò in quibus ad Laudes dicta sunt magnæ Preces, tunc post ℟. dicuntur sequentes flexis genibus.

KYrie eléïson. Kyrie eléïsõ. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. *secretò usque ad ℣.* Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Ostende nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

A cunctis. *ut suprà.*

Tempore Adventûs in Feriali Officio.

Capitulum. Isaiæ 16.

EMitte Agnum Dómine dominatórem terræ; de petra desérti: ad montem filiæ Sion.

℟. Super te Jerúsalem oriétur Dóminus. Super te. ℣. Et glória ejus in te vidébitur. Super te. Glória Patri. Super te. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciẽ tuã & salvi érimus.

Deinde dicuntur magnæ Preces, ut suprà. 31.

Orémus. *Oratio.*

PReces pópuli tui, quæsumus Dómine cleménter exáudi; ut qui de advéntu Unigéniti Filij tui secúndum carnem lætántur: in secúndo, cùm

vénerit in majestáte suâ, præmium vitæ ætérnæ percípiant. Per eúmdem.

In fine Nonæ quotiescumque non fit de festo Duplici, vel novem Lectionum, dicitur pro Defunctis. ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis. *Psalmus.* De profúndis. ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscũ; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

ANnue nobis Dómine, ut ánimæ famulórum tuórum remissiónem ómnium mercántur percípere peccatórum. Per Dóminum. *secretò.* ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur secretò Aña beatæ Virginis ut infra notatur post Complet.

Vesperæ in Dominica, & in Feriis, habentur inferius post Laudes Sabbati.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinum.

Pater noster. Ave María. Sancti Spíritûs. ℣. Dómine lábia mea apéries. *ut suprà.*

Invitatorium. Veníte exultémus Dómino.

Psalmus. Jubilémus Deo salutári nostro. *ut sup.* 2.

Invitatoria per Ferias dicuntur in Feriali Officio ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam v. in cœna Domini.

Antiphonæ autem Nocturnorum per Annum, ut infra.

Antiphona, Dóminus.

Psalmus 26.

DOminus illuminátio mea, & salus mea: * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ: * à quo trepidábo?

Dum apprópiant super me nocéntes: * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei: * ipsi infirmáti sunt, & cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra: * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsum me prælium: * in hoc ego sperábo.

Unam pétij à Dómino, hanc requíram: * ut inhá-

bitem in domo Dñi, ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini:* & víſitem templum ejus.

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo in die malórum: * protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me: * & nunc exaltávit caput meum, ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis: * cantábo, & pſalmum dicam Dómino.

Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te: * miſerére mei, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea:* fáciem tuã Dñe requírã.

Ne avértas fáciem tuam à me: * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto, ne derelínquas me: * neque deſpícias me Deus, ſalutáris meus.

Quóniam Pater meus, & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem aſsúmpſit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua: * & dírige me in sémitâ rectã, propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántiũ me:* quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui: * & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini,* in terra vivéntiũ.

Expécta Dóminum, viríliter age:* & confortétur cor tuum, & súſtine Dóminum.

Pſalmus 27.

AD te Dómine clamábo, Deus meus ne síleas à me: * nequándo táceas à me: * & aſſimilábor deſcendéntibus in lacum.

Exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te: * dum extóllo manus meas, ad templum ſanctum tuum.

Ne ſimul trahas me cum peccatóribus: * & cum operántibus iniquitátem ne perdas.

Qui loquúntur pacem cum próximo ſuo:* mala autem in córdibus eórum.

Da illis ſecúndùm ópera eórum: * & ſecúndùm nequítiam

nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum tríbue illis* redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus: * déstrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus: * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adiútor meus, & protéctor meus: * & in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Et reflóruit caro mea: * & ex voluntáte mea, confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ: * & protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, & benedic hæreditáti tuæ: * & rege eos, & extólle illos usque in ætérnum.

Glória Patri.

Antiphona. Dóminus defénsor vitæ meæ.

Antiphona. Adoráte Dóminum. *Psalmus* 28.

AFférte Dómino filij Dei: * afférte Dómino filios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini, super aquas: * Deus majestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros: * & confrínget Dóminus: cedros Líbani.

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani: * & diléctus quemádmodum, filius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: * vox Dómini concutiéntis desértum: * & commovébit Dóminus desértum cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa: * & in templo ejus, omnes dicēt glóriā.

Dominus dilúvium inhabitáre facit: * & sedébit Dñs rex in ætérnum.

Dñs virtútem pópulo suo dabit: * Dñs benedícet pópulo suo in pace.

Psalmus 29.

EXaltábo te Dómine quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te, & sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dño sancti ejus:* & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * & vita in voluntáte ejus.

Ad véspĕrum demorábitur fletus : * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine in voluntáte tua, præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam à me : * & factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo : * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo : * dum descéndo in corruptiónem ?

Numquid confitébitur tibi pulvis: * aut annuntiábit veritátem tuam ?

Audívit Dóminus, & misértus est meí : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítiâ.

Ut cantet tibi glória mea,& non compungar:* Dómine Deus meus. in ætérnum confitébor tibi.

Glória Patri.

Aña. Adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Aña. In tua justítia.

Psalmus 30.

IN te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam: * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgij : * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea & refúgium meum es tu :* & propter nomen tuum dedúces me,& enútries me.

Edúces me de láqueo, quem

quem abscondérunt mihi: * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum:* redemísti me Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, supervácuè.

Ego autem in Dño sperávi: * exultábo, & lætábor, in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam: * salvásti de necessitátibus, ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci:* statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei Dómine, quóniam tríbulor:* conturbátus est in ira óculus meus: * ánima mea, & venter meus.

Quóniam defécit in dolóre vita mea: * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea: * & ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium vicínis meis valdè:* & timor notis meis.

Qui vidébant me, foras fugérunt à me:* oblivióni datus sum, tamquam mórtuus à corde.

Factus sum tamquam vas pérditum: * quóniam audívi vituperatiónem multórum, commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul advérsum me:* accípere ánimam meam, consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi Dómine: * díxi, Deus meus es tu:* in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum: * & à persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum: * salvum me fac in misericórdia tua: * Dómine non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpij, & deducantur in inférnum: * muta fiant lábia dolósa.

Quæ loquúntur advérsùs justum iniquitátem:* in supérbia & in abusióne.

Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine: * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis, qui sperant in te: * in conspé-

ctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ : * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo: * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus: * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi, in civitáte munitâ.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ: * Projéctus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudísti vocem oratiónis meæ : * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam veritátem requíret Dóminus : * & retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum : * omnes qui sperátis in Dómino.

Psalmus 31.

BEáti quorum remíssæ sunt iniquitátes: * & quorũ tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum : * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea : * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci:* & injustítiam meam non abscõdi.

Dixi, Confitébor advérsùm me injustítiam meam Dómino : * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus: * in témpore opportúno.

Verũmtamen in dilúvio aquárum multárum:* ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exultátio mea érue me, à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínstruam te in via hac qua gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus : * quibus non est intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum cõstrínge:* qui nõ appróximãt ad te.

Multa

Multa flagélla peccatóris: * sperántem autem in Dómino, misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dño, & exultáte iusti:*& gloriámini omnes recti corde.

Glória Patri.

Antiph. In tua justítia líbera me Dómine.

Antiph. Rectos decet.

Psalmus 32.

EXultáte justi in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara: * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum:* benè psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini: * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam & judícium:* misericórdiâ Dñi, plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt:*& spíritu oris eius, omnis virtus eórũ.

Cóngregans sicut in utre aquas maris: * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveántur, omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, & facta sunt: * ipse mandávit, & creáta sunt.

Dóminus díssipat consília Géntium: * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet: * cogitatiónes cordis ejus in generatióne, & generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus: * pópulus, quem elégit in hæreditâtem sibi.

De cælo respéxit Dóminus:* vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo:* respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum: * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvâtur rex per multam virtûtem: * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suę.

Fallax equus ad salútem: * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super

per metuéntes eum : * & in eis qui sperant , super misericórdia ejus.

Ut éruat à morte ánimas eórum : * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor & protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos : * quemádmodum sperávimus in te. *Psalmus* 33.

BEnedícam Dñm in omni témpore:* semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum , * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum,& exaudívit me : * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum , & illuminámini : * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eũ: * & de ómnibus tribulatiónibus ejus,salvávit eũ.

Immíttit Angelus Dómini in circúitu timéntium eum:* & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum , non minuéntur omni bono.

Veníte filij, audíte me:* timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos ?

Próhibe linguam tuam à malo : * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo , & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * & aures ejus ad preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terrâ memóriam eórum.

Clamavérunt justi , & Dóminus exaudívit eos:* &

& ex ómnibus tribulatiónibus eórú liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde:* & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * & de ómnibus his, liberábit eos Dñs.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * & qui odérunt justum , delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes, qui sperant in eo.

Glória Patri.

Antiphona. Rectos decet collaudátio.

Antiphona. Expúgna.

Psalmus 34.

JUdica Dómine nocéntes me: * expugna impugnántes me.

Apprehénde arma & scutum : * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam , & conclúde advérsùs eos, qui persequúntur me : * dic ánimæ meæ , salus tua ego sum.

Confundántur & revereántur : * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum, & confundántur : * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti : * & Angelus Dómini , coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum : * & Angelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui : * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat:* & cáptio quam abscóndit , apprehéndat eum : * & in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino: * & delectábitur , super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent : * Dómine quis símilis tibi ?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus:* egénum & páuperem , à diripiéntibus eum.

Surgéntes testes iníqui : * quæ ignorábam, interrogábant me.

Retribuébant mihi mala

la pro bonis : * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi moléſti eſſent : * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam : * & orátio mea, in ſinu meo convertétur.

Quaſi próximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam : * quaſi lugens & contriſtátus, ſic humiliábar.

Et advérſum me lætáti ſunt, & convenérunt : * congregáta ſunt ſuper me flagélla, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compúncti : * tentavérunt me, ſubſannavérunt me ſubſannatióne : * frenduérunt ſuper me, déntibus ſuis.

Dómine, quando reſpícies : * reſtítue ánimam meam à malignitáte eórum : * à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna : * in pópulo gravi laudábo te.

Non ſupergáudeant mihi qui adversántur mihi iníquè : * qui odérunt me gratis, & ánnuunt oculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur : * & & in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábãt.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum : * dixérunt, Euge, éuge, vidérunt óculi noſtri.

Vidíſti, Dómine, ne síleas : * Dómine ne diſcédas à me.

Exúrge, & inténde judício meo Deus meus : * & Dóminus meus, in cauſam meam.

Júdica me ſecúndùm juſtítiam tuam Dómine Deus meus : * & non ſupergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis, Euge, euge, ánimæ noſtræ : * nec dicant, Devorávimus eum.

Erubéſcant & revereántur ſimul : * qui gratulántur malis meis.

Induántur confuſióne & reveréntiâ : * qui magna loquúntur ſuper me.

Exúltent & læténtur qui volunt juſtítiam meam : * & dicant ſemper, Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam : * totâ die laudem tuam.

Pſalmus

Psalmus 35.

DIxit injústus ut delínquat in semetípso : * Non est timor Dei, ante óculos ejus.

Quóniam dolósè egit in conspéctu ejus : * ut inveniátur, iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus : * nóluit intellígere, ut benè ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo: * ástitit omni viæ nõ bonæ: * malítiam autem non odivit.

Dómine in cælo misericórdia tua : * & véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua, abyssus multa.

Hómines & juménta salvábis Dómine * quemádmodum multiplicásti, misericórdiam tuã Deus.

Filij autem hóminum, in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ: * & torrénte voluptátis tuæ, potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ : * & in lúmine tuo, vidébimus lumen.

Præténde misericórdiam tuam sciéntibus te : * & justítiam tuam, his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ : * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem: * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Glória Patri.

Antiph. Expúgna impugnántes me.

Antiph. Revéla.

Psalmus 36.

NOli æmulári in malignántibus: * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tanquam fœnum velóciter aréscent: * & quemádmodum ólera herbárum, citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem : * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino: * & dabit tibi, petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & spera in eo : * & ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, & judícium tuum tamquam merídiem:

rídiem : * súbditus esto Dómino , & ora eum.

Noli æmulári in eo qui prosperátur in viâ suâ: * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab irâ , & derelínque furórem : * noli æmulári , ut malignéris.

Quóniam qui malignántur , exterminabúntur : * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusíllum , & non erit peccátor : * & quæres locum ejus , & non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram: * & delectabúntur , in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum: * & stridébit super eum, déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum : * quóniam próspicit , quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres : * intendérunt arcum suum.

Ut decípiant páuperem & ínopem: * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum : * & arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo : * super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur : * confírmat autem justos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum:* & hæréditas eórum , in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo : * & in diébus famis saturabúntur : * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini mox honorificáti fúerint & exaltáti : * deficiéntes quemádmodum fumus, defícient.

Mutuábitur peccátor, & non solvet : * justus autem miserétur,& tríbuet.

Quia benedicéntes ei hæreditábunt terram : * maledicéntes autem ei dispéribunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigétur : * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur : * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui , étenim sénui: * & non vidi justum derelíctum:

derelíctum : * nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miserétur, & cómmodat:* & semen illíus, in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum : * & inhábita in sæculum sæculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet sanctos suos : * in ætérnũ conservabúntur.

Injústi puniéntur : * & semen impiórum períbit.

Justi autem hæreditábunt terram : * & inhabitábunt in sæculum sæculi, super eam.

Os justi meditábitur sapiéntiam : * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus : * & non supplantabúntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum : * & quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus: * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

Expécta Dñm, & custódi viam ejus, * & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram:* cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum : * & elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat : * quæsívi eum, & non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem:* quóniam sunt reliquiæ hómini pacífico.

Injústi autem dispeŕibunt : * simul relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dómino : * & protéctor eórum, in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos: * & éruet eos à peccatóribus : * & salvábit eos, quia speravérunt in eo.

Psalmus 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me:* neque in irâ tuâ corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infixæ sunt mihi : * & & confirmásti super me, manum tuam.

Non est sánitas in carne meâ à fácie iræ tuæ:* non est pax óssibus meis, à fácie peccatórum meórum.

Quóniam

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum: * & sicut onus grave, gravátæ sunt super me.

Putruérunt, & corrúptæ sunt cicatríces meæ: * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem: * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus: * & non est sánitas in carne meâ.

Afflíctus sum, & humiliátus sum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum: * & gémitus meus, à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est: * derelíquit me virtus mea, & lumen oculórum meórum: * & ipsum non est mecum.

Amíci mei, & próximi mei: * advérsùm me appropinquavérunt, & stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt: * & vim faciébant, qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes: * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam: * & sicut mutus, non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens: * & non habens, in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te Dómine sperávi: * tu exáudies me Dómine Deus meus.

Quia dixi, Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei: * & dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sũt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum: * & dolor meus, in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo: * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me: * & multiplicáti sunt, qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis detrahébent mihi: * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me Dómine

mine Deus meus : * ne discésseris à me.

Inténde in adjutórium meum, Dómine Deus salútis meæ.

Glória Patri.

Antiph. Revéla Dómino viam tuam.

Per Annum, ℣. Lætámini in Dómino & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

In Adventu, ℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. Deus noster manifésté véniet.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdotalis*, Exultábunt Sancti. ℣. Deus in adjutórium. *ut suprà.*

Quando non assignantur propria Antiphona, dicitur Antiph. Miserére.

Psalmus 50.

MIserére mei Deus: * secúndùm magnam misericórdiam tuam.

Et secúndùm multitúdinē miseratiónum tuárum, dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte meâ : * & à peccáto meo, munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco:* & peccátum meum, contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coràm te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * & in peccátis concépit me, mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ, manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor : * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam : * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis: * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus:* & spíritum rectum ínnova, in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tuâ : * & Spíritum sanctum tuum, ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * & spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas:

tuas:* & impij ad te convertentur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ :* & exultábit lingua mea, justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries :* & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrificium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrificium Deo spíritus contribulátus:* cor contrítum & humiliátum, Deus non despícies.

Benígnè fac Dómine in boná voluntáte tuâ Sion ? * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holócausta :* tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri.

Aña. Miserére mei Deus.

Antiph. Intéllige.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine : * intéllige clamórem meũ.

Inténde voci oratiónis meæ : * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine : * manè exaudies vocem meam.

Manè astábo tibi, & vidébo : * quóniam non Deus volens, iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi, ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem:*perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominâbitur Dóminus :* ego autem in multitúdine, misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum, in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítiâ tuâ : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo, viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas :* cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum : * linguis suis dolosè agébant : * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis : * secúndùm

multi

multitudinem impietátum, eórum expélle eos:* quóniam irritavérunt te Dómine.

Et lætěntur omnes, qui sperant in te: * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, coronásti nos.

Glória Patri.

Antiph. Intéllige clamórem meum Dómine.

Antiph. Deus Deus meus ad te de luce vígilo.

Psalmus idem, ut sup. 21.

Antiph. Convérsus est.

Canticum Isaiæ Prophetæ. Cap. 12.

CONfitébor tibi Dómine, quóniam irátus es mihi:* convérsus est furor tuus, & consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus:* fiduciáliter agam, & non timébo.

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus: * & factus est mihi in salúté.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salvatóris:* & dicétis in illâ die, Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * mementóte quóniam excélsum est, nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit:* annuntiáte hoc, in univérsâ terrâ.

Exúlta & lauda habitátio Sion: * quia magnus in médio tui, sanctus Israël.

Glória Patri.

Aña. Convérsus est furor tuus Dómine, & consolátus es me.

Aña. Laudáte Dóminum de cælis. *Psalm. idem.* 23.

Capitulum sequens cum Versiculo dicitur in Feriali Officio ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ: aliis temporibus habentur propria.

Capitulum. Isaiæ 33.

DOmine miserére nostri te expectávimus; esto bráchium nostrum in manè: & salus nostra in témpore tribulatiónis.

℣. Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ.

℟. Et

℟. Et exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiph. Benedíctus Dñs quia visitávit nos, & ab inimícis nostris liberávit nos.

Deinde dicuntur parvæ Preces post Antiphonam ad Benedíctus. *ut infrà.*

KYrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Exúrge Dómine adjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dñs vobíscũ; ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *Oratio conveniens.*

In Feriali Officio post Laudes dicitur Psalmus Levávi, *ut infra cum versu & Oratione ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Palmarum, & in Festis trium Lect. sed infra Oct. non dicitur. Psalmus* 120.

LEvávi óculos meos ad montes:* unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino :* qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum :* neque dormítet, qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet :* qui custódit Israël.

Dóminus custódit te :* Dóminus protéctio tua, super manum déxteram tuam.

Per diẽ sol non uret te:* neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo :* custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum, & éxitum tuum :* ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Glória Patri.

℣. Salvos fac servos tuos Dómine. ℟. Deus meus sperántes in te. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris : & viam famulórum

rum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne ; ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes tuo semper protegámur auxílio. Per Dóminum nostrum.

In Feriis majoribus scilicet Adventûs, jejuniorum, & Vigiliarum, exceptâ Vigiliâ Nativitatis Domini, post Antiphonam ad Benedíctus *dicuntur magnæ Preces ut infrà flexis genibus.*

KYrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Ego dixi Dómine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequò. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent. ℣. Dómine salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde dicitur Psalmus, De profúndis. *ut infrà.*

Et in fine, Glória Patri.

Finito Psalmo dicitur,

℣. Exúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus, *Oratio conveniens,*

In Adventu Feria ij. iv. & vj. usque ad 17. Decembris exclusivè dicuntur flexis genibus post Orationem Litaniæ ut in fine Breviarij & tunc iis præponitur Antiphona quæ in Proprio de Tempore prædictis Feriis habetur.

FERIA TERTIA

Ad Matutinum.

Invitatorium. Jubilé-

mus Deó salutári nostro. *Psal.* Veníte exultémus. 2. *Antiphona.* Ut non delínquam..

Psalmus 38.

DIxi, custódiam vias meas: * ut non delínquam, in linguâ meâ.

Pósui ori meo custódiã:* cùm consísteret peccátor advérsùm me.

Obmútui, & humiliátus sum, & sílui à bonis: * & dolor meus, renovátus est.

Concáluit cor meum intra me: * & in meditatióne meâ, exardéscet ignis.

Locútus sum in linguâ meâ: * Notum fac mihi Dómine finem meum.

Et númerum diérum meórum quis est: * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos: * & substántia mea, tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo: * sed & frustrà conturbátur.

Thesaurízat & ignórat cui congregábit ea: * & nunc quæ est expectátio mea? nónne Dóminus: * & substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbriũ insipiénti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum:* quóniam tu fecísti, ámove à me plagas tuas.

A fortitúdine manûs tuæ ego deféci in increpatiónibus: * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas,

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te:* & peregrínus, sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam ábeam: * & ámpliùs non ero.

Psalmus 39.

EXpéctans expectávi Dóminum: * & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas: * & edúxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et státuit supra petram pedes

pedes meos: * & diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum: * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, & timébunt: * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus: * & non respéxit in vanitátes, & insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua: * & cogitatiónibus tuis, non est quis símilis tibi.

Annuntiávi, & locútus sum: * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluísti: * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum & pro peccáto non postulásti: * tunc dixi, Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus vólui, & legem tuam, in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésiâ magna: * ecce lábia mea non prohibébo: * Dómine tu scísti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo: * veritátem tuam, & salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam, & veritátem tuam, à concílio multo.

Tu autem Dómine ne longè fácias miseratiónes tuas à me: * misericórdia tua & véritas tua, semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ: * & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei: * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi Dómine ut éruas me: * Dómine ad adjuvándum me réspice.

Confundántur & revereántur simul: * qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

Avertántur retrórsum, & revereántur: * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam: * qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent, & lætētur super te omnes quæréntes te: * & dicant semper, magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autē mendícus sum, & pauper: * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es: * Deus meus ne tardáveris.

Glória Patri.

Añа. Ut non delínquam in linguâ meâ.

Añа. Sana Dómine.

Psalmus 40.

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem: * in die malâ liberábit eum Dóminus.

Dóminus cōsérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terrâ: * non tradat eum, in ánimam, inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * univérsum stratum ejus versásti, in infirmitate ejus.

Ego dixi, Dómine miserére mei: * sana ânimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérūt mala mihi: * Quando moriétur & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, & loquebátur.

In idípsum advérsùm me susurrábant omnes inimíci mei: * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me: * numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ in quo sperávi: * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére mei, & resuscita me: * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me: * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti: * & confirmásti me in conspéctu tuo, in ætérnum.

Benedíctus Dñs Deus Israël: * à sæculo & in sæculum fiat, fiat.

Psalmus 41.

QUemadmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: * quando véniam & apparébo, ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte: * dū dícitur mihi quotídie, Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimā meā: * quóniam transíbo in locū tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & cōfessiónis, sonus epulātis.

Quare tristis es ánima mea? & quare conturbas me?* spera in Deo, quóniā adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est:* proptéreà memor ero tui de terra Jordánis: * & Hermoniim á monte módico.

Abyssus abyssū ínvocat:* in voce cataractárū tuárū.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui super me me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericordiam suam:* & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ: * dicam Deo; Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei, & quare tristis incédo:* dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea: * exprobravérunt mihi qui tríbulant me, inimíci mei.

Dum dicūt mihi per síngulos dies, Ubi est Deus tuus?* Quare tristis es ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus. Glória Patri.

Aña. Sana Dómine ánimam meam: quia peccávi tibi. *Ana.* Eructávit.

Psalmus 43.

DEus áuribus nostris audívimus: * patres nostri annuntiavérunt nobis.

Opus quod operátus es in diebus eórum: * & in diébus antíquis.

Manus tua Gentes dispérdidit, & plantásti eos: * afflixísti pópulos, & expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram: * & bráchium eórum, non salvávit eos.

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminá-

búntur tibi in ætérnum: * & in sæculum sæculi.

Glória Patri.

Ana. Eructávit cor meum verbum bonum.

Ana. Adjútor.

Psalmus 45.

DEus nostrum refúgiũ & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà nõ timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes, in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sũt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes, in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus non cõmovébitur: * adjuvábit eam Deus, manè dilúculo.

Conturbátæ sunt Gentes, & inclináta sunt, regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * aúferens bella usque ad finẽ terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma: * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniã ego sum Deus: * exaltábor in Géntibus, & exaltábor in terrâ.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob. *Psal.* 46.

OMnes Gentes pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis: * Rex magnus super omnem terrã.

Subjécit pópulos nobis: * & Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam: * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo: * Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite: * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus: * psállite sapiẽter.

Regnábit Deus super Gẽtes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum cõgregáti sunt cũ Deo Abraham: * quóniam dij fortes terræ, veheménter eleváti sunt. Glória Patri.

Ana.

Ana. Adjútor in tribulatiónibus.

Ana. Aurìbus percípite.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis: * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fūdátur exultatióne univérſæ terræ: * mons Sion, látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur: * cùm ſuſcípiet eam.

Quóniam ecce reges congregáti ſunt: * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt, conturbáti ſunt, commóti ſunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in ſpíritu veheménti, cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum: * in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam, in ætérnum.

Suſcépimus Deus miſericórdiam tuam: * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion, & cōplectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus: * & diſtribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie álterâ.

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * ipſe reget nos in ſæcula.

Psalmus 48.

AUdíte hęc omnes Gẽtes: * auríb⁹ percípite omnes, qui habitátis orbē.

Quique terrígenæ, & filij hóminum: * ſimul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur ſapiéntiam: * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam: * apériam in pſaltério, propoſitiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confidunt in virtúte ſuâ: * & in multitúdine, divitiárum ſuárum glorián tur.

Frater non rédimit, rédimet homo: * non dabit

tuas:* & ímpij ad te convertêntur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ :* & exultábit lingua mea, justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries :* & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrificium, dedíssem útique :* holocáustis non delectáberis.

Sacrificium Deo spíritus contribulátus:* cor contrítum & humiliátum, Deus non despícies.

Benígnè fac Dómine in boná voluntáte tuâ Sion ? * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrificium justítiæ, oblatiónes & holócausta :* tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri.

Aña. Miserére mei Deus.

Antiph. Intéllige.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine :* intéllige clamórem meũ.

Inténde voci oratiónis meæ :* Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine :* manè exaudies vocem meam.

Manè astábo tibi, & vidébo :* quóniam non Deus volens, iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus :* neque permanébunt injústi, ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem:* perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominâbitur Dóminus :* ego autem in multitúdine, misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam:* adorábo ad templum sanctum tuum, in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítiâ tuâ :* propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo, viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas :* cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum :* linguis suis dolosè agébant :* júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis :* secúndùm multi

multitúdinem impietátum, eórum expélle eos:* quóniam irritavérunt te Dómine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te: * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, coronásti nos.

Glória Patri.

Antiph. Intéllige clamórem meum Dómine.

Antiph. Deus Deus meus ad te de luce vígilo.

Psalmus idem, ut sup. 21.

Antiph. Convérsus est.

Canticum Isaiæ Prophetæ. Cap. 12.

CONfitébor tibi Dómine, quóniam irátus es mihi:* convérsus est furor tuus, & consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus:* fiduciáliter agam, & non timébo.

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus: * & factus est mihi in salútē.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salvatóris:* & dicétis in illâ die, Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * mementóte quóniam excélsum est, nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit: * annuntiáte hoc, in univérsâ terrâ.

Exúlta & lauda habitátio Sion: * quia magnus in médio tui, sanctus Isräel.

Glória Patri.

Aña. Convérsus est furor tuus Dómine, & consolátus es me.

Aña. Laudáte Dóminum de cælis. *Psalm. idem.* 23.

Capitulum sequens cum Versiculo dicitur in Feriali Officio ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ: aliis temporibus habentur propria.

Capitulum. Isaiæ 33.

DOmine miserére nostri te expectávimus; esto bráchium nostrum in manè: & salus nostra in témpore tribulatiónis.

℣. Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ.

℟. Et

℟. Et exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiph. Benedíctus Dñs quia visitávit nos, & ab inimícis nostris liberávit nos.

Deinde dicuntur parvæ Preces post Antiphonam ad Benedíctus. *ut infrà.*

KYrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Exúrge Dómine adjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dñs vobíscũ; ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *Oratio conveniens.*

In Feriali Officio post Laudes dicitur Psalmus Levávi, *ut infra cum versu & Oratione ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Palmarum, & in Festis trium Lect. sed infra Oct. non dicitur.* *Psalmus* 120.

LEvávi óculos meos ad montes:* unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino :* qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum :* neque dormítet, qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet :* qui custódit Israël.

Dóminus custódit te :* Dóminus protéctio tua, super manum déxteram tuam.

Per diẽ sol non uret te:* neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo :* custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum, & éxitum tuum :* ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Glória Patri.

℣. Salvos fac servos tuos Dómine. ℟. Deus meus sperántes in te. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris : & viam famulórum

rum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes tuo semper protegámur auxílio. Per Dóminum nostrum.

In Feriis majoribus scilicet Adventûs, jejuniorum, & Vigiliarum, exceptâ Vigiliâ Nativitatis Domini, post Antiphonam ad Benedíctus *dicuntur magnæ Preces ut infrà flexis genibus.*

Kyrie eléison. Kyrie eléison. Christe eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Ego dixi Dómine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequò. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent. ℣. Dómine salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde dicitur Psalmus, De profúndis. *ut infrà.*

Et in fine, Glória Patri. *Finito Psalmo dicitur,* ℣. Exúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus, *Oratio conveniens,*

In Adventu Feria ij. iv. & vj. usque ad 17. Decembris exclusivè dicuntur flexis genibus post Orationem Litaniæ ut in fine Breviarij & tunc iis præponitur Antiphona quæ in Proprio de Tempore prædictis Feriis habetur.

FERIA TERTIA

Ad Matutinum.

Invitatorium. Jubilé-

mus Deó salutári nostro.

Psal. Veníte exultémus. 2.

Antiphona. Ut non delínquam..

Psalmus 38.

DIxi, custódiam vias meas: * ut non delínquam, in linguâ meâ.

Pósui ori meo custódiã:* cùm consísteret peccátor advérsùm me.

Obmútui, & humiliátus sum, & sílui à bonis: * & dolor meus, renovátus est.

Concáluit cor meum intra me: * & in meditatióne meâ, exardéscet ignis.

Locútus sum in linguâ meâ: * Notum fac mihi Dómine finem meum.

Et númerum diérum meórum quis est: * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos: * & substántia mea, tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo: * sed & frustrà conturbátur.

Thesaurízat & ignórat cui congregábit ea: * & nunc quæ est expectátio mea? nónne Dóminus: * & substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbriũ insipiénti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum:* quóniam tu fecísti, ámove à me plagas tuas.

A fortitúdine manûs tuæ ego deféci in increpatiónibus: * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas,

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te:* & peregrínus, sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam ábeam: * & ámpliùs non ero.

Psalmus 39.

EXpéctans expectávi Dóminum: * & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas: * & edúxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et státuit supra petram pedes

pedes meos: * & diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum: * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, & timébunt: * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus: * & non respéxit in vanitátes, & insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua: * & cogitatiónibus tuis, non est quis símilis tibi.

Annuntiávi, & locútus sum: * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrificium & oblatiónem noluísti: * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum & pro peccáto non postulásti: * tunc dixi, Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus vólui, & legem tuam, in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésiâ magna: * ecce lábia mea non prohibébo: * Dómine tu scísti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo: * veritátem tuam, & salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam, & veritátem tuam, à concílio multo.

Tu autem Dómine ne longè fácias miseratiónes tuas à me: * misericórdia tua & véritas tua, semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ: * & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei: * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi Dómine ut éruas me: * Dómine ad adjuvándum me réspice.

Confundántur & revereántur simul: * qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

Avertántur retrórsum, & revereántur: * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam: * qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent, & lætētur super te omnes quæréntes te: * & dicant semper, magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autē mendícus sum, & pauper: * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es: * Deus meus ne tardáveris.

Glória Patri.

Añа. Ut non delínquam in linguâ meâ.

Aña. Sana Dómine.

Psalmus 40.

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem: * in die malâ liberábit eum Dóminus.

Dóminus cōsérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terrâ: * non tradat eum, in ánimam, inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * univérsum stratum ejus versásti, in infirmitate ejus.

Ego dixi, Dómine miserére mei: * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérūt mala mihi: * Quando moriétur & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, & loquebátur.

In idípsum advérsùm me susurrábant omnes inimíci mei: * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me: * numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ in quo sperávi: * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére mei, & resúscita me: * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me: * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti: * & confirmásti me in conspéctu tuo, in ætérnum.

Benedíctus Dñs Deus Israël: * à sæculo & in sæculum fiat, fiat.

Psalmus 41.

QUemadmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: * quando véniam & apparébo, ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte: * dũ dícitur mihi quotídie, Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimã meã: * quóniam transíbo in locũ tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & cõfessiónis, sonus epulãtis.

Quare tristis es ánima mea? & quare conturbas me?* spera in Deo, quóniã adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est:* proptéreà memor ero tui de terra Jordánis: * & Hermoniim á monte módico.

Abyssus abyssũ ínvocat:* in voce cataractárũ tuárũ.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui super me me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericordiam suam:* & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ: * dicam Deo; Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei, & quare tristis incédo:* dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea: * exprobravérunt mihi qui tríbulant me, inimíci mei.

Dum dicũt mihi per síngulos dies, Ubi est Deus tuus?* Quare tristis es ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus. Glória Patri.

Aña. Sana Dómine ánimam meam: quia peccávi tibi. *Ana.* Eructávit.

Psalmus 43.

DEus áuribus nostris audívimus: * patres nostri annuntiavérunt nobis.

Opus quod operátus es in diebus eórum: * & in diébus antíquis.

Manus tua Gentes dispérdidit, & plantásti eos: * afflixísti pópulos, & expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram: * & bráchium eórum, non salvávit eos.

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminá-

tio vultûs tui: * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse Rex meus, & Deus meus: * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu: * & in nómine tuo spernémus, insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo: * & gládius meus non salvábit me.

Salvásti enim nos de affligéntibus nos: * & odiéntes nos confudísti.

In Deo laudábimur totâ die: * & in nómine tuo cõfitébimur tibi in sæculum.

Nunc autem repulísti, & confudísti nos: * & non egrediéris Deus in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsum post inimícos nostros: * & qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tanquã oves escárum: * & in Géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuũ sine prétio: * & non fuit multitúdo, in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris: * subsannatiónem & derísum, his qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem Géntibus: * commotiónem cápitis, in pópulis.

Tota die verecúndia mea contra me est: * & confúsio faciéi meæ, coopéruit me.

A voce exprobrántis & obloquéntis: * à fácie inimíci & persequéntis.

Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te: * & iníquè non égimus, in testaménto tuo.

Et non recéssit retrò cor nostrum: * & declinásti sémitas nostras, à viâ tuâ.

Quóniã humiliásti nos in loco afflictiónis: * & coopéruit nos, umbra mortis.

Si oblíti sumus nomẽ Dei nostri: * & si expándimus manus nostras, ad Deum aliénum.

Nõne Deus requiret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniã propter te mortificámur totâ die: * æstimáti sum⁹ sicut oves occisiónis.

Exúrge, quare obdórmis Dómine? * exúrge, & ne repéllas in finem.

Quare fáciẽ tuã avértis: * oblivísceris inópiæ nostræ, & tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra: *

conglu

conglutinátus eſt in terrâ, venter noſter.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos : * & rédime nos, propter nomen tuum.

Pſalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ, * velóciter ſcribéntis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum : * diffúſa eſt grátia in lábiis tuis : * proptéreà benedíxit te Deus, in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * potentíſſime.

Spécie tuâ,& pulchritúdine tuâ : * inténde, próſperè procéde, & regna.

Propter veritátē, & manſuetúdinem,& juſtítiam : * & dedúcet te mirabíliter, déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ : * pópuli ſub te cadent in corda, inimicórum regis.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi : * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexíſti juſtítiā,& odíſti iniquitátem : * proptéreà unxit te Deus tuus, óleo lętítiæ,præ cōsórtibus tuis.

Myrrha & gutta, & caſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis : * ex quibus delectaverunt te fíliæ regum, in honóre tuo.

Aſtitit regína à dextris tuis in veſtítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, & vide, & inclína aurem tuam:*& oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíſcet Rex decórem tuum: * quóniam ipſe eſt Dóminus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis,

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus : * in fímbriis aúreis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines poſt eam : * próximæ ejus, afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítiâ & exultatióne : * adducéntur, in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sūt tibi filii : * conſtítues eos príncipes, ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne, & generatiónem.

Proptérea pópuli confite-

búntur tibi in ætérnum: * & in fæculum fæculi.

Glória Patri.

Ana. Eructávit cor meum verb um bonum.

Ana. Adjútor.

Pſalmus 45.

DEus noſtrum refúgiũ & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà nõ timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes, in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sũt aquæ eórum: * conturbáti ſunt montes, in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei:* ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus non cõmovébitur: * adjuvábit eam Deus, manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt Gentes, & inclináta ſunt, regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobíſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram:* aúferens bella uſque ad finẽ terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma: * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniã ego ſum Deus: * exaltábor in Géntibus, & exaltábor in terrâ.

Dóminus virtútum nobíſcum: * ſuſcéptor noſter Deus Jacob. *Pſal*. 46.

OMnes Gentes pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélſus, terríbilis: * Rex magnus ſuper omnem terrã.

Subjécit pópulos nobis:* & Gentes ſub pédibus noſtris.

Elégit nobis hæreditátem ſuam: * ſpéciem Jacob, quam diléxit.

Aſcéndit Deus in júbilo:* Dóminus in voce tubæ.

Pſállite Deo noſtro, pſállite: * pſállite Regi noſtro, pſállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus:* pſállite ſapiẽter.

Regnábit Deus ſuper Gẽtes: * Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Príncipes populórum cõgregáti ſunt cũ Deo Abraham: * quóniam dij fortes terræ, vehementer eleváti ſunt. Glória Patri.

Ana,

Ana. Adjútor in tribulatiónibus.

Ana. Aurîbus percípite.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis: * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fũdátur exultatióne univérſæ terræ: * mons Sion, látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur: * cùm ſuſcípiet eam.

Quóniam ecce reges congregáti ſunt: * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt, conturbáti ſunt, commóti ſunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in ſpíritu veheménti, cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum: * in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam, in ætérnum.

Suſcépimus Deus miſericórdiam tuam: * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion, & cõplectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus: * & diſtribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie álterâ.

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * ipſe reget nos in ſæcula.

Psalmus 48.

AUdíte hęc omnes Gẽtes: * auríb⁹ percípite omnes, qui habitátis orbẽ.

Quique terrígenæ, & filij hóminum: * ſimul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur ſapiéntiam: * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam: * apériam in pſaltério, propoſitiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confidunt in virtúte ſuâ: * & in multitúdine, divitiárum ſuárum glorïántur.

Frater non rédimit, rédimet homo: * non dabit

Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ : * & laborábit in ætérnum : * & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum: * cùm víderit sapiéntes moriéntes.

Simul insípiens & stultus peribunt : * & relínquent aliénis, dívitias suas.

Et sepúlchra eórum domus illórum in ætérnum: * tabernácula eórum in progénie & progénie : * vocavérunt nómina sua, in terris suis.

Homo cũ in honóre esset, non intelléxit:* comparát⁹ est juméntis insipiéntibus:* & símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis: * & pósteà in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sũt:* mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum justi in matutino :.* & auxilium eórum veteráscet in inférno, à glóriâ eórum.

Verũmtamen Deus rédimet animam meã de manu ínferi: * cùm accéperit me.

Ne timúeris cùm dives factus fúerit homo : * & cùm multiplicáta fúerit, glória domûs ejus.

Quóniam cùm interíerit non sumet ómnia: * neque descéndet cum eo, glória ejus.

Quia ánima ejus in vitâ ipsíus benedicétur:* cõfitébitur tibi cũ beneféceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum : * & usque in ætérnum, non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre esset, non intelléxit:*comparátus est juméntis insipiéntibus :.* & símilis factus est illis. Glória Patri.

Ana. Aúribus percípite qui habitátis orbem.

Ana. Expectábo.

Psalmus 49.

DEus deórum Dóminus locútus est :.* & vocávit terram.

A solis ortu usque ad occásum : * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus manifestè véniet : * Deus noster, & non silebit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet :.* & in circúitu ejus, tempéstas válida.

Advocábit cælum desúrsum: * & terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi Sanctos ejus:* qui ordinãt testamẽtum ejus, super sacrifícia.

Et annuntiábunt cæli justítiam ejus : * quóniam Deus judex est.

Audi pópulus meus,& loquar: * Israël, & testificábor tibi, Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te : * holocaústa autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tuâ vítulos:* neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum:* juménta in móntibus,& boves.

Cognóvi ómnia volatília cæli :* & pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero,non dicã tibi:* meus est enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum:* aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrificium laudis : * & redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis : * éruam te , & honorificábis me.

Peccatóri autẽ dixit Deus, Quare tu enarras justítias meas : * & assúmis testaméntum meũ per os tuum?

Tu verò odísti disciplinam: * & projecísti sermónes meos retrórsum.

Si vidébas furẽ, currébas cum eo : * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ : * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebáris : * & advérsùs filium matris tuæ ponébas scándalum: * hæc fecísti, & tácui.

Existimásti iníquè quòd ero tui símilis : * arguam te, & státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deũ:* nequando rápiat,& nõ sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * & illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei. *Psalmus* 51.

QUid gloriáris in malítia: * qui potens es in iniquitáte ?

Totâ die injustítiã cogitávit lingua tua:* sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem : * iniquitátem magis, quàm loqui æquitátem.

Dilexísti omnia verba præcipitatiónis , lingua dolósa.

Proptéreà Deus déstruet te in finem : * evéllet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo : * radícem tuam de terrâ vivéntium.

Vidébunt justi & timébunt: * & super eum ridébunt,& dicent : * Ecce homo , qui non pósuit Deum adjutórem suum.

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárũ: * & præváluit in vanitáte suâ.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei : * sperávi in misericórdiâ Dei in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Confitébor tibi in sæculum, quia fecísti:* & expectábo nomen tuum , quóniam bonum est, in conspéctu sanctórum tuórum.

Glória Patri.

Ana. Expectábo nomen tuum Dómine, quóniam bonum est.

Per Annum. ℣.Ego dixi, Dñe miserére mei. ℟.Sana ánimam meam quia peccávi tibi.

In Adventu, ℣.Ex Sion species decóris ejus. ℟.De⁹ noster manifestè veniet.

AD LAUDES.

Ana. Dele Dómine iniquitátem meam. *Psalmus* Miserére. *ut suprà. 69.*

Ana. Salutáre. *Psal.* 42.

JUdica me Deus, & discérne causam meam de gente non sanctâ: * ab hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es fortitúdo mea* quare me repulísti, & quare tristis incédo: * dum afflígit me inimícus ?

Emítte lucem tuã & veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt,& adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei:* ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthará Deus,Deus meus:* quare tristis es ánima mea , & quare conturbas me ?

Spera in Deo , quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei , & Deus meus. Glória Patri.

Antiphona. Salutáre vultûs mei Deus meus.

Aña. Ad te de luce vígilo Deus. *Psalmus*.Deus Deus meus. 21.

Aña. Corrípies me Dñe.

Canticum Ezechiæ.
Isaiæ 38.

EGo dixi :* In dimídio diérum meórum , vadam

ctam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum : * dixi, Non vidébo Dóminum Deum, in terrâ vivéntium.

Non aſpíciam hóminem ultrà : * & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta eſt, & convolúta eſt à me : * quaſi tabernáculum paſtórum.

Præcíſa eſt velut à texénte, vita mea: * dum adhuc ordírer, ſuccídit me.

De manè uſque ad véſperam finies me : * ſperábam uſque ad manè: * quaſi leo ſic contrívit, ómnia oſſa mea.

De manè uſque ad véſperam finies me : * ſicut pullus hirúndinis ſic clamábo : * meditábor ut colúmba.

Attenuáti sũt óculi mei: * ſuſpiciéntes in excélſum.

Dómine vim pátior reſpónde pro me : * Quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, cùm ipſe fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos: * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, ſi ſic vívitur, & in tálibus vita ſpíritûs mei, corrípies me, & vivificábis me : * Ecce in pace amaritúdo mea amariſſima.

Tu autem eruíſti ánimam meam ut non períret: * projecíſti poſt tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : * non expectábunt, qui deſcéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipſe confitébitur tibi, ſicut & ego hódie : * pater filiis notam fáciet, veritátem tuam.

Dómine ſalvum me fac: * & pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ, in domo Dómini.

Glória Patri.

Antiphona. Corrípies me Dómine, & vivificábis me.

Antiphona. Omnes Angeli ejus laudáte Dñm.

Pſalmus Laudáte Dóminum de cælis. 23.

Capitulum.

Dómine miserére noſtri te expectávimus; eſto bráchium noſtrum in mane : & ſalus noſtra in témpore tribulatiónis.

Per Annum, ℣. Replétì ſumus manè misericórdiâ tuâ. ℟. Et exultávimus &

& delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiph. Eréxit Dóminus nobis cornu salútis, in domo David pueri sui.

Deinde dicuntur parvæ Preces, ut suprà. 49.

Quando verò dicendæ sunt magnæ Preces habentur supra in Feria ij.

FERIA QUARTA.

Ad Matutinum.

Invitatorium. In manu tuâ Dómine, omnes fines terræ. *Psalmus.* Veníte exultémus. 2.

Ana. Avertit Dóminus.

Psalmus 52.

DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in iniquitátibus:* non est qui fáciat bonum.

Deus de cælo prospéxit super filios hóminum: * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt: * simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem: * qui devórant plebem meã, ut cibum panis.

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non fuit timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprévit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël; * cùm convérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israël.

Psalmus 54.

EXáudi Deus oratiónem meam: * & ne despéxeris deprecatiónem meam:* inténde mihi, & exáudi me.

Contristátus sum in exercitatióne meâ: * & conturbátus sum à voce inimíci:* & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes: * & in irâ moléfti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me: * & formído mortis cécidit super me.

Timor & tremor venérunt super me: * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi, Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ: * & volábo, & requiéscam?

Ecce elongávi fúgiens: * & mansi in solitúdine.

Expectábam eum qui salvum

vum me fecit :* à pusillanimitáte spíritûs, & tempestáte.

Præcípita Dómine, & dívide linguas eórum: * quóniam vidi iniquitátem, & contradictiónē in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas:* & labor in médio ejus & injustítia.

Et non defécit de platéis ejus, usúra & dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi :* sustinuíssem útique.

Et si is, qui óderat me, super me magna locútus fuísset:* abscondíssem me fórsitan ab eo:

Tu verò homo unánimis, dux meus & notus meus.

Qui simul mecum dulces capiébas cibos :* in domo Dei ambulávimus, cum consénsu.

Véniat mors super illos:* & descéndant in inférnum vivéntes.

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum :* in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi :* & Dóminus salvávit me.

Vésperè, & manè, & merídie narrábo & annuntiábo :* & exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi:* quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, & humiliábit illos :* qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutátio, & non timuérunt Deum:* extén dit manum suam, in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum ejus :* divísi sunt ab irâ vultûs ejus :* & appropinquávit cor illíus.

Molíti sunt sermónes ejus super óleum :* & ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, & ipse te enútriet :* non dabit in ætérnū, fluctuatiónē justo.

Tu verò Deus dedúces eos, in púteum interitûs.

Viri sánguinum & dolósi non dimidiábunt dies suos :* ego autem sperábo in te Dómine.

Glória Patri.

Aña. Avértit Dóminus captivitátem plebis suæ.

Aña. Quóniam.

Psalmus 55.

Miserére mei Deus, quóniam conculcávit

vit me me homo:* totá die impúgnans, tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die : * quóniam multi bellántes, advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo : * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur: * advérsùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abscóndent : * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro nihílo salvos fácies illos : * in irâ pópulos confrínges.

Deus vitam meam annuntiávi tibi : * posuísti lácrymas meas, in conspéctu tuo.

Sicut & in promissióne tuâ : * tunc converténtur inimíci mei retrórsum.

In quacúmque die invocávero te : * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum : * in Dómino laudábo sermónem : * in Deo sperávi, non timébo, quid fáciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua : * quæ reddam laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu : * ut pláceam coram Deo, in lúmine viventium.

Psalmus 56.

Miserére mei Deus, miserére mei : * quóniam in te confidit ánima mea.

Et in umbrâ alárum tuárum sperábo: * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum : * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cælo, & liberávit me : * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum : * dormívi conturbátus.

Fílij hóminum, dentes eórum arma & sagíttæ:* & lingua eorū gládius acútus.

Exaltáre super cælos Deus : * & in omni terrâ glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus

dibus meis : * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam : * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum Deus, parátum cor meum: * cantábo & psalmum dicam.

Exurge glória mea, exurge psaltérium & cíthara : * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómine : * & psalmum dicam tibi, in Géntibus.

Quóniam magnificáta est usque ad cælos misericórdia tua : * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cælos Deus : * & super omnem terram glória tua.

Glória Patri.

Antiphona. Quóniam in te confídit ánima mea.

Aña. Justè judicáte.

Psalmus 57.

SI vere útique justítiam loquímini : * rectè judicáte, filij hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini in terrâ : * injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulvâ : * erravérunt ab útero, locúti sunt falsa.

Furor illis secúndùm similitúdinem serpéntis : * sicut áspidis surdæ, & obturántis aures suas.

Quæ non exáudiet vocem incantántium : * & venéfici, incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eõrũ in ore ipsórum: * molas leónum confrínget Dñs.

Ad níhilum devénient tanquam aqua decúrrens:* inténdit arcum suum, donec infirméntur,

Sicut cera, quæ fluit, auferéntur : * supercécidit ignis, & non vidérunt solẽ.

Priúsquam intellígerent spinæ vestræ rhamnum : * sicut vivéntes, sic in irâ absórbet eos.

Lætábitur justus cùm víderit vindíctam : * manus suas lavábit, in sánguine peccatóris.

Et dicet homo : si útique est fructus justo : * útique est Deus, júdicans eos in terra.

Psalmus 58.

ERipe me de inimícis meis Deus meus : * & ab insurgéntibus in me, líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem : * & de viris sánguinum, salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam

mam meam: * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum Dómine: * sine iniquitáte cucúrri, & diréxi.

Exúrge in occúrsum meum, & vide: * & tu Dómine Deus virtútum, Deus Israël.

Inténde ad visitándas omnes Gentes: * non misereáris ómnibus, qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam, & famem patiéntur ut canes: * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo: * & gládius in lábiis eórum, quóniam quis audívit?

Et tu Dómine deridébis eos: * & ad níhilum dedúces, omnes Gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam: * quia Deus suscéptor meus: * Deus meus, misericórdia ejus, prævéniet me.

Deus osténdit mihi super inimícos meos: * ne occídas eos, nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tuâ: * & depóne eos protéctor meus Dómine.

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum: * & comprehendántur, in supérbiâ suâ.

Et de execratióne & mendácio, annuntiabúntur in cōsummatióne: * in ira consummatiónis, & non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob, & fínium terræ.

Converténtur ad vésperam, & famem patiéntur ut canes: * & circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum: * si verò non fúerint saturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: * & exaltábo manè, misericórdiam tuam.

Quia factus es suscéptor meus: * & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus tibi psallam: * quia Deus suscéptor meus: * Deus meus, misericórdia mea.

Glória Patri.

Antiphona. Justè judicáte filij hóminum.

Aña. Da nobis Dómine.

Psalmus 59.

DEus repulísti nos, & destruxísti nos: * irátus,

ꝺus es, & misértus es nobis.

Commovísti terram & conturbásti eam : * ſana contritiónes ejus , quia commóta eſt.

Oſtendíſti pópulo tuo dura , * potáſti nos vino compunctiónis.

Dedíſti metuéntibus te ſignificatiónem : * ut fúgiant à fácie arcûs.

Ut liberéntur dilécti tui:* ſalvum fac déxtera tua , & exáudi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo: * Lætábor, & partíbor Sichimam : * & convállem tabernaculórum metíbor.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes: * & Ephraim fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus :* Moab olla ſpei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum:*mihi alienígenæ súbditi ſunt.

Quis dedúcet me in civitátē munítā? * aut quis dedúcet me,uſq;in Idumæam?

Nonne tu Deus qui repuliſti nos :* & non egrediéris Deus , in virtútibus noſtris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * & vana ſalus hominis.

In Deo faciémus virtútem : * & ipſe ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Pſalmus 60.

EXáudi Deus deprecatiónem meam :* & inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi dum anxiarétur cor meum : * in petrâ exaltáſti me.

Deduxíſti me quia factus & ſpes mea :* turris fortitúdinis, à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in ſæcula:*prótegar in velaménto, alárū tuárū.

Quóniam tu Deus exaudíſti oratiónem meam : * dedíſti hæreditátem timéntibus , nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies : * annos ejus uſque in diem generatiónis , & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conſpéctu Dei : * miſericórdiam & veritátem ejus, quis requíret ?

Sic pſalmum dicam nómini tuo , in ſæculum ſæculi : * ut reddam vota mea , de die in diem.

Glória Patri.

Aña. Da nobis Dómine auxílium de tribulatióne.

Antiphona. A timóre.

Pſalmus

Psalmus 61.

NOnne Deo subjécta erit ánima mea : * ab ipso enim, salutáre meum.

Nam & ipse Deus meus, & salutáris meus : * suscéptor meus, non movébor ámpliùs.

Quoúsque irrúitis in hóminem : * interficitis univérsi vos, tamquam paríeti inclináto, & macériæ depúlsæ ?

Verūmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere : * cúcurri in siti : * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto ánima mea:* quóniã ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus & salvátor meus: * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum,& glória mea : * Deus auxílij mei,& spes mea in Deo est.

Speráte in eo omnis congregátio pópuli : * effúndite coram illo corda vestra: * Deus adjútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani filij hóminum : * mendáces filij hóminum in statéris : * ut decípiant ipsi de vanitáte, in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte:* & rapínas nolíte cōcupíscere : * divítiæ si áffluant,nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus: * duo hæc audívi, quia potéstas Dei est, & tibi Dómine misericórdia : * quia tu reddes unicuíque, juxta ópera sua. *Psalmus 63.*

EXáudi Deus oratiónem meam cùm deprecor: * à timóre inimíci, éripè ánimam meam.

Protexísti me à convéntu malignántium:* à multitúdine operántiũ iniquitátẽ.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas:* intendérunt arcum rem amáram : * ut sagíttent in occultis immaculátum.

Subitò sagittábunt eum, & non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscondérent láqueos:* dixérunt, Quis vidébit eos ?

Scrutáti sunt iniquitátes:* defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum:* & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * & infirmátæ sunt

contra

contra eos, linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * & tímuit omnis homo.

Annuntiavérunt ópera Dei : * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo : * & laudabúntur omnes recti corde. Glória Patri.

Ant. A timóre inimíci éripe Dómine ánimã meam.

Ant. In ecclésiis.

Psalmus 65.

JUbiláte Deo omnis terra: * psalmum dícite nómini ejus : * date glóriam, laudi ejus.

Dícite Deo, quàm terribília sunt ópera tua, Dómine:* in multitúdine virtútis tuæ, mentiéntur tibi, inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & psallat tibi : * psalmum dicat, nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei : * terríbilis in consíliis, super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam : * in flúmine pertransíbunt pede, ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte suâ in ætérnum : * óculi ejus super Gẽtes respíciũt:* qui exásperant, non exalténtur in semetípsis.

Benedícite Gentes Deum nostrum : * & audítam fácite, vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meã ad vitam:* & non dedit, in commotiónẽ pedes meos.

Quóniam probásti nos Deus:* igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueũ:* posuísti tribulatiónes in dorso nostro : * imposuísti hómines, super cápita nostra.

Transívimus per ignem & aquã : * & eduxísti nos, in refrigérium.

Introíbo in domum tuã in holocaústis : * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, in tribulatióne meâ.

Holocaústa medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum : * ófferam tibi, boves cum hircis.

Veníte, audite : * & narrábo omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi : * & exaltávi, sub linguâ meâ.

Iniqui

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, non exáudiet Dóminus.

Proptéreà exaudívit De⁹* & atténdit voci, deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus: * qui non amóvit oratiónem meam, & misericórdiam suam à me.

Psalmus 67.

EXúrgat Deus, & dissipéntur inimíci ejus: * & fúgiant qui odérũt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus deficiant: * sicut fluit cera à fácie ignis: * sic péreant peccatores, à fácie Dei.

Et justi epuléntur: * & exúltent in conspéctu Dei, delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui ascéndit super occásum, Dñs nomen illi.

Exultáte in conspectu ejus: * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo:* Deus qui inhabitáre facit, unius moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine: * similíter eos qui exásperant, qui habitant in sepúlchris.

Deus cum egrederéris in conspéctu pópuli tui, cum pertransíres in desérto.

Terra mota est: * étenim cæli distillavérunt à fácie Dei Sinaï, à fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis Deus hæreditáti tuæ: * & infirmáta est, tu verò perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea: * parásti in dulcédine tuâ, paúperi Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus, virtúte multâ.

Rex virtútum dilécti dilécti: * & speciéi domûs, divídere spólia.

Si dormiátis inter medios cleros, pennæ colúmbæ deargentátæ: * & posterióra dorsi ejus, in pallóre auri.

Dum discérnit cæléstis reges super eam: * nive dealbabúntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis: * ut quid suspicámini, montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo: * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex: * míllia lætántium: * Dóminus in eis,

in Sinaï in sancto.

Ascendísti in altum: * cepísti captivitátem: * accepísti dona, in homínibus.

Etenim non credéntes, inhabitáre Dñm Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie: * prósperum iter fáciet nobis, Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi: * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus, confrínget cápita inimicórum suórum: * verticem capílli perambulántium, in delíctis suis.

Dixit Dóminus, ex Basan convértam: * convertam, in profúndum maris.

Ut intingátur pes tuus in sanguine: * lingua canum tuórũ, ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos Deus: * gressus Dei mei: * Regis mei, qui est in sãcto.

Prævenérunt príncipes conjúncti psalléntibus: * in médio juvenculárum, tympanistriárum.

In ecclésiis benedícite Deo: * Dómino, de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus, in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum: * príncipes Zábulon, príncipes Nephtalim.

Manda Deus virtúti tuæ: * confírma Deus hoc, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis: * congregátio taurórum in vaccis populórum: * ut exclúdant eos, qui probáti sunt argénto.

Díssipa Gentes quæ bella volunt: * vénient legáti ex Ægypto: * Æthiópia, prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantáte Deo, psállite Dómino: * psállite Deo, qui ascéndit super cælum cæli, ad Oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis: * date glóriam Deo: * super Israël magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in Sanctis suis: * Deus Israël ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ, benedíctus Deus. Glória Patri.

Ana. In ecclésiis benedícite Dómino.

Per *Annum.* ℣. Deus vitam meam annuntiávi tibi. ℟. Posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

In

In Adventu. ℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. De⁹ noster manifésté véniet.

AD LAUDES.

Ana. Amplius lava me Dómine ab injustítiâ meâ. *Psalm.* Miserére. *ut sup.* 69. *Ana.* Te decet.

Psalmus 64.

TE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddétur votum, in Jerúsalem.

Exáudi oratiōnē meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum præ-valuérunt super nos: * & impietátibus nostris, tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti, & assumpsísti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replebimur in bonis domûs tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster: * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tuâ, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuúm ejus.

Turbabúntur Gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus matutíni, & véspere delectábis.

Visitásti terram & inebriásti eam: * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis: * parásti cibum illórum, quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébrians, multíplica genímina ejus* in stillicídiis ejus, lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ: * & campi tui, replebūtur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti: * & exultatióne colles accingéntur.

Induti sunt aríetes óviū, & valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dícent.

Glória Patri.

Ana. Te decet hymnus Deus in Sion.

Ana. Lábia mea laudábunt te in vitâ meâ Deus meus. *Psalmus.* Deus Deus meus. 21. *Ana.* Dóminus.

Canticum Annæ.

1. Reg. 2.

EXultávit cor meum in Dómino: * & exaltátum est cornu meum, in Deo meo.

Dilatátum est os meum super

ſuper inimícos meos: * quia lætáta ſum, in ſalutári tuo.

Non eſt ſanctus, ut eſt Dóminus: * neque enim eſt álius extra te: * & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Nolíte multiplicáre loqui ſublímia, gloriántes.

Recédant vétera de ore veſtro, quia Deus ſcientiárum Dóminus eſt: * & ipſi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium ſuperátus eſt: * & infírmi accíncti ſunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus ſe locavérunt: * & famélici ſaturáti ſunt.

Donec ſtérilis péperit plúrimos: * & quæ multos habébat fílios, infirmáta eſt.

Dóminus mortíficat & vivíficat: * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dñs paúperẽ facit & ditat: * humíliat, & súblevat.

Súſcitat de púlvere egénum * & de ſtércore élevat páuperem.

Ut sédeat cum princípibus: * & sólium glóriæ téneat.

Dómini enim ſunt cárdines terræ: * & póſuit ſuper eos orbem.

Pedes ſanctórum ſuórũ ſervábit: * & ímpij in tenebris conticéſcent: * quia non in fortitúdine ſuâ, roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adverſárij ejus: * & ſuper ipſos, in cælis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ: * & dabit impérium regi ſuo: * & ſublimábit cornu, Chriſti ſui.

Glória Patri,

Aña. Dóminus judicábit fines terræ.

Ana. Cæli cælórum laudáte Deum. *Pſalmus.* Laudáte Dñm de cælis. 23.

Capitulum.

DOmine miſerére noſtri, te expectávimus; eſto bráchium noſtrum in manè: & ſalus noſtra in témpore tribulatiónis.

Per Annum. ℣. Repléti ſumus manè miſericórdia tua. ℟. Et exultávimus, & delectáti ſumus.

Ad Benedictus, Ana. De manu ómnium, qui nos odérunt, líbera nos Dómine.

Deinde dicuntur parvæ Preces, ut ſuprà. 72.

Quãdo vero dicẽdæ ſunt magnæ Preces, habentur ſup. in Feria ſecunda. 73.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum,

Invitator. Dñm qui fecit nos, veníte adorémus. *Psal.* Veníte exultemus. 2. *Ana.* Dómine Deus.

Psalmus 68.

SAlvum me fac Deus: * quóniam intravérunt aquæ, usq; ad ánimã meã.

Infíxus sum in limo profúndi: * & non est substántia.

Veni in altitúdinem maris: * & tempéstas, demérsit me.

Laborávi clamans: * raucæ factæ sunt, fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt, super capíllos cápitis mei: * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt, qui persecúti sunt me inimíci mei injustè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus tu scis insipiéntiã meam: * & delícta mea, à te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me, qui expéctant te Dñe: * Dómine virtútum.

Non confundántur super me: * qui quærunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium: * opéruit cõfúsio, fáciem meã.

Extráneus factus sum frátribus meis: * & peregrinus fíliis, matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me: * & oppróbria exprobrántium tibi, cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam: * & factum est, in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum cilícium: * & factus sum illis, in parábolam.

Advérsùm me loquebãtur, qui sedébãt in porta: * & in me psallébant, qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te Dñe: * tempus beneplácíti Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exaúdi me: * in veritáte, salútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infígar: * líbera me ab his qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquæ: * neque absórbeat me profúndum: * neque úrgeat super me, Púteus os suum.

Exaúdi me Dñe, quóniam benígna est misericórdia

córdia tua. * secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárũ, réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam, à púero tuo:* quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam: * propter inimícos meos, éripe me.

Tu scis impropérium meum, & confusiónem meam: * & reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me:* impropérium expectávit cor meum, & misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, & nõ fuit:* qui consolarétur, & non inveni.

Et dedérunt in escam meam fel:*& in siti meâ, potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum, coram ipsis in láqueum: * & in retributiónes, & in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant: * & dorsum eórum, semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam: * & furor iræ tuæ, comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta:* & in tabernáculis eórum, non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt: * & super dolórem vúlnerum meórum, addidérunt.

Appóne iniquitátem, super iniquitátẽ eórum: * & non intrent, in justítiam tuam.

Deleantur de libro vivéntium: * & cum justis non scribántur.

Ego sum pauper & dolens:* salus tua Deus suscépit me.

Laudábo nomen Dei cũ cántico: * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novéllum:* córnua producéntem, & úngulas.

Vídeant páuperes, & lætentur: * quærite Deum, & vivet ánima vestra.

Quóniã exaudívit paúperes Dóminus: * & vinctos suos, non despéxit.

Laúdent illum cæli & terra: * mare, & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam faciet Sion: * & ædificabúntur, civitátes Judæ.

Et inhabitábunt ibi: *

& hæreditáte acquírẽt eã.

Et ſemen ſervórum ejus, poſſidébit eam : * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in eâ.

Pſalmus 69.

DEus in adjutórium meum inténde:* Dómine ad adjuvándum me feſtína.

Confundántur & revereántur : * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórſum,& erubéſcant : * qui volunt mihi mala.

Avertántur ſtatim & erubeſcéntes : * qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exúltent & lætentur in te omnes qui quærunt te:* & dicant ſemper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego vero egénus & pauper ſũ:* Deus ádjuva me.

Adjútor meus,& liberátor meus es tu:*Dómine, ne moréris.

Glória Patri.

Antiphona. Dómine Deus in adjutórium meum inténde.

Antiphona. Eſto mihi.

Pſalmus 70.

IN te Dómine ſperávi, non confúndar in ætérnum : * in juſtítiâ tuâ líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, & ſalva me.

Eſto mihi in Deum protectórem,& in locum munítum : * ut ſalvum me fácias.

Quóniam firmaméntum meum, & refúgium meum es tu.

Deus meus éripe me de manu peccatóris : * & de manu contra legem agéntis, & iníqui.

Quóniam tu es,patiéntia mea Dómine : * Dómine ſpes mea,à juvẽtúte meâ.

In te confirmátus ſum, ex útero : * de ventre matris meæ, tu es protéctor meus.

In te cantátio mea ſemper:* tanquam prodígium factus ſum multis, & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam: * totâ die, magnitúdinem tuam.

Ne projícias me, in témpore ſenectútis:* cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi : * & qui cuſtodiébant ánimam meam,

cõsilium fecérunt in unũ.

Dicéntes, Deus derelíquit eum: * persequímini, & comprehéndite eum: * quia non est, qui erípiat.

Deus ne elongéris à me:* Deus meus in auxílium meum réspice.

Confundántur, & defíciant detrahéntes ánimæ meæ: * operiántur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo: * & adjíciam, super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit justítiam tuam:* tota die, salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine memorábor, justítiæ tuæ solíus.

Deus docuísti me, à juventúte meâ, & usque nunc: * pronuntiábo, mirabília tua.

Et usque in senéctam & sénium, Deus ne derelínquas me.

Donec annúntiem bráchium tuum:* generatióni omni, quæ ventúra est.

Poténtiam tuam, & justítiam tuam Deus usque in altíssima, quæ fecísti magnália: * Deus quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas & malas: * & convérsus vivificásti me: * & de abyssis terræ, íterum reduxísti me!

Multiplicásti magnificéntiam tuam: * & convérsus, consolátus es me.

Nã & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátẽ tuam Deus: * psallam tibi in cítharâ, sanctus Israël.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi: * & ánima mea, quã redemísti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam:* cùm confúsi, & revériti fúerint, qui quærunt mala mihi.

Psalmus 71.

DEus, judícium tuum Regi da: * & justítiam tuam filio Regis.

Judicáre pópulum tuum in justitiâ: * & páuperes tuos, in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * & colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet filios páuperum: * & humiliá-

bit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, & ante lunam:* in generatióne,& generatióne.

Descéndet sicut plúvia in vellus:* & sicut stillicídia stillántia, super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis:*donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare: * & à flúmine usque ad términos, orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes: * & inimíci ejus, terram lingent.

Reges Tharsis, & Insulæ múnera ófferent: * reges Arabum, & Saba, dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes Reges: * omnes Gentes, sérvient ei.

Quia liberábit páuperem à poténte: * & páuperem,cui nõ erat adjútor.

Parcet páuperi & ínopi:* & ánimas páuperum, salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte, rédimet ánimas eórum: * & honorábile nomen eórum, coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ: * & adorábunt de ipso semper: * totâ die benedícent ei.

Erit firmaméntum in terrâ, in summis móntium: * superextollétur super Líbanum fructus ejus: *& florébunt de civitáte,sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula:* ante solẽ pérmanet, nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso, omnes tribus terræ:* omnes Gentes, magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël: * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum: * & replébitur majestáte ejus omnis terra, fiat, fiat.

Glória Patri.

Añа. Esto mihi Dómine in Deum protectórem.

Añа. Liberásti virgam.

Psalmus 72.

QUàm bonus Israël Deus: * his qui recto sunt corde!

Mei autem penè moti sunt pedes: * penè effúsi sunt, gressus mei.

Quia zelávi super iníquos: * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti

morti eórum : * & firmaméntum, in plagâ eórum.

In labóre hóminum non sunt: * & cum homínibus, non flagellabúntur.

Ideo ténuit eos supérbia : * opérti sunt iniquitáte, & impietáte suâ.

Pródiit quasi ex ádipe, iníquitas eórum : * transiérunt, in affectum cordis.

Cogitavérunt, & locúti sunt nequítiam: * iniquitátē in excélso, locúti sūt.

Posuérunt in cœlo os suum : * & lingua eórum, transívit in terrâ.

Ideò convertétur pópulus meus hic : * & dies pleni, inveniéntur in eis.

Et dixérunt, Quómodo scit Deus: * & si est sciéntia in Excélso ?

Ecce ipsi peccatóres, & abundántes in sæculo : * obtinuérunt divítias.

Et dixi, Ergo sine causa justificávi cor meum : * & lavi inter innocéntes, manus meas.

Et fui flagellátus totâ die : † & castigátio mea, in matutínis.

Si dicébam, Narrábo sic* ecce natiónem filiórum tuórum, reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc: * labor est ante me.

Donec intrem in sanctuárium Dei : * & intélligam, in novíssimis eórū.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis:* dejecísti eos, dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in desolatiónem : * súbitò defecérunt: periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium : * Dómine, in civitáte, tuâ imáginem ipsórum, ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, & renes mei commutáti sunt: * & ego ad níhilum redáctus sum, & nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te : * & ego semper tecum.

Tenuísti manum déxteram meam : * & in voluntáte tuâ deduxísti me:* & cū glória, suscepísti me.

Quid enim mihi est in cælo ! * & à te quid vólui, super terram ?

Defécit caro mea, & cor meum : * Deus cordis mei, & pars mea Deus, in ætérnum.

Quia ecce, qui elóngant se à te, períbunt: * perdi-

dísti omnes, qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est : * pónere in Dño Deo, spem meam.

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas : * in portis filiæ Sion.

Psalmus 73.

UT quid Deus repulísti in finem : * irátus est furor tuus, super oves páscuæ tuæ.

Memor esto congregatiónis tuæ : * quam possedísti, ab inítio.

Redemísti virgam hæreditátis tuæ : * mons Siō, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem : * quanta malignátus est, inimícus in sancto !

Et gloriáti sunt qui odérunt te : * in médio, solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa, & non cognovérunt: * sicut in éxitu, super summum.

Quasi in silvâ lignórum, secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum : * in secúri & áscia, dejecérunt eam.

Incendérunt igni, Sanctuárium tuum in terrâ: * polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo, cognátio eórum simul : * Quiéscere faciámus, omnes dies festos Dei à terrâ.

Signa nostra non vídimus, jam non est prophéta : * & nos non cognóscet ámplius.

Usquequò Deus improperábit inimícus : * irrítat adversárius, nomen tuum in finem ?

Ut quid avertis manum tuam : * & déxteram tuam, de médio sinu tuo in finem ?

Deus autem Rex noster ante sæcula:* operátus est salútem, in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tuâ mare : * contribulásti cápita dracónum, in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis : * dedísti eum escam, pópulis Æthíopū.

Tu dirupísti fontes, & torréntes : * tu siccásti, flúvios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox : * tu fabricátus es, auróram & solem.

Tu fecísti omnes términos terræ : * æstátem & ver, tu plasmásti ea.

Memor

Memor esto hujus*, inimícus improperávit Dómino : * & pópulus insípiens, incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi : * & ánimas páuperum tuórum, ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum : * quia repléti sunt qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus : * pauper & inops, laudábunt nomen tuum.

Exúrge Deus, júdica causam tuam : * memor esto improperiórum tuórum :* eórum quæ ab insipiénte, sunt totâ die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum : * supérbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Glória Patri.

Antiphona. Liberásti virgam hæreditátis tuæ.

Antiphona. In Isräel.

Psalmus 74.

CONFITEBIMUR tibi Deus : * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cùm accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, & omnes qui hábitant in eá : * ego confirmávi, colúmnas ejus.

Dixi iníquis, Nolíte iníquè ágere :* & delinquéntibus, Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsùs Deum, iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque à desértis móntibus:* quóniam Deus, judex est.

Hunc humíliat, & hunc exáltat : * quia calix in manu Dómini, vini meri, plenus mixto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : * verúmtamen fæx ejus non est exinaníta : * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam : * & exaltabúntur córnua justi.

Psalmus 75.

NOtus in Judæâ Deus:* in Isräel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace lo-

tus ejus: * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias:* arcum, scutum, & gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis turbáti sunt omnes, insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum: * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum, in mánibus suis.

Ab increpatióne tuâ Deus Jacob: * dormitavérunt, qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es & quis resístet tibi: * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecísti judícium:* terra trémuit, & quiévit.

Cum exúrgeret in judícium Deus:* ut salvos fáceret, omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi: * & relíquiæ cogitatiónis, diem festum agent tibi.

Vovéte & réddite Dómino Deo vestro: * omnes qui in circúitu ejus, affértis múnera.

Terríbili, & ei qui aufert spíritum príncipum:* terríbili, apud omnes reges terræ. Glória Patri.

Antiphona. In Israël magnum nomen Dómini.

Antiphona. Tu es Deus.

Psalmus 76.

VOce meâ ad Dóminum clamávi: * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meę, Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum: * & non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea: * memor fui Dei, & delectátus sum, & exercitátus sum: * & defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei:* turbátus sum, & non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos:* & annos ætérnos, in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo: * & exercitábar, & scopébam, spíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus: * aut non appónet, ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscóndet: * à generatióne, in generatiónem?

Aut

Aut oblivifcétur miseréri Deus ? * aut continébit in irâ suâ, misericórdias suas ?

Et dixi, Nunc cœpi : * hæc mutátio déxteræ Excélsi.

Memor fui óperum Dómini : * quia memor ero ab inítio, mirabílium tuórum.

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis : * & in adinventiónibus tuis, exercébor.

Deus in sancto via tua.* quis Deus magnus sicut Deus noster?* tu es Deus, qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis, virtútem tuam: * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob & Joseph.

Vidérunt te aquæ Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt : * & turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitûs aquárum : * vocem dedérunt nubes.

Etenim ságittæ tuæ tránseunt : * vox tonítrui tui, in rotâ.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terrę:* cōmóta est, & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis : * & vestígia tua, non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum : * in manu Móysi, & Aaron.

Psalmus 77.

Attendite pópule meus legem meam* inclináte aurem vestram, in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum : * loquar propositiónes, ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea : * & patres nostri, narravérunt nobis ?

Non sunt occultáta à filiis eórum : * in generatióne álterâ.

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus : * & mirabília ejus, quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob: * & legem pósuit in Israël.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea filiis suis : * ut cognóscat generátio áltera.

Filij qui nascéntur, & exúrgent : * & narrábunt filiis suis.

Ut ponant in Deo spem suam : * & non oblivís-

cántur óperum Dei : * & mandáta ejus exquírant.

Ne fiant ſicut patres eórum : * generátio prava, & exáſperans.

Generátio quæ non diréxit cor ſuum : * & non eſt créditus cum Deo, ſpíritus ejus.

Filij Ephrem intendéntes & mitténtes arcum: * convérſi ſunt, in die belli.

Non cuſtodiérunt teſtaméntum Dei : * & in lege ejus, noluérunt ambuláre.

Et oblíti ſunt benefactórum ejus:* & mirabílium ejus, quæ oſténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terrâ Ægypti: * in campo Táneos.

Interrúpit mare, & perdúxit eos : * & ſtátuit aquas quaſi in utre.

Et dedúxit eos in nube die : * & totâ nocte, in illuminatióne ignis.

Interrúpit petrã in erémo : * & adaquávit eos, velut in abyſſo multâ.

Et edúxit aquam de petra : * & edúxit tanquam flúmina aquas.

Et appoſuérunt adhuc peccáre ei : * in iram excitavérunt Excélſum, in inaquóſo.

Et tentavérunt Deum in córdibus ſuis : * ut péterent eſcas, animábus ſuis.

Et malè locúti ſunt de Deo : * dixérunt, Numquid póterit Deus, paráre menſam, in desérto ?

Quóniam percúſſit petram, & fluxérunt aquæ:* & torréntes inundavérunt.

Numquid & panem póterit dare : * aut paráre menſam, pópulo ſuo ?

Ideò audívit Dóminus, & díſtulit:* & ignis accénſus eſt in Jacob : * & ira aſcéndit in Iſraël.

Quia non credidérunt in Deo : * nec ſperavérunt, in ſalutári ejus.

Et mandávit núbibus déſuper : * & jánuas cæli apéruit,

Et pluit illis manna ad manducándum : * & panem cæli, dedit eis.

Panem Angelórũ manducávit homo : * cibária miſit eis, in abundántiâ.

Tránſtulit Auſtrum de cælo: * & indúxit in virtuté ſuâ Africum.

Et pluit ſuper eos ſicut púlverem carnes : * & ſicut

cut arénam maris, volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum: * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, & saturáti sunt nimis: * & desidérium eórum áttulit eis:* non sunt fraudáti, à desidério suo.

Adhuc escæ eórum, erãt in ore ipsórum: * & ira Dei, ascéndit super eos.

Et occídit pingues eórum: * & eléctos Israël impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc: * & non credidérunt, in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum: * & anni eórum, cum festinatióne.

Cũ occíderet eos, quærébant eum, & revertebántur: * & dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sũt, quia Deus adjútor est eórum:* & Deus excélsus, redémptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo: * & linguâ suâ, mentíti sunt ei.

Cor autem eórum, non erat rectum cum eo:* nec fidéles hábiti sunt, in testaménto ejus.

Ipse autem est miséricors, & propítius fiet peccatis eórum: * & non dispérdet eos.

Et abundávit, ut avérteret iram suam: * & non accéndit, omnem iram suam.

Et recordátus est quia caro sunt: * spíritus vadens, & non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in desérto. * in iram concitavérunt eum, in inaquóso?

Et convérsi sunt, & tentavérunt Deum: * & sanctum Israël, exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manûs ejus: * die qua redémit eos, de manu tribulántis.

Sicut pósuit in Ægypto signa sua: * & prodígia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum: * & imbres eórũ, ne bíberent.

Misit in eos cynomyam, & comêdit eos: * ranam, & dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum: * & labóres eórum locústæ.

Et

Et occidit in grándine víneas eórum : * & moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum : * & possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ : * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem : * immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ : * & non pepércit à morte animárũ eórum : * & juménta eórum, in morte conclúsit.

Et percússit omne primogénitum in terrâ Ægypti : * primítias omnis labóris eórum, in tabernáculis Cham.

Et ábstulit sicut oves, pópulum suum : * & perdúxit eos, tanquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in spe, & non timuérunt:*& inimícos eórum, opéruit mare.

Et indúxit eos in montem sãctificatiónis suæ:* montem quem acquisívit, déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum Gentes : * & sorte divísit eis terram, in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum, tribus Israël.

Et tentavérunt & exacerbavérunt Deum excélsum:* & testimónia ejus, non custodiérunt.

Et avertérunt se,& non servavérunt pactum : * quemádmodũ patres eórum, convérsi sunt,in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis: * & in sculptílibus suis,ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus & sprevit: * & ad níhilum,redégit valdè Israël.

Et répulit tabernáculum Silo : * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem,virtútem eórum:* & pulchritúdinem eórum, in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum : * & hæreditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis : * & vírgines eórum,non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt:* & víduæ eórum, non plorabántur.

Et excitátus est tanquã dórmiens

dórmiens Dóminus:*tanquam potens, crapulátus est à vino.

Et percússit inimícos suos in posterióra : * oppróbrium sempitérnum, dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph : * & tribum Ephraim, non elégit.

Sed elégit tribum Judæ:* montem Sion, quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctificium suum : * in terra quam fundávit in sæcula.

Et elégit David servum suum : * & sústulit eum de grégibus óvium : * de post fœtántes, accépit eum.

Páscere Jacob servum suum : * & Israël hæreditátem suam.

Et pavit eos in innocéntiâ cordis sui : * & in intelléctibus mánuum suárum, dedúxit eos.

Glória Patri.

Aña. Tu es Deus, qui facis mirabília.

Aña. Propítius.

Psalmus 78.

DEus venérunt Gentes in hæreditátẽ tuam:* polluérunt templum sanctum tuum : * posuérunt Jerúsalem, in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus cæli : * carnes sanctórum tuórum, béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tanquam aquam in circúitu Jerúsalem : * & non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbriũ vicínis nostris : * subsannátio & illúsio, his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequò Dómine irascéris in finem: * accendétur velut ignis, zel⁹ tuus ?

Effúnde iram tuam in Gentes, quæ te non novérunt : * & in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob : * & locum ejus, desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum : * citò antícipent nos misericórdiæ tuæ : * quia páuperes, facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutáris noster : * & propter glóriam nóminis tui Dómine, líbera nos.

Et

Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum: * ne fortè dicant in Géntibus, Ubi est Deus eórum?

Et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris; * últio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est.

Introëat in conspéctu tuo, gémitus compeditórum: * secúndùm magnitúdinem bráchij tui pósside filios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi Dómine.

Nos autẽ pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ * confitébimur tibi, in sæculũ.

In generatióne & generatiónem, annuntiábimus laudem tuam.

Psalmus 79.

QUi regis Israël, inténde: * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim manifestáre: * coram Ephraim, Bénjamin, & Manásse.

Excita poténtiam tuam, & veni: * ut salvos fácias nos.

Deus convérte, nos: * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Dómine Deus virtútum: * quoúsque irascéris, super oratiónem, servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum: * & potum dabis nobis, in lácrymis, in mensúrâ.

Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris: * & inimíci nostri, subsannavérunt nos.

Deus virtútum convérte nos: * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Víneam de Ægypto transtulísti: * ejecísti Gentes, & plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus: * & plantásti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus: * & arbústa ejus, cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare: * & usque ad flumẽ, propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus: * & vindémiant eam omnes, qui prætergrediúntur viam?

Extermínávit eam aper de silvâ: * & singularis ferus,

ferus. depástus est eam.

Deus virtútum convértere: * réspice de cælo, & vide: * & vísita víneam istam.

Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua: * & super filium hóminis, quem confirmásti tibi,

Incénsa igni, & suffóssa * ab increpatióne, vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ: * & super filium hóminis. quem confirmásti tibi.

Et non discédimus à te: * vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum convérte nos: * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus. Glória Patri.

Aña. Propítius esto peccátis nostris Dómine.

Per Annum, ℣. Gaudébunt lábia mea cùm cantávero tibi. ℟. Et ánima mea quam redemísti.

AD LAUDES.

Aña. Tibi soli peccávi Dómine miserére mei.

Psalmus. Miserére. 69.

Aña. Dómine refúgium.

Psalmus idem 89.

DOmine refúgium, factus es nobis: * à generatióne, in generatiónem.

Priúsquam montes fierent, aut formarétur terra & orbis: * à sæculo & in sæculum, tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem: * & dixísti, Convertímini, filij hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos: * tamquam dies hestérna, quæ prætériit.

Et custódia in nocte: * quæ pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Manè sicut herba tránseat: * manè flóreat, & tránseat: * véspere décidat, indúret, & aréscat.

Quia defécimus in irâ tuâ: * & in furóre tuo, turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo: * sæculum nostrum, in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt: * & in irâ tuâ defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur: * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni.

Si autem in potentátibus octogínta anni: * & ámplius

Pliùs eórũ, labor & dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo, & corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ : * & præ timóre tuo, iram tuam, dinumeráre ?

Déxteram tuam sic notam fac.* & erudítos corde, in sapiéntiâ.

Convértere Dómine úsquequo : * & deprecábilis esto, super servos tuos.

Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ : * & exultávimus & delectáti sumus, in ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti : * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, & in ópera tua : * & dírige, filios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos : * & ópera mánuum nostrárum, dírige super nos : * & opus mánuum nostrárum dírige.

Glória Patri.

Aña. Dómine refúgium factus es nobis.

Aña. In matutínis Dómine meditábor in te.

Psal. Deus Deus meus. 21.

Aña. In ætérnum Dñs.

Canticũ Moysi. Exod. 15.

Cantémus Dómino, gloriósè enim honorificátus est: * equum & ascensóre, projécit in mare.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus: * & factus est mihi, in salútem.

Iste Deus meus, & glorificábo eum: * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, omnipotens nomen eius : * currus Pharaónis, & exércitum ejus, projécit in mare.

Elécti príncipes ejus submérsi sunt in mari Rubro : * abyssi operuérunt eos: * descendérunt in profúndum, quasi lapis.

Déxtera tua Dómine magnificáta est in fortitúdine : * déxtera tua Dómine percússit inimícum : * & in multitúdine glóriæ tuæ, deposuísti adversários meos.

Misísti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam: * & in spíritu furóris tui, cõgregátæ sunt aquæ.

Stetit unda fluens: * congregátæ sunt abyssi, in médio mari.

Dixit

Dixit inimícus, Pérsequar, & comprehéndam:* dívidam spolia, & implébitur ánima mea.

Evaginábo gládiũ meũ* interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare: * submérsi sunt quasi plumbũ, in aquis veheméntibus.

Quis símilis tui in fórtibus Dómine? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte: * terríbilis atque laudábilis, & fáciens mirabília?

Extendísti manum tuã:* & devorávit eos terra.

Dux fuísti in misericórdiâ tuâ: * pópulo quem redemísti.

Et portásti eum in fortitúdine tuâ, * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, & iráti sunt: * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom: * robústos Moab obtinuit tremor: * obriguérunt, omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído & pavor: * in magnitúdine bráchij tui.

Fiant immóbiles quasi lapis: * donec pertránseat pópulus tuus Dómine: * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ: * firmíssimo habitáculo tuo, quod operátus es Dómine.

Sanctuárium tuum Dómine quod firmavérunt manus tuæ:*Dñs regnábit in ætérnum, & ultrà.

Ingréssus est enim eques Phárao, cum cúrribus & equítibus ejus in mare: * & redúxit super eos Dóminus, aquas maris.

Filij autem Israël ambulavérunt per siccum: * in médio ejus. Glória Patri.

Aña. In ætérnum Dóminus regnábit & ultrà.

Aña. In sanctis ejus laudáte Deum.

Psalmus. Laudáte Dóminum de cælis. 23.

Capitulum. Isaiæ 33.

DOmine miserére nostri te expectávimus; esto bráchium nostrum in mane: & salus nostra in témpore tribulatiónis.

Per Annum, ℣. Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ. ℟. Et exultávimus & delectáti sumus.

Ad

Ad Benedictus, Aña. Memoráre Dómine testaménti sancti tuï,& fac nobíscum redemptiónem.

Deinde dicuntur parvæ Preces, ut sup. 72.

Quando vero dicendæ sunt magnæ Preces habentur in Feria secunda. 73.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Invitator. Adorémus Dñm, quóniam ipse fecit nos. *Psal.* Veníte. 2.

Aña. Exultáte Deo.

Psalmus 80.

EXultáte Deo adjutóri nostro. * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum,& date tympanum : * psaltérium jocúndum , cum cítharâ.

Buccínáte in Neoméniâ tubâ : * in insígni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Israël est : * & judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud : * cùm exíret de terrâ Ægypti, linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsũ ejus: * manus ejus, in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me,& liberávi te:* exaúdívi te in abscõdito tempestátis:* probávi te apud aquam, contradictiónis.

Audi pópulus meus , & contestábor te : * Israël si audíeris me,non erit in te Deus recens:* neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus , qui edúxi te de terrâ Ægypti:* diláta os tuũ, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * & Israël, non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum : * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audisset me : * Israël si in viis meis ambulásset.

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem:* & super tribulántes eos,misíssẽ manum meã.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * & erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit illos ex ádipe fruménti : * & de petrâ melle , saturávit eos.

Psalmus 81.

DEus stetit in synagóga deórum: * in médio

dio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem: * & fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno & pupíllo: * húmilem & páuperem justificáte.

Erípite paúperem: * & egénum, de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: * movebuntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi, Dij estis: * & fílij Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini: * & sicut unus de princípibus cadétis.

Surge Deus, júdica terram: * quóniam tu hæreditábis, in ómnibus Géntibus. Glória Patri.

Aña. Exultáte Deo adjutóri nostro.

Aña. Tu solus.

Psalmus 82.

DEus, quis símilis erit tibi: * ne táceas, neque compescáris Deus.

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt: * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulũ tuum malignavérunt consílium: * & cogitavérunt, advérsus sanctos tuos.

Dixérunt, Veníte, & disperdámus eos de Gente: * & non memorétur, nomen Israël ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanimiter: * simul advérsùm te testaméntum disposuérunt, tabernácula Idumæórum, & Ismahelitæ.

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec: * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis: * facti sunt in adjutórium filiis Lot.

Fac illis sicut Mádian, & Sísaræ: * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor: * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb: * Zeb, Zébee, & Sálmana.

Omnes príncipes eórum qui dixérunt: * Hæreditáte possideámus, sanctuárium Dei.

Deus meus pone illos ut rotam: * & sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit silvam: * & sicut flamma combúrens montes.

Ita persequéris illos in tempestáte tuâ:* & in irâ tuâ, turbábis eos.

Imple fácies eórũ ignomínia : * & quærent nomen tuum Dómine.

Erubéscant & conturbéntur in sæculum sæculi : * & confundántur & péreant.

Et cognóscant quia nomen tibi Dóminus : * tu solus Altíssimus , super omnem terram.

Psalmus 83.

QUam dilécta tabernácula tua Dómine virtútum:*concupíscit & déficit ánima mea, in átria Dómini.

Cor meum & caro mea, exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * & turtur nidum sibi,ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tuâ:* in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir,cujus est auxílium abs te : ascensiónes in corde suo dispósuit in valle lacrymárum: * in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor : * ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exaúdi orationẽ meam:* aûribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * & réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis,super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quàm habitáre, in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam,dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ambulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te. Glória Patri.

Añ Tu solus Altíssimus super omnem terram.

Añ. Benedixísti.

Psalmus idem 84.

BEnedixísti Dómine terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : operuísti ómnia

nia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab irâ indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster : * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis : * aut exténdes iram tuam, à generatióne in generatiónem?

Deus tu convérsus vivificábis nos: * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam:* & salutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacē, in plebem suam.

Et super sanctos suos: * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen propè timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória, in terrâ nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi : * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terrâ orta est : * & justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * & terra nostra, dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * & ponet in viâ gressus suos.

Psalmus 85.

INclína Dómine aurem tuam, & exáudi me : * quóniam inops & pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus sperántē in te.

Miserére mei Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die : * lætífica ánimam servi tui:* quóniam ad te Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu Dómine suávis & mitis: * & multæ misericórdiæ, ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe Dómine oratiónem meam : * & inténde voci, deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te : * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis Dómine : * & non est secúndùm ópera tua,

Omnes Gentes quascumque fecísti, vénient, & adorábunt coram te Dómine :

mine : * & glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília: * tu es Deus solus.

Deduc me Dómine in viâ tuâ, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitébor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo : * & glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me : * & eruísti ánimam meam, ex inférno inferióri.

Deus iniqui insurrexérunt super me: * & synagóga poténtium, quæsiérunt ánimam meam : * & non proposuérunt te, in conspéctu suo.

Et tu Dómine Deus miserátor & misericors : * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me, & miserére mei : * da impérium tuum púero tuo : * & salvum fac filiū, ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum : * ut vídeant qui odérunt me, & confundántur : * quóniam tu Dómine adjuvísti me, & consolátus es me.

Glória Patri.

Aña. Benedixísti Dómine terram tuam.

Aña. Fundaménta ejus.

Psalmus idem. 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion, super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babylónis sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus & pópulus Æthíopum : * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet, Homo, * & homo natus est in ea : * & ipse fundávit eam Altíssimus.

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum : * horum qui fuérunt in eâ.

Sicut lætántium ómnium, habitátio est in te.

Psalmus 87.

DOmine Deus salútis meæ:* in die clamávi, & nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclina aurem tuam, ad precem meam:

Quia repléta est malis ánima

Anima mea:* & vita mea in inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámpliùs: * & ipsi de manu tuâ repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri: * in tenebrósis, & in umbrâ mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * & omnes fluctus tuos, induxísti super me.

Longè fecísti notos meos à me: * posuérunt me, in abominatiónem sibi.

Tráditus sum & non egrediébar: * óculi mei languérunt, præ inópiâ.

Clamávi ad te Dómine: * totâ die expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, & confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam: * & veritátem tuam in perditiónē?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua: * & justítia tua, in terrâ obliviónis?

Et ego ad te Dómine clamávi: * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid Dómine repéllis oratiónem meam: * avértis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte meâ: * exaltátus autem humiliátus sum, & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ: * & terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti à me amícum & próximum: * & notos meos, à miseriâ.

Glória Patri.

Aña. Fundaménta ejus in móntibus sanctis.

Aña. Benedíctus.

Psalmus 88.

MIsericórdias Dómini in ætérnum cantábo: * in generatióne & generatiónem, annuntiábo veritátem tuã, in ore meo.

Quóniam dixísti, in ætérnum misericórdia ædificábitur in cælis: * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum

electis meis: * jurávi David servo meo: * usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatióne, & generatiónem sedem tuam.

Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine: * étenim veritátem tuam, in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino: * símilis erit Deo, in filiis Dei?

Deus qui glorificátur, in consílio sanctórum: * magnus & terríbilis super omnes, qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es Dómine: * & véritas tua, in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris: * motum autem flúctuum ejus, tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuæ, dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli & tua est terra: * orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti: * Aquilónem & mare, tu creásti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt: * tuũ bráchiũ cum poténtiâ.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua: * justítia & judícium, præparátio sedis tuæ.

Misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam: * beátus pópulus qui scit jubilatiónem.

Dómine in lúmine vultûs tui ambulábunt: * & in nómine tuo exultábunt totâ die: * & in justítiâ tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es: * & in beneplácito tuo, exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra: * & sancti Israël regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis: * & dixísti, Pósui adjutórium in poténte: * & exaltávi eléctum, de plebe meâ.

Invéni David servum meum: * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei: * & bráchium meum, confirmábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo: * & filius iniquitátis, non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus: * & odiéntes

odiéntes eum, in fugam convértam.

Et véritas mea, & misericórdia mea cum ipso: * & in nómine meo, exaltâbitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus: * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me, Pater meus es tu: * Deus meus, & suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum: * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam: * & testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus: * & thronum ejus, sicut dies cæli.

Si autem derelíquerint filij ejus legem meam: * & in judíciis meis non ambuláverint.

Si justítias meas profanáverint: * & mandáta mea non custodíerint.

Visitábo in virgâ iniquitátes eórum: * & in verbéribus, peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo: * neque nocébo, in veritáte meâ.

Neque profanábo testaméntum meum: * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar: * semen ejus, in ætérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo: * & sicut luna perfécta in ætérnum: * & testis in cœlo fidélis.

Tu verò repulísti & despexísti: * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui: * profanásti in terrâ sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus: * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam: * factus est oppróbriũ, vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntium eum: * lætificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládij ejus: * & non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne: * & sedem ejus in terra collisísti.

Minorásti dies témporis ejus: * perfudísti eum confusióne.

Usquequò Dómine avér-

tis in finem : * exardéſcet ſicut ignis ira tua ?

Memoráre quæ mea ſubſtántia : * numquid enim vanè conſtituíſti , omnes filios hóminum ?

Quis eſt homo qui vivet, & non vidébit mortem : * éruet ánimam ſuam , de manu ínferi ?

Ubi ſunt miſericórdiæ tuę antíquæ Dñe:* ſicut juráſti David , in veritáte tuâ ?

Memor eſto Dómine oppróbrij ſervórum tuórum:* quod contínui in ſinu meo , multárum géntium.

Quòd exprobravérunt inimíci tui Dómine:* quod exprobravérunt commutatiónem Chriſti tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum , fiat , fiat.

Pſalmus 93.

DEus ultiónum Dóminus: * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre qui júdicas terram : * redde retributiónem ſupérbis.

Uſquequò peccatóres Dómine : * úſquequò peccatóres gloriabúntur ?

Effabúntur, & loquéntur iniquitátem : * loquéntur omnes , qui operántur injuſtítiam ?

Pópulum tuum Dómine humiliavérunt : * & hæreditátem tuā vexavérunt.

Víduam & ádvenam interfecérunt : * & pupíllos occidérunt.

Et dixérunt, Non vidébit Dóminus : * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite inſipiéntes in pópulo:* & ſtulti aliquándo ſápite.

Qui plantávit aurem non áudiet ? * aut qui finxit óculum non consíderat ?

Qui córripit Gentes non arguet ? * aut qui docet hóminem ſciéntiam ?

Dóminus ſcit cogitatiónes hóminum, quóniam vanæ ſunt.

Beátus homo , quem tu erudíeris Dómine : * & de lege tuâ , docúeris eum.

Ut mitiges ei à diébus malis : * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem ſuam : * & hæreditátem ſuam non derelínquet.

Quoadúſque juſtítia convertátur in judícium : * & qui juxta illam : * omnes qui recto ſunt corde.

Quis consúrget mihi adversùs malignántes : * aut

quis

quis stabit mecum, advérsùs operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus ádjuvit me: * paulòminùs habitásset, in inférno ánima mea.

Si dicébam, Motus est pes meus: * misericórdia tua Dñe adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo: * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis: * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi: * & sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium: * & Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum: * & in malítiâ eórum dispérdet eos: * dispérdet illos, Dóminus Deus noster.

Glória Patri.

Aña. Benedíctus Dóminus in ætérnum.

Aña. Cantáte Dómino.

Psalmus idem. 95.

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem, salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus: * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * terríbilis est, super omnes deos.

Quóniam omnes dij Géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia & magnificéntia, in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium: * afférte Dómino glóriam, & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dñm, in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in Géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos, in æquitáte.

Læténtur cæli, & exúltet terra: * commoveátur mare, & plenitúdo ejus: *

gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à facie Dómini quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte: * & pópulos in veritáte suâ.

Psalmus 96.

DOminus regnávit exúltet terra: * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus: * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet: * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli, glóriã ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * & qui gloriãtur, in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit & lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es, super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum: * de manu pec catóris, liberábit eos.

Lux orta est justo: * & rectis corde, lætítia.

Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memórię, sanctificatiónis ejus.

Glória Patri.

Aña. Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus.

Per *Annum*, ℣. Beátus homo quem tu erudíeris Dómine. ℟. Et de lege tuâ docúeris eum.

In Adventu, ℣. Ex Sion spécies decóris ejus.

℟. Dēus noster maniféstè véniet.

AD LAUDES.

Aña. Redde mihi lætítiam salutáris tui Dómine.

Psalmus. Miserére. 69.

Aña. In veritáte tuâ.

Psalmus 142.

DOmine exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe obsecratiónem meam, in veritáte tuâ: * exáudi me, in justítiâ tua.

Et non intres in judícium

cum

cum servo tuo: * quia non justificábitur in conspéctu tuo, omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terrâ, vitam meam.

Collocávit me in obscúris, sicut mórtuos sæculi: * & anxiátus est super me spíritus meus: * in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum: * meditátus sum in omnibus opéribus tuis: * & in factis mánuum tuárum, meditábar.

Expándi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra, sine aquâ tibi.

Velóciter exáudi me Dómine: * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me: * & símilis ero, descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè, misericórdiam tuam: * quia in te sperávi,

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem: * quia ad te levávi, ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum Dómine vivificábis me, in æquitáte tuâ,

Edúces de tribulatióne ánimam meam: * & in misericórdiâ tuâ dispérdes, omnes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam: * quoniam ego servus tuus sum. Glória Patri.

Aña. In veritáte tuâ exáudi me Dómine.

Aña. Illúmina Dómine vultum tuum super nos.

Psalmus. Deus Deus meus ad te. 21.

Aña. Audítum tuum.

Canticũ Habacuc. Cap. 3.

DOmine audívi auditiónem tuam: * & tímui.

Dómine opus tuum: * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet: * & sanctus de monte Pharan.

Operuit cælos glória ejus: * & laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit: *

córnua in mánibus ejus: * ibi abscóndita est fortitúdo ejus.

Ante fáciem ejus ibit mors: * egrediétur diábolus ante pedes ejus.

Stetit & mensus est terram: * aspéxit & dissólvit Gentes: * & contríti sunt montes sæculi.

Incurváti sunt colles mundi: * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ: * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? * vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndes super equos tuos: * & quadrígæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum: * juraménta tríbubus, quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ: * vidérunt te, & doluérunt montes: * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam: * altitúdo manus suas levávit.

Sol & luna stetérunt in habitáculo suo: * in luce sagittárum tuárum ibunt: * in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram: * in furóre obstupefácies Gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui: * in salútem cum Christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpij: * denudásti fundaméntum ejus, usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus: * cápiti bellatórum ejus: * veniéntibus ut turbo, ad dispergéndum me.

Exultátio eórum: * sicut ejus qui devórat páuperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis: * in luto aquárum multárum.

Audívi, & conturbátus est venter meus: * à voce contremuérunt, lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis: * & subter me scáteat.

Ut requiéscam in die tribulatiónis: * ut ascéndam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit: * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ: * & arva nō ásferent cibum.

Abscin

Abscindétur de ovíli pecus: * & non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo: * & exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea: * & ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor, in psalmis canéntem. Glória Patri.

Aña. Audítum tuum Dómine audívi, & tímui.

Aña. In tympano & choro, in chordis & órgano laudate Deum.

Psalmus. Laudáte Dóminum de cælis. 23.

Capitulum. Isaiæ 33.

DOmine miserére nostri te expectávimus; esto bráchium nostrum in manè: & salus nostra in témpore tribulatiónis.

Per Annum, ℣. Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ, ℟. Et exultávimus & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Aña. Liberáti serviámus Dómino Deo nostro in sãctitáte.

Deinde dicuntur Preces, ut suprà. 72.

Quando vero dicuntur Magna habentur in Feria ij.

SABBATO

Ad Matutinum.

Invitatorium. Dóminum Deum nostrum, veníte adorémus. *Psalmus.* Veníte exultémus. 2.

Aña. Quia mirabília.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * ante conspéctum Géntium, revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ, salutáre Dei nostri: * jubiláte Dómino omnis terra: * cantáte & exultáte & psállite.

Psállite Dómino in cítharâ, in cíthara, & voce psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu simul: * montes exultábunt à conspéctu Dómini*

quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítiâ:* & pópulos in æquitáte.

Psalmus 98.

DOminus regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * & excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & sanctum est : * & honor Regis, judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium & justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deũ nostrum : * & adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est.

Móyses & Aaron in Sacerdótibus ejus : * & Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos: * in colúmnâ nubis, loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus: * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos : * Deus tu propítius fuísti eis: * & ulcíscens in omnes, adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deũ nostrum : * & adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus Deus noster. Glória Patri.

Antiphona. Quia mirabília fecit Dóminus.

Ana. Jubiláte Deo.

Psalmus idem 99.

JUbiláte Dómino, omnis terra : * servíte Dómino in lætítiâ.

Introíte in conspéctu ejus in exultatióne : * scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus : * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne : * átria ejus in hymnis, confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus : * in ætérnum misericórdia ejus : * & usque in generatióne, & generatiónem véritas ejus.

Psalmus 100.

MIsericórdiam & judícium cantábo tibi Dómine : * psallam & intélligam in viâ immaculátâ:* quando vénies ad me.

Perambu-

Perambulábam in innocéntiâ cordis mei:* in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam :* faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum :* declinántem à me malígnum, non cognoscébam.

Detrahéntem secrétò próximo suo :* hunc persequébar.

Supérbo óculo, & insatiábili corde :* cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum ;* ámbulans in viâ immaculátâ:* hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam :* qui lóquitur iníqua, non diréxit, in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ : * ut dispérderem de civitáte Dómini, omnes operántes iniquitátem.

Glória Patri.

Aña. Jubiláte Deo omnis terra. *Aña.* Clamor meus.

Psalmus 101.

DOmine exáudi oratiónem meam :* & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me :* in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te:* velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei :* & ossa mea sicut crémiũ aruérunt.

Percússus sum ut fænum, & áruit cor meum :* quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei :* adhæsit os meũ carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis :* factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi:* & factus sũ sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei :* & qui laudábant me, advérsum me jurábant.

Quia cínerem tamquam panem manducábam :* & potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ :* quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt :* & ego sicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ætérnum pérmanes : * & memoriále tuum in generatióne, & generatiónem.

Tu exúrgens miserébe-ris Sion : * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus* & terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt Gentes nomen tuum Dómine : * & omnes reges terræ, glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Síon: * & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium:* & non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne alterâ: * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum.

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dóminus de cælo in terram aspéxit.

Ut audíret gémitus compeditórum : * ut sólveret fílios interemptórum.

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum : * & reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in viâ virtútis suæ : * paucitátem diérum meórum, núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatióne, & generatiónem anni tui.

Inítio tu Dómine terram fundásti : * & opera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes:* & omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur:* tu autem idem ipse es : * & anni tui non defícient.

Fílij servórum tuórum habitábunt : * & semen eórum, in sæculum dirigétur.

Psalmus 102.

BEnedic ánima mea Dómino : * & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino : * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis:* qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam: * qui corónat te in misericórdiâ, & miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium

dérium tuum: * renovábitur ut áquilæ, juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus: * & judícium ómnibus, injúriā patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi: * filiis Israël voluntátes suas.

Miserátor & miséricors Dóminus: * longánimis, & multùm miséricors.

Non in perpétuum irascétur: * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndùm peccáta nostra fecit nobis: * neque secúndùm iniquitátes nostras, retríbuet nobis.

Quódiam secúndùm altitúdinem cæli à terra: * corroborávit misericórdiā suam, super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidénte: * longè fecit à nobis, iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se: * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus: * homo sicut fœnum: * dies ejus, tamquam flos agri, sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsístet; * & non cognóscet ampliùs, locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, & usque in ætérnum: * super timéntes eum.

Et justítia illíus in filios filiórum: * his qui servant testaméntum eius.

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, ad faciéndum ea,

Dóminus in cœlo parávit sedem suam: * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus poténtes virtúte: * faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino omnes virtútes ejus: * minístri ejus qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus, in omni loco dominatiónis ejus: * bénedic ánima mea Dómino. Glória Patri.

Aña. Clamor meus ad te véniat Deus. *Aña.* Bénedic.

Psalmus idem 103.

BEnedic ánima mea Dómino: * Dómine Deus meus magnificátus es veheménter.

Conféssió

Confeſſiónem & decórem induíſti : * amíctus lúmine ſicut veſtiménto.

Exténdens cælum ſicut pellem : * qui tegis aquis ſuperióra ejus.

Qui ponis nubem aſcénſum tuum : * qui ámbulas ſuper pennas ventórum.

Qui facis ángelos tuos, ſpíritus:* & miníſtros tuos ignem uréntem.

Qui fundáſti terram ſuper ſtabilitátem ſuam : * non inclinábitur, in ſæculum ſæculi.

Abyſſus, ſicut veſtiméntum, amíctus ejus: * ſuper montes ſtabunt aquæ.

Ab increpatióne tuâ fúgient: * à voce tonítrui tui formidábunt.

Aſcéndunt montes, & deſcéndunt campi : * in locum quem fundáſti eis.

Términum poſuíſti,quē non tranſgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium, pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béſtiæ agri : * expectábunt ónagri in ſiti ſua.

Super ea vólucres cæli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de ſuperióribus ſuis : * de fructu óperum tuórum, ſatiábitur terra.

Producens fœnum juméntis : * & herbam ſervitúti hóminum.

Ut edúcas panem de terrâ: * & vinum lætíficet cor hóminis.

Ut exhílaret fáciem in óleo : * & panis cor hóminis confirmet.

Saturabúntur ligna campi, & cedri Líbani quas plantávit : * illic páſſeres nidificábunt.

Heródij domus dux eſt eórum : * montes excélſi cervis : * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpore:* ſol cognóvit occáſum ſuū.

Poſuíſti ténebras, & facta eſt nox: * in ipsâ pertransíbunt omnes béſtiæ ſilvæ.

Cátuli leónum rugiéntes ut rápiant : * & quærant à Deo eſcam ſibi.

Ortus eſt ſol & congregáti ſunt : * & in cubílibus ſuis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus ſuum: * & ad operatiónem ſuam uſque ad véſperam.

Quam magnificáta sunt ópera tua Dómine: * ómnia in sapiéntia fecísti: * impléta est terra, possessióne tuâ.

Hoc mare magnum & spatiósum mánibus: * illic reptília, quórum non est númerus.

Animália pusílla cum magnis: * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei: * ómnia à te expéctant: * ut des illis escam in témpore.

Dante te illis cólligent: * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur: * aúferes spíritum eórum, & defícient: * & in púlverem suum reverténtur.

Emítte spíritum tuum, & creabúntur: * & renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum: * lætábitur Dóminus in opéribus suis.

Qui réspicit terram, & facit eam trémere: * qui tangit mõtes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vitâ meâ: * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jocúndum sit ei elóquiũ meum: * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terrâ, & iníqui ita ut non sint: * benedic ánima mea Dómino.

Psalmus 104.

Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus: * annuntiáte inter Gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei: * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus: * lætetur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini: * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit: * prodígia & judícia oris ejus.

Semen Abrahami servi ejus: * filij Jacob elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster: * in univérsa terrâ judícia ejus.

Memor fuit in sæculum testaménti sui: * verbi, quod mandávit, in mille generatiónes.

Quod dispósuit ad Abraham: * & juraménti sui ad Isaac.

Et státuit illud Jacob in præceptum:

præcéptum: * & Iſraël in teſtaméntum ætérnum.

Dicens, Tibi dabo terram Chánaan:* funículum hæreditátis veſtræ.

Cum eſſent número brevi: * paucíſſimi & íncolæ ejus.

Et pertranſiérunt de gente in gentem:*& de regno, ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis: * & corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere chriſtos meos: * & in prophétis meis, nolíte malignári.

Et vocávit famem ſuper terram: * & omne firmaméntum panis contrívit.

Miſit ante eos virum:* in ſervum venúmdatus eſt Joſeph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus: * ferrum pertránſiit ánimam ejus: * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dñi inflammávit eum: * miſit rex, & ſolvit eum: * princeps populórum, & dimíſit eum.

Conſtítuit eum dóminũ domûs ſuæ: * & príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ.

Ut erudíret príncipes ejus ſicut ſemetípſum: * & ſenes ejus, prudéntiam docéret.

Et intrávit Iſraël in Ægyptum: * & Jacob áccola fuit in terrâ Cham.

Et auxit pópulum ſuum veheménter: * & firmávit eum, ſuper inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus: * & dolum fácerent, in ſervos ejus.

Miſit Móyſen ſervum ſuum: * Aaron quem elégit ipſum.

Póſuit in eis verba ſignórum ſuórum:* & prodigiórum ſuórũ in terrâ Cham.

Miſit ténebras, & obſcurávit: * & non exacerbávit ſermónes ſuos.

Convértit aquas eórum in sánguinem: * & occídit piſces eórum.

Et dedit terra eórum ranas: * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, & venit cynomyia & cyniſes: * in omnibus fínibus eórum.

Póſuit plúvias eórum grándinem: * ignem comburéntẽ, in terrâ ipsórum.

Et percúſſit víneas eórũ, & ficúlneas eórum:* & cõtrívit lignũ, finium eórum.

Dixit, & venit locúſta:* & bruchus,

bruchus, cujus non erat númerus.

Et comédit omne fœnum in terrâ eórum: * & comédit omnem fructum, terræ eórum.

Et percússit omne primogénitum in terrâ eórum: * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro: * & non erat in tríbubus eórum infirmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum: * quia incúbuit timor eórum, super eos.

Expándit nubem in protectióne eórum: * & ignem ut luceret eis per noctem.

Petiérunt, & venit cotúrnix: * & pane cæli saturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ: * abiérunt in sicco flúmina.

Quóniam memor fuit verbi sancti sui: * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et edúxit pópulum suum in exultatióne: * & eléctos suos in lætítiâ.

Et dedit illis regiónes Géntium: * & labóres populórum possedérunt.

Ut custódiant justificatiónes ejus: * & legem ejus requírant.

Glória Patri.

Aña. Bénedic ánima meâ Dómino. *Aña.* Vísita nos Dómine.

Psalmus 105.

Confitémini Dómino, quóniã bonus: * quóniam in sæculum, misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini: * audítas fáciet, omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium: * & fáciunt justítiam, in omni témpore.

Meménto nostri Dñe in beneplácito pópuli tui: * vísita nos, in salutári tuo.

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum: * ad lætandum in lætítiâ gentis tuæ: * ut laudéris cum hæreditáte tuâ.

Peccávimus cum pátribus nostris: * injustè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua: * non fuérunt mémores multitúdinis, misericórdiæ tuæ,

Et irritavérunt ascendéntes in mare, mare Rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum: * ut notam

fáceret poténtiam suam.

Et incrépuit mare Rubrum, & ex siccátum est: * & dedúxit eos in abyssis, sicut in desérto.

Et sálvávit eos de manu odiéntium: * & redémit eos, de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulántes eos: * unus ex eis non remánsit.

Et crediderúnt verbis ejus: * & laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt, obliti sunt óperum ejus: * & non sustinuérunt consilium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto: * & tentavérunt Deum, in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum: * & misit saturitátem, in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris: * Aaron sanctum Dómini.

Apérta est terra, & deglutívit Dathan: * & opéruit super congregatiónem Abíron.

Et exársit ignis in synagóga eórum: * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb: * & adoravérunt sculptíle.

Et mutavérunt glóriam suam: * in similitúdinem vituli comedéntis fœnum.

Obliti sunt Deum, qui salvávit eos: * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terrâ Cham: * terribília in mari Rubro.

Et dixit ut dispérderet eos: * si non Móyses eléctus ejus stetísset in confractióne, in cōspéctu ejus.

Ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos: * & pro níhilo habuérunt, terram desiderábilem.

Non crediderúnt verbo ejus: * & murmuravérunt in tabernáculis suis: * non exaudiérunt vocem Dñi.

Et elevávit manum suam super eos: * ut prostérneret eos in desérto.

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus: * & dispérgeret eos, in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor: * & comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis: * & multiplicáta est, in eis ruína.

Et stetit Phínees, & placávit: * & cessávit quassátio.

Et reputátum est ei ad justitiam: * in generatióne, & genera

generatiónem, usque in sempitérnum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis: * & vexátus est Móyses propter eos: * quia exacerbavérunt spíritum ejus.

Et distínxit in lábiis suis: * non disperdidérunt Gentes, quas dixit Dóminus illis.

Et commíxti sunt inter Gentes: * & didicérunt ópera eórnm, & serviérunt sculptílibus eórum: * & factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos, & filias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem: * sánguinem filiórum suórum & filiárũ suárum: * quas sacrificavérunt, sculptílibus Chánaan.

Et interfécta est terra in sanguínibus: * & contamináta est in opéribus eórũ: * & fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum: * & abominátus est, hæreditátem suam.

Et trádidit eos in manus Géntiũ: * & domináti sunt eórum, qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum: * & humiliáti sunt sub mánibus eórum: * sæpè liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérũt eum in consílio suo: * & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cum tribularéntur: * & audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testaménti sui: * & pœnítuit eum secúndùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias: * in conspéctu omnium qui céperant eos.

Salvos fac nos Dñe Deus noster: * & cóngrega nos de natiónibus.

Ut confiteámur nómini sancto tuo: * & gloriémur in laude tuâ.

Benedíctus Dñs Deus Israël à sæculo & usque in sæculum: * & dicet omnis pópulus, Fiat, fiat.

Psálmus 106.

CONfitémini Dómino quónia bonus: * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci: * & de regiónibus, cõgregávit eos.

A ſolis ortu & occáſu : * ab Aquilóne & mari.

Erravérunt in ſolitúdine in inaquóſo : * viam civitátis habitáculi, non invenérunt.

Eſuriéntes & ſitiéntes : * ánima eórum in ipſis defécit.

Et clamavérunt ad Dñm cùm tribularéntur : * & de neceſſitátibus eórum, erípuit eos.

Et dedúxit eos in viã rectam : * ut irent in civitâtem habitatiónis.

Confiteântur Dño miſericórdiæ ejus, & mirabília ejus filiis hóminum.

Quia ſatiávit ánimã inánem: * & ánimam eſuriéntem, ſatiávit bonis.

Sedéntes in ténebris & umbrâ mortis: * vinctos in mendicitáte& ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei : * & consílium Altíſſimi irritavérunt.

Et humiliátum eſt in labóribus cor eórum : * & infirmáti ſunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum, cum tribularéntur : * & de neceſſitátibus eórum, liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris & umbra mortis : * & vincula eórum diſrúpit.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, & mirabília ejus, fíliis hóminum.

Quia contrívit portas æreas : * & vectes férreos confrégit.

Suſcépit eos de viâ iniquitátis eórum : * propter injuſtítias enim ſuas, humiliáti ſunt.

Omnèm eſcam abominàta eſt ánima eórum : * & appropinquavérunt, uſque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur : * & de neceſſitátibus eórum, liberávit eos.

Miſit verbum ſuum,& ſanávit eos : * & erípuit eos, de interitiónibus eorum.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, & mirabília ejus fíliis hóminum.

Et ſacríficent ſacrifícium laudis:*& annúntient ópera ejus, in exultatióne.

Qui deſcéndunt mare in návibus: * faciéntes operatiónem, in aquis multis.

Ipſi vidérũt ópera Dñi:*& mirabília ejus in profúndo.

Dixit, & ſtetit ſpíritus procéllæ : * & exaltáti ſunt fluctus ejus.

Aſcéndunt

Ascéndunt usque ad cælos, & descéndunt usque ad abyssos: * ánima eórum, in malis tabescébat.

Turbáti sunt, & moti sunt sicut ébrius: * & omnis sapiéntia eórũ devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur: * & de necessitátibus eórum, edúxit eos.

Et státuit procéllam ejus in auram: * & siluérunt fluctus ejus.

Et lætáti sunt quia siluérunt: * & dedúxit eos in portum, voluntátis eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, & mirabília ejus, filiis hóminum.

Et exáltent eum in ecclésiâ plebis: * & in cathedrâ seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértum: * & éxitus aquárum in sitim.

Terram fructíferam in salsúginem: * à malítiâ inhabitántium in eâ.

Pósuit desértum in stagna aquárum: * & terram sine aquâ, in éxitus aquárum.

Et collocávit illic esuriéntes: * & constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, & plantavérunt víneas: * & fecérunt fructũ nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti sunt nimis: * & juménta eórum, non minorávit.

Et pauci facti sunt; * & vexáti sunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes: * & erráre fecit eos in ínvio, & non in viâ.

Et adjúvit páuperem de inópia: * & pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabúntur: * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sapiens & custódiet hæc: * & intélliget misericórdias Dómini.

Glória Patri.

Aña. Visita nos Dómine in salutári tuo.

Aña. Confitébor Dómino,

Psalmus 107.

PArátum cor meum Deus, parátum cor meum: * cantábo & psallam, in glória mea.

Exúrge glória mea. exúrge psaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómini: * & psallam tibi in natiónibus.

Quia

Quia magna est super cælos misericórdia tua: * & usque ad nubes, véritas tua.

Exaltáre super cælos Deus: * & super omnem terram glória tua: * ut liberéntur dilécti tui.

Salvum fac déxtera tua, & exáudi me: * Deus locútus est, in sancto suo.

Exultábo, & divídam Síchimam: * & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, & meus est Manásses: * & Ephraim suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus: * Moab lebes spei meæ.

Iu Idumæam exténdam calceaméntum meũ:* mihi alienígenæ, amíci facti sũt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam?* aut quis dedúcet me, usque in Idumæam?

Nonne tu Deus, qui repulísti nos: * & non exíbis Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne: * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem: * & ipse ad nihilum dedúcet, inimicos nostros.

Psalmus 108.

DEus laudem meam ne tacúeris:* quia os peccatóris, & os dolósi, super me apértum est.

Locúti sunt advérsum me linguâ dolósâ: * & sermónibus ódij circumdedérunt me, & expugnavérunt me graris.

Pro eo ut me diligerent, detrahébant mihi: * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsum me mala pro bonis: * & ódium, pro dilectióne meâ.

Constítue super eum peccatórem: * & diábolus stet à dextris ejus.

C ùm judicátur, éxeat cõdemnátus: * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci:* & episcopátum ejus, accípiat alter.

Fiant filij ejus órphani: * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur filij ejus, & mendícent: * & ejiciántur, de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus: * & dirípiant aliéni, labóres ejus.

Non sit illi adjútor:* nec sit qui misereátur, pupillis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum: * in generatióne unâ,

-ma, deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dñi: * & peccátum matris ejus, non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper: * & dispéreat de terrâ memóriá eórum: * pro eo quòd non est recordátus, fácere misericórdiã.

Et persecútus est hóminẽ ínopem & mendícum:* & compúnctum corde, mortificáre.

Et diléxit maledictiónẽ, & véniet ei: * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem, sicut vestiméntum:* & intrávit sicut aqua in interióra ejus:* & sicut óleum, in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum quo operítur:* & sicut zona, qua sẽper præcíngitur.

Hoc opus eórum, qui détrahunt mihi apud Dóminum: * & qui loquúntur mala, advérsùs ánimam meam.

Et tu Dómine Dñe fac mecum propter nomen tuum:* quia suavis est, misericórdia tua.

Líbera me, quia egenus & pauper ego sum: * & cor meum, conturbátum est intra me,

Sicut umbra cum declínat, ablátus sum: * & excússus sum, sicut locústa,

Génua mea infirmáta sũt à jejúnio:*& caro mea immutáta, est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis: * vidérunt me, & movérunt, cápita sua,

Adjuva me Dómine Deus meus: * salvum me fac, secúndùm misericórdiã tuã.

Et scient quia manus tua hæc: * & tu Dómine fecísti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui insurgunt in me confundántur, servus autem tuus, lætábitur.

Induantur qui détrahunt mihi, pudóre:* & operiántur sicut diplóide, confusióne suâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo:* & in médio multórũ, laudábo eum.

Quia ástitit à dextris paúperis: * ut salvam fáceret à persequéntibus, ánimam meam. Glória Patri.

Aña. Confitébor Dómino nimis in ore meo.

Per Annum. ℣. Dñe exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

In

In Adventu. ℣. Ex Sion spécies decóris ej⁹. ℟. Deus noſter manifeſtè veniet.

AD LAUDES.

Aña. Benígnè fac in bona voluntáte tua Dómine.

Pſalm. Miſerére. 69.

Aña. Bonum eſt.

Pſalmus idem 91.

BOnum eſt confitéri Dómino : * & psállere nómini tuo Altíſſime.

Ad annuntiándum manè misericórdiam tuam : * & veritátē tuam, per noctem.

In decachórdo pſaltério : * cum cántico in cíthara.

Quia delectáſti me Dómine in factúrâ tuâ & in opéribus, mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta ſunt ópera tua Dómine : * nimis profúndæ factæ ſunt, cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóſcet : * & ſtultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres ſicut fœnum : * & apparúerint omnes, qui operántur iníquitátem.

Ut intéreant in ſæculum ſæculi : * tu autem Altiſſimus, in ætétnū Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui Dómine : * quóniam ecce inimíci tui períbunt : * & diſpergéntur omnes, qui operántur iniquitátem ?

Et exaltabitur ſicut unicórnis cornu meum : * & ſenéctus mea, in miſericórdia úberi.

Et deſpéxit óculus meus inimícos meos : * & in inſurgéntibus in me malignātibus, áudiet auris mea.

Juſtus ut palma florébit : * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini : * in átriis domûs Dei noſtri florébunt

Adhuc multiplicabúntur in ſenécta úberi : * & bene patiéntes erunt, ut annúntient.

Quóniam rectus Dóminus Deus noſter : * & non eſt iníquitas in eo.

Glória Patri.

Aña. Bonum eſt confitéri Dómino.

Aña. Métuant Dóminum omnes fines terræ.

Pſalm. Deus Deus meus ad te. 21.

Aña. Et in ſervis ſuis.

Canticum Moyſi. Deut. 32.

AUdíte cæli quæ loquor : * áudiat terra verba oris mei.

Concréſcat ut plúvia doctrína

ctrina mea:* fluat ut ros, elóquium meum.

Quasi imber super herbam: * & quasi stillæ super grámina : * quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiam Deo nostro : * Dei perfécta sunt ópera:* & omnes viæ éjus judícia.

Deus fidélis , & absque ulla iniquitáte , justus& rectus :* peccavérunt ei, & non fílij ejus, in sórdibus.

Generátio prava atque pervérsa:*hæccine reddis Dómino,pópule stulte, & insípiens ?

Numquid non ipse est pater tuus , qui possédit te:* & fecit,& creávit te ?

Meménto diérum antiquórum:* cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi:* majóres tuos , & dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus Gentes : * quando separábat, filios Adã.

Constítuit términos populórum : * juxta númerum, filiórum Israël.

Pars autem Dómini,pópulus ejus:*Jacob funículus, hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta : * in loco horróris, & vastæ solitúdinis.

Circumdúxit eum,& dócuit:* & custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándũ pullos suos:* & super eos, vólitans.

Expándit alas suas & assúmpsit eum:* atque portávit, in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit:* & non erat cum eo, deus aliénus.

Constítuit eum super excélsam terram:* ut coméderet,fructus agrórũ.

Ut súgeret mel de petra : * oleúmque de saxo, duríssimo.

Butyrum de arménto,& lac de óvibus:* cum ádipe agnórum , & aríetum, filiórum Basan.

Et hircos cum medúlla trítici : * & sánguinem uvæ bíberet,meracíssimũ.

Incrassátus est diléctus, & recalcitrávit :* incrassátus, impinguátus,dilatátus.

Derelíquit Deum factórem suum : * & recéssit à Deo, salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis : * & in abo-

minatiónibus, ad iracúndiam, concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo : * diis, quos ignorábant.

Novi recentésque venérūt:* quos non coluérunt, patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquísti : * & oblítus es Dómini, creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiā cōcitátus est:* quia provocavérunt eum, filij sui, & fíliæ.

Et ait, Abscóndam fáciem meam ab eis : * & considerábo, novíssima eorum.

Generátio enim pervérsa est : * & infidéles filij.

Ipsi me provocavérunt in eo, qui non erat Deus:* & irritavérunt, in vanitátibus suis.

Et ego provocábo eos in eo, qui non est pópulus : * & in gente stulta, irritábo illos

Ignis succénsus est in furóre meo : * & ardébit, usq; ad inférni novíssima.

Devorabítque terrā cum gérmine suo : * & móntium, fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala : * & sagíttas meas, complébo in eis.

Consuméntur fame: * & devorábūt eos aves, morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immíttam in eos: * cum furóre trahētium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, & intus pavor: * júvenem simul ac vírginē:* lacténtē, cū hómine sene.

Et dixi, Ubinam sunt : * cessáre fáciam ex homínibus, memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli : * ne fortè superbírēt, hostes eórum.

Et dícerent, Manus nostra excélsa: * & non Dóminus, fecit hæc ómnia.

Gens absque cōsílio est, & sine prudéntia:* útinam sáperent & intelligerent:* ac novíssima províderent.

Quómodo persequebátur unus mille:* & duo fugarent, decem míllia ?

Nonne ídeò, quia Deus suus véndidit eos:* & Dóminus conclúsit illos ?

Non enim est Deus noster ut dij eórum:* & inimíci nostri, sunt júdices.

De vínea Sodomórum vínea eórum:* & de suburbánis,

urbanis, Gomórrhæ.
Uva eórum uva fellis: * & botri amaríssimi.
Fel dracónum vinum eórum: * & venénum áspidum insanábile.
Nonne hæc cóndita sunt apud me: * & signáta, in thesaúris meis?
Mea est últio, & ego retríbuam eis in témpore: * ut labátur pes eórum.
Juxta est dies perditiónis: * & adésse festínant témpora.
Judicábit Dóminus pópulum suum: * & in servis suis miserébitur.
Vidébit quòd infirmáta sit manus: * & clausi quoque defecérunt: * residuíque consúmpti sunt.
Et dicet, Ubi sunt dii eórum: * in quibus habébant fidúciam?
De quorum víctimis comedébant ádipes: * & bibébant, vinú libáminum.
Surgant & opitueléntur vobis: * & in necessitáte vos prótegant.
Vidéte quòd ego sim solus: * & nõ sit álius Deus, præter me.
Ego occídam, & ego vívere fáciam: * percútiam & ego sanábo: * & non est qui de manu mea, possit erúere.
Levábo ad cælum manum meam: * & dicam, Vivo ego, in ætérnum.
Si acúero ut fulgur gládium meum: * & arripúerit judícium, manus mea.
Reddam ultiónem hóstibus meis: * & his qui odérunt me, retríbuam.
Inebriábo sagíttas meas sánguine: * & gládius meus, devorábit carnes.
De cruóre occisórum: * & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.
Laudáte Gẽtes pópulum ejus: * quia sánguinem, servórum suórum ulciscétur.
Et vindíctam retríbuet in hostes eórum: * & propítius erit terræ, pópuli sui. Glória Patri.
Aña. Et in servis suis Dóminus miserébitur.
Aña. In cymbalis benesonántibus laudáte Dñm.
Psalmus. Laudáte Dóminum de cælis. 23.
Capitulum. Isaiæ 33.
DOmine miserére nostri te expectávimus; esto bráchium nostrum in manè: & salus nostra in témpore tribulatiónis.

Per Annum, ℣. Repléti ſumus manè miſericórdia tua. ℟. Et exultávimus, & delectáti ſumus.

Ad Benedictus, Antiph. Illúmina Dómine his qui in ténebris ſedent: & dírige pedes noſtros in viã pacis, Deus Iſraël.

Deinde dicuntur parvæ Preces, ut ſupra. 72.

Quando verò dicuntur magnæ habentur in Feria ſecunda. 73.

DOMINICA

Ad Veſperas.

Pater noſter Ave María. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium. *ut ſuprà.* 1.

Añа. Dixit Dóminus.

Pſalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos: * ſcabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dñs ex Sion: * domináre in médio, inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ: * in ſplẽdóribus ſanctórum: * ex útero ante lucíferum, génui te.

Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum: * ſecúndùm órdinem, Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis: * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquaſſábit cápita, in terra multórum.

De torrẽte in via bibet: * proptéreà exaltábit caput.

Glória Patri. *Añа.* Dixit Dóminus Dómino meo, ſede à dextris meis.

Añа. Fidélia.

Pſalmus 110.

COnfitébor tibi Dómine in toto corde: * in concílio juſtórum, & congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquiſíta in omnes, voluntátes ejus.

Conféſſio & magnificéntia opus ejus: * & juſtítia ejus, manet in ſæculum ſæculi.

Memóriam fecit mirabilium ſuórum, miséricors & miſerátor Dóminus: * eſcam dedit timẽtibus ſe.

Memor erit in ſæculum teſtaménti ſui: * virtútem óperum ſuórum, annuntiábit pópulo ſuo.

Ut det illis hæreditátem Géntium : * ópera mánuum ejus, véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : * confirmáta in sæculum sæculi : * facta in veritáte, & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum, testaméntum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ, timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus, manet in sæculum sæculi.

Glória Patri.

Añа. Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in sæculum sæculi.

Aña. In mandátis.

Psalmus 111.

BEátus vir, qui timet Dóminum: * in mandátis ejus, volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum, benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus: * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis:* misericors, & miserátor, & justus.

Jocúndus homo, qui miserétur & cómmodat : * dispónit sermónes suos in judício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala, non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino : * confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat, inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : * justítia ejus manet in sæculum sæculi : * cornu ejus, exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & irascétur: * déntibus suis fremet & tabéscet :* desidérium peccatórú períbit.

Glória Patri.

Aña. In mandátis ejus volet nimis.

Aña. Sit nomen Dómini.

Psalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum: * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes

Gentes Dóminus: * & super cælos, glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter: * qui in altis hábitat, & humília réſpicit in cælo, & in terra?

Súſcitans à terra ínopem. * & de ſtércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum príncipibus: * cum princípibus pópuli ſui

Qui habitáre facit ſtérilem in domo: * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri.

Aña. Sit nomen Dómini benedíctum in ſæcula.

Aña. Nos qui vívimus.

Pſalmus 113.

IN éxitu Iſraël de Ægypto: * domus Jacob, de pópulo bárbaro.

Facta eſt Judæa ſanctificátio ejus: * Iſraël, poteſtas ejus.

Mare vidit, & fugit: * Jordánis, convérſus eſt retrórſum.

Montes exultavérunt ut aríetes: * & colles, ſicut agni óvium.

Quid eſt tibi mare, quòd fugíſti: * & tu Jordánis, quia cõvérſus es retrórsũ?

Montes exultáſtis ſicut aríetes: * & colles, ſicut agni óvium:

A fácie Dómini mota eſt terra: * à fácie, Dei Jacob.

Qui convértit petram, in ſtagna aquárum: * & rupem, in fontes aquárum.

Non nobis Dómine, non nobis: * ſed nómini, tuo da glóriam.

Super miſericórdia tua, & veritáte tua: * nequándo dicant Gentes, Ubi eſt, Deus eórum?

Deus autem noſter in cælo: * ómnia, quæcúmque vóluit fecit.

Simulácra Géntium argéntum & aurum: * ópera, mánuum hóminum.

Os habent & non loquéntur: * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non áudient: * nares habent, & non odorábunt.

Manus habent, & non palpábunt: * pedes habent, & non ambulábunt: * non clamábunt, in gútture ſuo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea: * & omnes, qui confidunt in eis.

Domus Iſraël ſperávit in Dño: * adjútor eórum, & protéctor eórum eſt.

Domus Aaron sperávit in Dómino : * adjútor eórum, & protéctor eórũ est.

Qui timent Dóminum speravérunt in Dómino:* adjútor eórum, & protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri, & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Israël:* benedíxit, dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum : * pusíllis, cum majóribus.

Adjíciat Dominus super vos: * super vos, & super filios vestros.

Benedícti vos à Dómino : * qui fecit, cælum & terram.

Cælum cæli Dómino:* terram autem, dedit filiis hóminum.

Non mórtui laudábunt te Dómine : * neque omnes, qui descéndunt in inférnum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino: * ex hoc nunc, & usque in sæculum. Glória Patri.

Aña. Nos qui vívimus benedícimus Dómino.

Capitulum. 2.Cor.1.

BEnedíctus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi; Pater misericordiárum, & Deus totíus consolatiónis : qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea.

℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Prædictum Capitulum cum suo versu dicitur à Dominica ij. post Epiph. usque ad Septuages. & à tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum. Antiphonæ autem cum Psalmis semper dicuntur ut supra quando fit Officium de Dominica.

Canticũ B. Mariæ Virginis.

Lucæ. 1.

MAgníficat, ánima mea Dóminum.

Et exultávit spíritus meus : * in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent, omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est : * & sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus in progénies & progénies: * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo :* dispérsit supérbos, mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede : * & exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis :* & dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël púerum suum :* recordátus, misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros : * Abraham, & sémini ejus in sæcula.

Glória Patri.

Deinde dicitur Antiphona , & Oratio propria.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

FERIA SECUNDA

Ad Vesperas.

Aña. Inclinávit Dóminus.

Psalmus 114.

DIléxi :* quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * & in diébus meis, invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * & perícula inférni, invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni : * & nomen Dómini, invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam, miséricors Dóminus & justus : * & Deus noster, miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam : * quia Dóminus, benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos à lácrymis: * pedes meos à lápsu.

Glória Patri.

Placébo Dómino,* in regióne vivórum.

Aña. Inclinávit Dóminus aurem suam mihi.

Antiphona. Crédidi.

Psalmus idem 115.

CRédidi propter quod locútus sum : * ego autem, humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo:* Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino:* pro ómnibus, quæ retríbuit mihi ?

Cálicem salutáris accípiam : * & nomen Dómini, invocábo.

Vota mea Dómino reddam, coram omni pópulo ejus:* pretiósa in conspéctu

ctu Dómini, mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis : * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam, in conspéctu omnis pópuli ejus:* in átriis domûs Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Glória Patri.

Antiph. Crédidi propter quod locútus sum.

Aña. Laudáte Dóminum.

Psalmus idem 116.

LAudáte Dóminum omnes Gentes : * laudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini, manet in ætérnum.

Glória Patri.

Antiphona. Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Antiphona. Clamávi.

Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi:* & exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis : * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi : * ad linguam dolósam ?

Sagíttæ poténtis acútæ: * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est: * habitávi cum habitántibus Cedar:* multùm íncola fuit, ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus : * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Glória Patri.

Aña. Clamávi & exaudívit me.

Aña. Auxílium meum.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos ad montes : * unde véniet, auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino : * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet, qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet:.* qui custódit Israël.

Dóminus custódit te : * Dóminus protéctio tua, super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te:* neque luna per noctẽ.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum, & éxitum tuum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Glória Patri.

Añа. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cælum & terram.

Sequens Capitulum dicitur in Feriali Officio ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, & ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ. Aliis temporibus habentur propria.

Capitulum.

Dominus autem dirigat corda vestra, in charitáte Dei: & patiéntia Christi.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea.

℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Añа. Magníficat ánima mea Dóminum, quia respéxit Deus humilitátem meã.

In Feriali Officio extra tempus Paschale dicuntur parvæ Preces post Antiphonam ad Magníficat: *ut infrà.*

Kyrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson, Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus.

Oratio dicitur de Dominica præcedenti ut habetur in proprio de Tẽpore.

In Feriis vero Adventus, Quadrasimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliis (exceptis Quatuor Temporibus Pentecostes) post Antiphonam ad Magníficat, *dicuntur sequentes magnæ Preces flexis genibus.*

Kyrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson, Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Ego dixi, Dómine

mine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequo. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣ Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent. ℣. Dómine salvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die qua invocavérimus te. ℣. Salvũ fac pópulum tuum Dñe, & bénedic hæreditáti tuę. ℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Psalmus. Miserére mei Deus. *ut suprà.* 69. *& in fine* Glória Patri. *deinde* ℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis ℣. Dñe exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *Oratio cõveniẽs.*

Quando autem dicuntur Psalmi Pænitentiales, tunc post ℣. Benedicámus Dómino, *dicitur Psalmus*, De profúndis. *flexis genibus, cum* ℣. *& Oratione, ut in fine Breviarij.*

FERIA TERTIA.

Ad Vesperas.

Aña. In domum Dómini.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his, quæ dicta sunt mihi:* in domum Dñi ibimus.

Stantes erant pedes nostri:* in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas:* cujus participátio ejus, in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini:* testimónium Israël, ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício:* sedes súper domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem:* & abundántia, diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua:* & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos:* loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri :* quæsívi bona tibi. Glória Patri.

Aña. In domum Dómini lætántes íbimus.

Aña. Qui hábitas.

Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos :* qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum :* in mánibus dominórum suórum.

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ :* ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri Dómine, miserére nostri :* quia multùm repléti sumus despectióne.

Quia multùm repléta est ánima nostra :* oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

Glória Patri. *Aña.* Qui hábitas in cælis, miserére nobis. *Aña.* Adjutórium nostrum. *Psa.* 123.

NIsi quia Dóminus erat in nobis :* dicat nunc Israël, nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos :* fortè vivos deglutíssent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos :* fórsitan aqua, absorbuíssent nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra :* fórsitan pertrãsísset ánima nostra, aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus :* qui non dedit nos in captiónem, déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est :* de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est :* & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini :* qui fecit cælum & terram.

Glória Patri. *Aña.* Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

Aña. Bénefac Dómine.

Psalmus 124.

QUi confídunt in Dómino, sicut mons Sion :* non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus, & Dóminus in circúitu pópuli sui :* ex hoc nunc, & usque in sæculũ.

Quia non relínquet Dñs virgam peccatórum super sortem justórum :* ut non exténdant justi, ad iniquitátem manus suas.

Bénefac

Bénefac Dómine :* bonis & rectis corde.

Declinántes autē in obligatiónes, addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax super Israël. Glória Patri.

Ana. Bénefac Dómine bonis, & rectis corde.

Aña. Facti sumus.

Psalmus 125.

IN convertendo Dóminus, captivitátē Sion: * facti sumus sicut cōsoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum:* & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus, fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram : * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis: * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant:* mitténtes sémina sua.

Veniéntes autē vénient, cum exultatióne : * portantes manípulos suos.

Glória Patri.

Aña. Facti sumus sicut consoláti.

Capitulum, 2.Thess. 3.

DOminus autem dírigat corda vestra in charitáte Dei : & patiéntia Christi.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea.

℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Aña. Exúltet spíritus meus in Dño Deo, salutári meo.

Deinde dicuntur parvæ Preces ut sup. 154.

Quando vero dicuntur magnæ, habentur ibidem in Feria secunda. 154.

FERIA QUARTA.

Ad Vesperas.

Antiph. Ecce hæréditas.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum : * in vanum laboravérunt, qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem:* frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis pané dolóris.

Cúm déderit diléctis suis somnum : * écce hæréditas Dómini, filij: merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu

potentis:* ita filij excussórum.

Beátus vir, qui implévit desidériū suum ex ipsis:* non confundétur cùm loquétur, inimícis suis in porta. Glória Patri.

Aña. Ecce hæréditas Dómini, filij, merces, fructus ventris.

Aña. Beáti omnes.

Psalmus 127.

BEáti omnes qui timēt Dóminum: * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, & benè tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans: * in latéribus domûs tuæ.

Filij tui sicut novéllæ olivárum: * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo: * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * & vídeas bona Jerúsalem, ómnibus diébes vitæ tuæ.

Et vídeas filios filiórum tuórum: * pacem super Israël. Glória Patri.

Aña. Beáti omnes qui timent Dóminum.

Aña. Sæpè.

Psalmus 128.

SÆpé expugnavérunt me à juventúte mea: * dicat nunc Israël.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea:* étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum, fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídet cervíces peccatórum:* confundántur & convertántur retrórsum: * omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum: * quod priúsquam evellátur, exáruit.

De quo non implévit manum suam qui metit:* & sinum suum, qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant, Benedíctio Dómini super vos: * benedícimus vobis, in nómine Dómini.

Glória Patri. *Aña.* Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea. *Aña.* De profúndis.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine:* Dómine exáudi vocē meam.

Fiant aures tuæ intendéntes:

déntes: * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine: * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * & propter legem tuam, sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea, in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël, in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël: * ex ómnibus iniquitátibus ejus. Glória Patri.

Aña De profúndis clamávi ad te Dómine.

Aña. Speret.

Psalmus 130.

DOmine, non est exaltátum cor meum: * neque eláti sũt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis: * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam: * sed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus est, super matre sua: * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino: * ex hoc nunc & usque in sæculum.

Glória Patri. *Aña.* Speret Israël in Dómino.

Capitulum. 2. Thess. 3.

DOminus autem dirigat corda vestra in charitáte Dei: & patiéntia Christi.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Aña. Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est & sanctum nomen ejus.

Deinde dicuntur parvæ Preces ut suprà. 154.

Quando vero dicuntur magnæ habentur ibidem in Feria secunda. 154.

FERIA QUINTA.

Ad Vesperas.

Antiphona Elegit.

Psalmus 131.

MEménto Dómine David: * & omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino: * votum vovit Deo Jacob.

Si introíero in tabernáculum domûs meæ: * si ascéndero in lectum strati mei.

Si dédero somnum óculis meis: * & pálpebris meis dormitatiónem.

Et

Et réquiem tempóribus meis: * donec invéniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eum in Ephrata: * invénimus eum, in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco, ubi steterúnt pedes ejus.

Surge Dómine in réquiē tuam: * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam: * & sancti tui exúltent.

Propter David servum tuum: * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eum: * De fructu ventris tui, ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílij tui testaméntum meum: * & testimónia mea hæc, quæ docébo eos.

Et fílij eórum usque in sæculum: * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi: * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári: * & sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David: * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne: * super ipsum autem efflorébit, sanctificátio mea. Glória Patri.

Aña. Elégit Dñs Sion: elégit eam in habitatiónem sibi. *Aña.* Ecce quàm bonum.

Psalm. 132.

Ecce quàm bonum, & quàm jocúndum: * habitáre fratres in unum.

Sicut unguéntum in cápite: * quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

Quod descéndit in oram vestiménti ejus: * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem: * & vitam usque in sæculum. Glória Patri.

Aña. Ecce quàm bonum, & quàm jocúndum!

Aña. Laudáte.

Psalmus

Psalmus 134.

LAudáte nomen Dñi: * laudáte servi Dóminũ.

Qui statis in domo Dómini: * in átriis domûs Dei nostri.

Laudáte Dóminum,quia bonus Dóminus:*psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus: * Israël in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus:*& Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit Dóminus fecit in cœlo & in terra: * in mari, & in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ: * fúlgura in plúviam fecit.

Qui prodúcit ventos de thesáuris suis: * qui percússit primogénita Ægypti, ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa & prodígia in médio tui Ægypte: * in Pharaónem, & in omnes servos ejus.

Qui percússit gétes multas: * & occídit reges fortes.

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Basan: * & ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem:* hæreditátem Israël pópulo suo.

Dómine nomen tuum in ætérnum: * Dómine memoriále tuum in generatióne, & generatiónem.

Quia judicábit Dóminus pópulum suum:* & in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argéntum & aurum:* ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur:* óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent,& non audient: * neque enim est spíritus, in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea:* & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël benedícite Dómino: * domus Aaron benedícite Dómino.

Domus Levi benedícite Dómino: * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion: * qui hábitat in Jerúsalem. Glória Patri.

*Añа.*Laudáte nomen Dñi.

Aña. Confitémini.

Psalmus

Psalmus 135.

CONfitémini Dómino, quóniam bonus : * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum : * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui facit mirabília magna solus : * quóniam in ætérnũ, misericórdia ejus.

Qui fecit cælos in intelléctu: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui firmávit terram super aquas : * quóniam in ætérnũ, misericórdia ejus.

Qui fecit lumin ária magna : * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Solem in potestátem diei : * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Lunam & stellas, in potestátem noctis : * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui percússit Ægyptum, cum primogénitis eórum : * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui eduxit Israël de médio eórum: * quóniam in ætérnũ, misericórdia ejus.

In manu poténti, & bráchio excélso : * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui divísit mare Rubrum in divisiónes:* quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Et edúxit Israël per médium ejus : * quóniam in ætérnũ, misericórdia ejus.

Et excússit Pharaónem, & virtútem ejus in mari Rubro:* quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui transdúxit pópulum suum, per desértum:* quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui percússit reges magnos: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Et occídit reges fortes:* quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Sehon regem Amorrhæórum : * quóniam in ætérnũ, misericórdia ejus.

Et Og regem Basan : * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Et dedit terram eórum hæreditátem : * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus,

Hæreditátem Israël servo

vo suo : * quóniam in ætérnū, misericórdia ejus.

Quia in humilitáte nostra, memor fuit nostri: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Et redémit nos ab inimícis nostris: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui dat escam omni carni : * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Confitémini Deo cæli:* quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum :* quóniam in ætérnum, misericórdia ejus. Glória Patri.

Aña. Confitémini Dómino, quóniam bonus.

Aña. Hymnum cantáte.

Psalmus 136.

SUper flúmina Babylónis, illic sédimus & flévimus : * dum recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus :* suspéndimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos: * verba canticórum.

Et qui abduxérunt nos:* Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini : * in terra aliéna ?

Si oblítus fúero tui Jerúsalem : * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis : * si non meminero tui.

Si non proposúero Jerúsalem : * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto Dómine filiórum Edom : * in die Jerúsalem.

Qui dicunt, Exinaníte:* exinaníte, usque ad fundaméntum in ea.

Filia Babylónis mísera:* beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus qui tenébit : * & allídet párvulos tuos ad petram.

Glória Patri.

Aña. Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Capitulum. 2. *Theff.* 3.

DOminus autem dirigat corda vestra in charitáte Dei, & patiéntia Christi.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad

Ad Magnificat, Aña. Depósuit poténtes sanctos persequéntes, & exaltávit húmiles Christum confiténtes.

Deinde dicuntur parvæ Preces ut suprà. 154.

Quando verò dicuntur magnæ, habentur ibidem in Feria secunda. 154.

FERIA SEXTA
Ad Vesperas.

Antiphona. In conspéctu.

Psalmus 137.

COnfitébor tibi Dómine in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum: * & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, & veritáte tua: * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima, mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ: * quia audiérunt ómnia verba, oris tui.

Et cantent in viis Dómini: * quóniam magna est, glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, & humília réspicit: * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum, extendísti manum tuam: * & salvum me fecit, déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine misericórdia tua in sæculum: * ópera mánuum tuárum, ne despícias. Glória Patri.

Aña. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus.

Antiphona. Dómine.

Psalmus 138.

DOmine probásti me, & cognovísti me: * tu cognovísti sessiónem meam: * & resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longè: * sémitam meam, & funículum meum, investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti: * quia non est sermo, in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia, novíssima & antíqua: * tu formásti me

me, & posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est, sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo:* & quò à fácie tua fúgiam.

Si ascéndero in cælum, tu illic es: * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo:* & habitávero, in extrémis maris.

Etenim illuc manus tua dedúcet me: * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi, Fórsitan ténebræ conculcábunt me: * & nox illuminátio mea,in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur à te: * & nox sicut dies illuminábitur: * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos: * suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi, quia terribiliter magnificátus es.* mirabília ópera tua:* & ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecísti in occúlto: * & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui: * & in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui Deus: * nimis confortátus est, principátus eórũ.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabúntur: * exurréxi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres: * viri sánguinum declináte à me.

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte, civitátes suas.

Nonne qui odérunt te Dómine, óderam: * & super inimícos tuos, tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos: * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meum: * intérroga me, & cognósce, sémitas meas.

Et vide si via iniquitátis in me est: * & deduc me in via ætérna.

Glória Patri.

Aña. Dómine probásti me, & cognovísti me.

Aña.

Aña. A viro iníquo.

Psalmus 139.

ERipe me Dómine ab hómine malo: * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: * tota die, constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpentes: * venénum áspidum, sub lábiis eórum.

Custódi me Dómine de manu peccatóris: * & ab homínibus iníquis, éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: * abscondérunt supérbi, láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum: * juxta iter, scándalũ posuérunt mihi.

Dixi Dño, Deus meus es tu: * exaudi Dómine vocẽ, deprecatiónis meæ.

Dómine Dómine virtus salútis meæ: * obumbrásti super caput meum, in die belli.

Ne tradas me Dómine à desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me: * ne derelínquas me, ne fortè exalténtur.

Caput circúitus eórum: * labor labiórum ipsórum, opériet eos.

Cadent super eos carbónes: * in ignem dejicies eos: * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigetur in terra: * virum injústum mala capient, in intéritu,

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis. * & vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo: * & habitábunt recti, cum vultu tuo. Glória Patri.

Aña. A viro iníquo líbera me Dómine. *Aña.* Dómine clamávi.

Psalmus 140.

DOmine clamávi ad te, exaúdi me: * inténde voci meæ; cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea, sicut incénsum in conspéctu tuo: * elevátio mánuum meárum, sacrifícium vespertínum.

Pone Dómine custódiam ori meo: * & óstium circunstántiæ, lábiis meis.

Non declínet cor meum in verba malítiæ: * ad excusándas, excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus

rántibus iniquitátem : * & non communicábo, cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdiâ, & increpábit me : * óleum autem peccatóris, non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea in beneplácitis eórum : * absórpti sunt juncti petræ, júdices eorũ.

Audient verba mea, quóniam potuérunt : * sicut crassitúdo terræ, erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum: * quia ad te Dómine Dómine óculi mei: * in te sperávi, non áuferas ánimã meam.

Custódi me à láqueo, quem statuérunt mihi : * & à scándalis, operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singuláriter sum ego, donec tránseam.

Glória Patri. *Aña.* Dómine clamávi ad te exáudi me. *Aña.* Pórtio mea.

Psalmus 141.

VOce mea ad Dóminũ clamávi: * voce mea, ad Dñm deprecátus sum.

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam : * & tribulatiónem meam, ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum : * & tu cognovísti, sémitas meas.

In via hac qua ambulábam : * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, & vidébam : * & non erat, qui cognósceret me.

Périit fuga à me : * & non est qui requírat, ánimam meam.

Clamávi ad te Dñe : * dixi, Tu es spes mea : * pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam: * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me: * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimã meam, ad cõfiténdum nómini tuo: * me expéctant justi, donec retríbuas mihi. Glória Patri.

Aña. Pórtio mea Dómine sit in terra vivéntium.

Capitulum. 2. Thess. 3.

DOminus autem dírigat corda vestra in charitáte Dei : & patiéntia Christi.

℣. Dirigátur Dómine orátio

orátio mea. ℞. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Aña. Suscépit Israél púerum suum recordátus Dóminus misericórdiæ suæ.

Deinde dicuntur parva Preces ut suprà. 154.

Quando verò dicuntur magna habentur ibidem in Feria secunda. 154.

SABBATO

Ad Vesperas.

Antiphona. Benedíctus.

Psalmus 143.

BEnedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium: * & dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, & refúgium meum: * suscéptor meus, & liberátor meus.

Protéctor meus, & in ipso sperávi: * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine quid est homo, quia innotuísti ei: * aut filius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est: * dies ejus sicut umbra, prætéreunt.

Dómine inclína cælos tuos, & descénde: * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónum, & dissipábis eos: * emítte sagíttas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto: * éripe me, & líbera me de aquis multis: * & de manu filiórum alienórum.

Quorum os locútum est vanitátem: * & déxtera eórũ, dextéra iniquitátis.

Deus cánticum novum cantábo tibi: * in psaltério decachórdo, psallam tibi.

Qui das salútem régibus: * qui redemísti David servum tuum: * de gládio malígno, éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum: * quorum os locútum est vanitátem: * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Quorum filij sicut novéllæ plantatiónes: * in juventúte sua.

Fíliæ eórum compósitæ: * circumornátæ, ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena: * eructántia ex hoc in illud,

Oves eórum fætósæ, abundántes in egréssibus suis: * boves eórum crassæ.

Non

Non est ruína macériæ: * neque transitus, neque clamor: * in platéis eórũ.

Beátum dixérunt pópulum, cui hæc sunt: * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Glória Patri.

Aña. Benedíctus Dóminus Deus meus.

Aña. Per síngulos dies.

Psalmus 144.

Exaltábo te Deus meus rex: * & benedícam nómini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi: * & laudábo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * & magnitúdinis ejus, nõ est finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua: * & poténtiam tuam, pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ, sanctitátis tuæ loquéntur: * & mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent: * & magnitúdinẽ tuam, narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábũt: * & justítia tua exultábunt.

Miserátor & miséricors Dóminus: * pátiens, & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérsis: * & miseratiónes ejus, super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi Dómine, ómnia ópera tua: * & sancti tui, benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent: * & poténtiam tuam loquéntur.

Ut notam fáciant fíliis hóminum, poténtiam tuam: * & glóriam magnificéntiæ, regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium sæculórum: * & dominátio tua in omni generatióne, & generatiónẽ.

Fidélis Dóminus, in ómnibus verbis suis: * & sanctus in ómnibus, opéribus suis.

Allevat Dóminus, omnes qui córruunt: * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium, in te sperant: * & tu das escam illórum, in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam: * & imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus, in ómnibus viis suis: * & sanctus in ómnibus, opéribus suis.

Propè est Dóminus, ómnibus invocántibus eum:* ómnibus invocántibus eum, in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet: * & deprecatiónem eórum exáudiet: * & salvos fáciet eos.

Custódit Dñs omnes diligéntes se: * & omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini, loquétur os meum:* & benedícat omnis caro, nómini sancto ejus in sæculum, & in sæculum sæculi.

Gloria Patri.

Aña. Per síngulos dies benedícam te Dómine.

Aña. Laudábo.

Psalmus 145.

LAuda ánima mea Dóminum: * laudábo Dóminum in vita mea:* psallam Deo meo, quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus: * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suã:* in illa die períbunt, omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus:* spes ejus in Dómino Deo ipsíus: * qui fecit cælum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum: * facit judícium injúriã patiéntibus:* dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos:* Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas:* pupíllum & víduam suscípiet: * & vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula: * Deus tuus Sion in generatióne, & generatiónem.

Glória Patri.

Antiph. Laudábo Deum meum in vita mea.

Antiph. Deo nostro.

Psalmus 146.

LAudáte Dominũ, quóniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit jocũda, decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus: * dispersiónes Isráël, congregábit.

Qui sanat contrítos corde: * & álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum: * & ómnibus

nibus eis, nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus: * & sapiéntiæ ejus, non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus: * humílians autem peccatóres, usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus: * & parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum: * & herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum: * & pullis corvórum, invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi, voluntátem habébit: * nec in tíbiis viri, beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino, super timéntes eum: * & in eis qui sperant, super misericórdia ejus.

Glória Patri.

Aña. Deo nostro jocúnda sit laudátio. *Aña.* Flabit.

Psalmus 147.

LAuda Jerúsalem Dóminum: * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras, portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suum sicut buccéllas: * ante fáciem frigóris ejus, quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob: * justítias, & judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia sua, non manifestávit eis.

Glória Patri.

Aña. Flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Capitulum. Rom. 11.

DEus spei répleat vos omni gáudio & pace in credéndo; ut abundétis in spe, & virtúte Spíritus sancti.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te Dómine.

℟. Et descéndat super nos

misericórdia tua.

Ad Magnificat, Antiph. Suscépit Deus Israël púerum suum : sicut locútus est ad Abraham, & sémini ejus,& exaltávit húmiles usque in sæculum.

Capitulum. Deus speï. *dicitur in Vesperis Sabbati à Dominica iij. post Pentecostem usque ad Adventum, & ab Octava Epiphania usque ad Septuagesimam, & ℣. etiam usque ad Quadragesimam. Aña, ad* Magníficat. *ab Octava Epiph. usque ad Septuages. tantùm, post Añam dicitur Oratio propria : fiunt dua Processiones ut suo loco notabitur & nulla dicuntur Preces.*

AD COMPLETORIUM.

Pater noster. Ave María.

℣. Sancti Spíritûs adsit nobis grátia. Amen.

℣. Convérte nos Deus salutáris noster. ℟.Et avérte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adjuvándum me festína.

Glória Patri.Allelúia.*vel* Laus tibi Dómine rex ætérnæ glóriæ.*Pro temporis diversitate.*

Psalmus 4.

CUm invocárem exaudívit me, Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei : * & exáudi oratiónem meam.

Fílij hóminum úsquequo gravi corde?* ut quid diligitis vanitátem, & quæritis mendácium ?

Scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini & nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris : * & in cubílibus vestris, compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino : * multi dicunt, Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultûs tui Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruméti,vini,& ólei sui, multiplicáti sunt.

In pace in idípsum, dórmiam & requiéscam

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe, constituísti me.

Glória Patri.

Psalmus 30.

IN te Dómine sperávi non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuá: * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgij: * ut salvũ me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu: * & propter nomẽ tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo quem abscondérunt mihi : * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum : * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Glória Patri.

Psalmus 90.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi : * in protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino, Suscéptor meus es tu : * & refúgium meum, Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venãtium: * & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi : * & sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis à timóre noctúrno.

A sagítta volánte in die: * à negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille : * & decem míllia à dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : * & retributiónem peccatórũ vidébis.

Quóniam tu es Dómine spes mea : * altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : * & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te : * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : * ne fortè offéndas ad lápidem pedum tuum.

Super áspidem & basilíscum ambulábis : * & conculcábis leónem, & dracónem.

Quoniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamávit ad me, & exáudiam eum:* cum ipso sum in tribulatióne: * erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum:* & osténdam illi salutáre meum. Glória Patri. *Psalmus* 133.

ECce nunc benedícite Dóminum: * omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini: * in átriis domûs Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta: * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion: qui fecit cælum & terram. Glória Patri.

Allelúia, *vel* Laus tibi Dñe, Rex ætérnæ glóriæ.

Deinde dicitur unus ex Hymnis sequentibus singulis Hebdomadæ diebus assignatis, nisi proprius assignetur.

Diebus Dominicis quando fit de Dominica.

Hymnus.

JEsu Salvátor sæculi,
Redémptis ope súbveni:
Ac pia Dei génitrix,
Véniam posce míseris.

Cœtus omnes Angélici,
Patriarchárum cúnei,
Ac Prophetárum mérita,
Nobis precéntur véniam.

Baptísta Christi prævius,
Et cláviger æthéreus,
Cum céteris Apóstolis,
Nos solvāt nexu críminis.

Chorus sacrátus Mártyrum,
Conféssio Sacerdótum,
Ac Virginális cástitas,
Nos à peccâtis ábluant.

Monachórum suffrágia,
Omnésque cives cælici,
Annuant votis súpplicum;
Et vitæ poscāt præmium.

Laus, honor, virtus, glória,
Deo Patri, & Fílio,
Unà cum sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Feria secunda. Hymnus.

TE lucis ante términū,
Rerum Creátor póscimus,
Ut sólitâ cleméntiâ,
Sis præsul ac custódia.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

Præsta Pater omnípotēs,
Per Jesum Christum Dóminum,
Qui tecum in perpétuum,
Regnat cum sancto Spíritu. Amen.

Feria

Feria tertia. Hymnus.

CHriste qui lux es ac dies
Noctis ténebras détegis:
Lucísque lumen créderis,
Lumen beátum prędicans.
Precámur sancte Dñe,
Defénde nos in hac nocte;
Sit nobis in te réquies,
Quiétam noctem tríbue.
Ne gravis sõnus irruat,
Nec hostis nos surrípiat:
Nec caro illi conséntiens,
Nos tibi reos státuat.
Oculi somnum cápiant,
Cor ad te semper vígilet:
Déxtera tua prótegat,
Fámulos qui te díligunt.
Defénsor noster áspice,
Insidiántes réprime;
Gubérna tuos fámulos,
Quos sãguine mercátus es.
Hic genuflectitur.
Meménto nostri Dñe,
In gravi isto córpore;
Qui es defénsor ánimæ,
Adésto nobis Dómine.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu paráclito,
Et nunc & in perpétuum.
Amen.

Feria quarta. Hymnus.

SOl Angelórum réspice:
Quem concupíscit méntium,
Inténta visu cástitas,
Sursum manẽtem cérnere.
Quo cuncta pollent cælitus,
Cursu, recúrsu próspero:
Quo vita constat ómniũ,
Inténde grates súpplicum.
Da sérvulis custódiam,
Qua temperéntur cómmoda:
Advérsa sint innóxia,
Corrúpta ne sint péctora.
Frugálitas tu sénsuum,
Sator, salus, reféctio,
Potus, cibúsque gáudium,
Lux atque virtus córdium.
Repélle mẽbris lúbrica:
Ne pólluat lascívia:
Ne fœda vexet pássio,
Culpétque mentis áctio.
Virtútis infer cópiam,
Qua cónferas cleméntiã:
Oblítus ut peccáminum,
Dones quiétem témporũ.
Votis rogámus áffatim,
Supérna pax illábere:
Quò cũcta tuta pérpetim,
Serves subáctis scándalis.
Præsta Pater piíssime,
Patríque Compar únice,
Cum Spíritu paracléto,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Feria quinta. Hymnus.

DEus Creátor ómnium,
Políque rector: véstiens,
Diem decóro lúmine,

Noctem sopóris grátia.
Artus solútos ut quies
Reddat labóris úsui:
Mentésque fessas állevet,
Luctúsque solvat ánxios.
Grates peráctо jam die,
Et noctis exórtu preces:
Votis, reos ut ádjuves
Hymnum canéntes sólvimus.
Te cordis ima cóncinant
Te vox canóra cóncrepet:
Te díligat castus amor,
Te mens adóret sóbria.
Ut cùm profúnda cláuserit
Diem calígo nóctium:
Fides ténebras nésciat,
Et nox fidélis lúceat.
Dormíre mentē ne sinas:
Dormíre culpa nóverit:
Castos fides refrígeret:
Somni vapórem témperet.
Exúta sensu lúbrico
Te cordis alta sómnient:
Ne hostis ínvidi dolo
Pavor quiétos súscitet.
Christum rogémus, & Patrem
Nati Patrísque Spíritum:
Unum potens per ómnia
Fove precántes Trínitas.
Amen.

Feria sexta. Hymnus.

CUltor Dei meménto
Te fontis & lavácri
Rorem subísse sacrum,
Te chrísmate innotátum.
Fac cum vocánte somno,
Castum petis cubíle:
Frontem locúmque cordis
Crucis figúra signet.
Crux pellit omne crimē,
Fúgiunt Crucem ténebræ:
Tali dicáta signo
Mens fluctuáre nescit.
Procul procul vagántum
Porténta somniórum:
Procul esto pervicáci
Præstigiátor astu.
O tortuóse serpens,
Qui mille per mæándros,
Fraudésque flexuósas,
Agitas quiéta corda.
Discéde Christus hic est:
Hic Christus est liquésce:
Signum quod ipse nosti,
Damnat tuam catérvam.
Corpus licet fatíscens
Jáceat reclíve paulùm;
Christum tamen sub ipso
Meditábitur sopóre.
Cui laus, honórque summus,
Cum Patre sempitérno,
Paracletóque sancto,
Extat per omne sæculum.
Amen.

Sabbato. Hymnus.

ALtíssimi Verbum Patris,
Almæque Jesu Vírginis,
Bis nate nostro gáudio
Carnísque factor & caro.

Decúrsu transit jam dies:
Emítte lumen cælitus:
Favénsque lætus vésperi
Grates benígnè súscipe.

Hoc solis ad finem tibi
Imménse Christe pángimus:
Cæléste ut nostris tuum
Lumen ténebris fúlgeat.

Mentémque fessam dum sopor
Noctis per alta détinet:
Obscúra cedant sómnia,
Pectúsque purum lúceat.

Quiétem nullus córporis
Repat dolus lascíviæ:
Sed te Deus mens sómniet,
Te cor quiétum cógitet.

Votis simul cum córdibus
Nati, Patrísque Spíritus
Hymnum sonántes in choro,
Zelo canámus pérpetim. Amen.

Finito Hymno dicitur

℣. Custódi me Dómine ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me.

Canticum Simeonis. Luc. 2.

NUnc dimíttis servum tuum Dómine: * secúndùm verbum tuum in pace.

Quia vidérunt óculi mei Salutáre tuum: * quod parásti ante fáciem ómnium populórum.

Lumen ad revelatiónem géntium: * & glóriam plebis tuæ Israël.

Glória Patri.

Aña. Nunc dimíttis servum tuum Dómine, secúndùm verbum tuum in pace.

Deinde dicuntur Preces sequentes.

KYrie eléison, Kyrie eléison. Christe eléison, Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. Credo in Deum. *secretò usque ad* ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam, Amen. ℣. Benedíctus es Dómine Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis & gloriósus, & superexaltátus in sæcula. ℣. Benedicámus Patri, & Fílio cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus & superexaltémus eum in sæcula. ℣. Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sæcula. ℣. Benedicat nos omnípotens Deus. ℟. Amen.

℣. Di

℣. Dignáre Dómine nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui illúminas noctem, & lucem post ténebras facis: concéde nobis, ut hanc noctem, sine impediménto sátanæ transeámus; atque matutínis horis ad altáre tuum recurréntes: tibi Deo grátias referámus. Per Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias; *Posteà Hebdomadarius signando se signo Crucis, dicit:* Benedíctio Dei omnipoténtis; Patris, & Fílij, & Spíritûs sancti: descéndat super nos, & custódiat nos. ℟. Amen.

In Festis autem iij. Lect. & Feriis dicitur loco prædicta Orationis sequens Oratio.

Orémus. *Oratio.*

ILlumina quæsumus Dómine ténebras nostras: & totíus noctis insídias, tu repelle propítius. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias; *Posteà Hebdomadarius signando se signo Crucis, dicit:* Benedíctio Dei omnipoténtis; Patris, & Fílii, & Spíritus sancti: descéndat super nos, & custódiat nos. ℟. Amen.

Supradicta Preces dicuntur flexis genibus, tempore Adventus, Quadragesimæ, & in Quatuor Temporibus, quandò dicta sunt magnæ Preces in Vesperis.

Quando autem dicuntur Psalmi Pœnitentiales post Benedictionem statim dicitur Psalmus, Dómine exáudi oratiónem meam, áuribus pércipe. *Cum ℣. & Oratione, ut in fine Breviarii.*

Deinde in Festis iij. Lect. & Feriis dicitur pro Defunctis. ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis. *Psalm.* De profúndis. 158. *quo finito dicitur* ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpé-

tua

tua lúceat eis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens ſempitérne Deus, cui numquam ſine ſpe misericórdiæ ſupplicátur: propitiáre animábus famulórum tuórum; ut qui de hac vita, in tui nóminis confeſſióne deceſſérunt: ſanctórum tuórum número fácias aggregári. Per Dóminum noſtrum.

Et dicitur ſecretò. ℣. Requiéſcāt in pace. ℟. Amen.

Et immediatè poſt dicitur una ex infraſcriptis Antiphonis Beatæ Mariæ.

Diebus Dominicis, Antiph.

VIrgo parens Chriſti paritúra Deum genuiſti.
Fúlgida ſtella maris: nos prótege, nos tueáris.
Dum paris & gaudes: cantant cæli ágmina laudes.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei Génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Orémus. *Oratio.*

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis ſalúte gaudére; & glorióſa beátæ Maríæ ſemper Virginis interceſſióne à præſénti liberári triſtítia: & ætérna pérfrui lætítia. Per Chriſtum Dóminum noſtrum; ℟. Amen. *ſecretò.* ℣. A ſubitánea, & improvíſa morte líbera nos Dómine. ℟. Amen. ℣. Deus det nobis ſuam pacem, & poſt mortem vitam ætérnam. ℟. Amen.

Feria ſecunda & quinta.

Antiphona.

SAlve Regína misericórdiæ, vita, dulcédo, & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamámus éxules filij Hevæ. Ad te ſuſpirámus geméntes & flentes in hac lacrymárum valle. Eia ergo Advocáta noſtra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jeſum benedíctum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exílium oſténde. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo María. ℣. *& Oratio ut ſuprà.*

Feria tertia & ſexta.

Antiphona.

AVe Regína cœlórum, Ave Dña Angelórũ: Salve

Salve radix sancta
Ex qua mūdo lux est orta:
Gaude glorióſa.
Super omnes ſpecióſa.
Vale valdè decóra,
Et pro nobis ſemper Chriſtum exóra.

℣. *& Oratio ut ſuprà.*

Feria quarta & Sabbato:
Antiphona.

ALma Redemptóris Mater, quæ pérvia cæli
Porta manes, & ſtella maris: ſuccúrre cadénti
(Súrgere qui curat) pópulo: tu quæ genuíſti
Natúra miránte, tuum ſanctum Genitórem.
Virgo priùs ac poſtériùs: Gabriélis ab ore
Sumens illud Ave, peccatórum miſerére.

℣. *& Oratio ut ſuprà.*

A Vigilia Paſchæ incluſivè uſque ad Octavam Pentecoſtes, Antiphona.

REgína cæli lætáre, allelúia.
Quia quem meruíſti portáre, allelúia.
Reſurréxit ſicut dixit, allelúia,
Ora pro nobis Deum, allel.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei Génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Orémus. *Oratio.*

GRátiam tuam Dómine, méntibus noſtris infúnde; ut qui Angelo nuntiánte, Chriſti Filii tui incarnatiónem cognóvimus, per paſſiónem ejus & crucem ad reſurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrum.
℟. Amen.



PRO




Ogier fecit

PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS HYEMALIS.

SABBATO
Ante Dominicam primam Adventus,
AD VESPERAS.
Capitulum. Jer. 23.

ECce dies veniunt dicit Dóminus, & suscitábo David germen justum, & regnábit rex, & sápiens erit, & fáciet judícium & justítiam in terra; in diébus illis salvábitur Juda, & Israël habitábit confidénter; & hoc est nomen, quod vocábunt eum: Dóminus justus noster.

℟. Deo grátias.

Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

℣. Roráte cæli désuper & nubes pluant justum.

℟. Aperiátur terra, & gérminet salvatórem.

Ad Magnificat, Antiph. Ecce Dóminus véniet, & omnes Sancti ejus cum eo, & erit in die illa lux magna, allelúia. *Duplicatur.*

Antiphonæ ad Magníficat, & *ad* Benedíctus, *bis dicuntur integræ post Canticum, quando in fine earum apponitur hæc vox,* duplicatur.

Orémus. *Oratio.*

EXcíta, quæsumus Dómine poténtiam tuam, & veni; ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, te mereámur protegénte éripi: te liberánte salvári. Qui vivis & regnas cum Deo Patre; in unitáte Spíritus sancti Deus: Per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Post Vesperas fiunt duæ Processiones.

Ad primam Processionem.

℟. Aspiciébam in visu noctis, & ecce cum núbibus cæli Fílius hóminis veniébat: & datum est ei regnum, & honor. * Et omnes pópuli, tribus, & linguæ sérvient ei.

Orémus. *Oratio.*

EXcita Dñe poténtiam tuam & veni; & quod Ecclésiæ tuæ promisísti: usque in finem sæculi clementer operáre. Qui vivis & regnas.

Ad secundam Processionẽ.

℟. Audíte verbum Dómini gentes, & annunciáte illud in fínibus terræ.* Et in insúlis, quæ procul sunt; dícite, Salvátor noster advéniet.

Orémus. *Oratio.*

COnsciéntias nostras, quæsumus Dómine visitándo purífica; ut véniens Jesus Christus, Fílius tuus Dóminus noster: parátam sibi in nobis invéniat mansiónem. Qui tecum vivit, & regnat Deus; in unitáte Spíritus sancti: Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Duæ prædictæ Orationes dicuntur in Processionibus etiam in aliis Sabbatis & Dominicis, usque ad Nativitatem Domini.

Prædicto modo semper fiunt duæ Processiones diebus Sabbatorum & diebus Dominicis: In Officio verò Duplici, & Semiduplici post primas Vesperas fiunt similiter duæ Processiones, & post secundas Vesperas, fit una Processio tantùm, nisi prædictum Officium occurrat in Sabbato, vel Dominica, ratione cujus, tunc etiam fiunt duæ Processiones.

In agendis Processionibus sumuntur Responsoria de Matutino Officio diei sequentis, primum scilicet Responsorium in prima Processione, & secundum in secunda. Orationes verò, ut habentur suis locis: Sed in Proprio Sanctorum, ubi aliquando nullæ assignantur, sumuntur de Communi.

Quando infra Hebdomadam fit Processio de Feria: in ea semper dicitur Oratio Dñicæ præcedentis.

Si Oratio, quæ convenit illi Officio, de quo sumuntur Processiones dicta non fuerit in Vesperis, ea ponitur in prima Processione, (sive una, sive duæ fiant) omissâ eâ, quæ aliàs dicenda occurreret.

Quòd si aliquando Processio nulla, aut aliter, quàm supradictum est, agenda sit, illud suo loco ordinatur.

In

In Adventu non fit de Festo, nisi fuerit Novem Lectionum. Quod si occurrat in Dominica, transfertur in primam diem simili Festo non impeditam, secundùm Rubricã de translatione Festorum. De Simplici verò fit tantummodò commemoratio in Missa.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus.

Conditor alme síderũ,
Ætérna lux credéntiũ,
Christe Redémptor ómnium,
Exáudi preces súpplicum.
Qui cóndolens intéritu
Mortis períre sæculum,
Salvásti mundum lánguidum,
Donans reis remédium.
Vergénte mundi vésperе,
Uti sponsus de thálamo,
Egréssus honestíssima
Vírginis matris cláusula.
Cujus forti poténtiæ
Genu curvántur ómnia,
Cœléstia, terréstria,
Nutu faténtur subdíta.
Te deprecámur Agie,
Ventúre Judex sæculi,
Consérva nos in témpore
Hostis à telo pérfidi.
Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri & Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

DOMINICA PRIMA

Adventus.

Ad Matutinum, Invitatorium semper dicitur cum Psalmo Veníte exultémus. *ordine in principio Psalterij descripto, hoc est bis ante Psalmum, & semel post quemlibet versum Psalmi & semel post* Glória Patri. *Vbicumque autem in fine Invitatorij apponitur hæc vox,* Duplicatur, *tunc etiam bis dicitur post* Glória Patri.

Invitatorium. Regem ventúrum Dóminum, Veníte adorémus. *Duplicatur. Psalmus.* Veníte exultémus. 2.

Hoc Invitatorium dicitur etiam in aliis Dominicis & Feriis usque ad Nativitatem Domini, sed in eis non duplicatur.

In primo Nocturno, Psalmus. Beátus vir. *cum reliquis ut in Psalterio.* 3.

Post ℣. *in quolibet Nocturno dicitur* Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

Deprecatio. Exúrge Dómine ádjuva nos ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Súscipe deprecatión m nostram Dómine Jesu Christe ; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus ⁎ Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Domne jube benedícere. *Benedictio.* Adjútor & propítius sit nobis omnípotens & misericors Dóminus. ℟. Amen.

In Choro pro prima Lectione legitur Prologus S. Hieronymi in Isaïam Nemo cùm Prophétas. *Pro secunda verò legitur initium Isaïæ ; duabus, quæ sequuntur, in unam junctis.*

Incipit liber Isaíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

VIsio Isaíæ fílij Amos; quam vidit super Judam & Jerúsalem ⁎ in diébus Oziæ, Jóathan, Achaz, & Ezechíæ regum Juda. Audíte cœli, & áuribus pércipe terra ⁎ quóniam Dóminus locútus est. Fílios enutrívi & exaltávi ⁎ ipsi autem sprevérunt me. Cognóvit bos possessórem suum, & ásinus præsépe Dómini sui ; Israël autem me non cognóvit ⁎ & pópulus meus non intelléxit. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias.

Sic semper terminantur Lectiones, nisi aliter signetur.

℟. Aspiciébam in visu noctis, & ecce cum núbibus cœli Fílius hóminis veniébat, & datum est ei regnum, & honor. * Et omnes pópuli, tribus & linguæ servient ei. ℣. Potéstas ejus potéstas ætérna, quæ non auferétur, & regnum ejus quod non corrumpétur. Et omnes pópuli, tribus, & linguæ sérvient ei. Glória Patri, & Fílio, & Spíritui sancto. Sicut erat in princípio, & nunc & semper.

Deinde repetitur ℟. Aspiciébam. *usque ad* ℣.

In aliis verò Responsoriis post Glória Patri, *non additur* Sicut erat, *sed repetitur* ℟. *ut suprà.*

Prædictus modus repetendi Responsoria cum Glória Patri, *Sic semper servatur, quandocumque præcè*

præcipiuntur duplicari, nisi aliter in propriis locis ordinetur.

℣. Domne jube benedícere. *Benedictio.* Benedictiónibus suis répleat nos omnípotens & misericors Dóminus. ℞. Amen.

Lectio ij.

VÆ genti peccatríci, pópulo gravi iniquitáte; sémini nequam: fíliis sceleratis. Dereliquérunt Dóminum; blasphemavérunt sanctum Israël: abalienáti sunt retrórsum. Super quo percútiam vos ultrà; addéntes prævaricatiónem? Omne caput lánguidum; & omne cor mœrens: à planta pedis usque ad vérticem non est in eo sánitas. Vulnus, & livor, & plaga tumens; non est circumligáta, nec curáta medicámine: neque fota óleo.

℞. Audíte verbum Dómini gentes, & annuntiáte illud in fínibus terræ, * Et in ínsulis, quæ procul sunt, dícite, Salvátor noster advéniet. ℣. Annunciáte inter gentes glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabília ejus. Et in ínsulis. Glória Patri. Audíte verbum. ℣. Domne jube benedícere. *Benedictio.* Cœléstem benedictiónẽ tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℞. Amen.

Lectio iij.

TErra vestra desérta, civitátes vestræ succénsæ igni; regiónem vestram coram vobis aliéni dévorant: & desolábitur sicut in vastitáte hostíli. Et derelinquétur fília Siõ ut umbráculum in vínea; & sicut tugúrium in cucumerário: & sicut cívitas quæ vastátur. Nisi Dóminus exercítuum reliquísset nobis semen; quasi Sódoma fuissémus: & quasi Gomórrha símiles essémus.

℞. Obsecro Dómine mitte quem missúrus es, vide afflictiónem pópuli tui. * Sicut locútus es, veni. * Et líbera nos. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovẽ Joseph. Sicut locútus es. Glória Patri. Obsecro.

In fine ultimi Responsorij cujuslibet Nocturni nunquam omittitur Glória Patri. *nisi aliter notetur: & quando Responsoria*

non duplicantur, tunc post Glória.Patri. *fit solummodò repetitio ultimæ partis Responsorii, quæ Asterisco * signatur.*

In secundo Nocturno.

Aña. Consérva me. *Psalmus.* Consérva me Dómine, quóniam. *cum reliquis ut in Psalterio.* 11.

Deprecatio. Ostén de nobis Dómine misericórdiam tuam ℟. Et salutáre tuũ da nobis. ℣. Domne jube benedícere. *Benedictio.* Deus Dei Fílius nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Sermo sancti Ambrosij Epíscopi.

Sermone 2. de Adventu.

Lectio iv.

HOc tempus fratres Charíssimi, non immeritò Dómini advéntus vocátur; nec sine causa Sancti Patres advéntum Dómini celebráre cœpérunt: & sermónes de his diébus ad pópulum habuérunt. Id namque ideò instituérunt; ut se unusquisque fidélis præparáret & emundáret: quò dignè Dei, ac Dómini sui Nativitátem celebráre valéret. Nam si áliquis vestrûm seniórem suum in ejus domum susceptúrus, ab ómnib⁹ sórdibus & immúndis rebus ipsam domum mundáret: & quæcũque honésta necessária essent secúndũ suam possibilitátem præparáret. Et hoc facit mortális susceptúrus mortálem; quantò magis se mundáre debet creatúra: ut suo Creatóri apparénti in carne non displíceat. Tu autem.

℟. Læténtur cæli, & exúltet terra; jubiláte montes laudem, quia Dóminus noster véniet; * Et páuperum suórum miserébitur. ℣. Ecce Dominátor Dóminus cum virtúte véniet. Et páuperum. Glória Patri. Læténtur. ℣. Dõne jube benedícere. *Benedictio.* Ætérnam benedictiónem tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Lectio v.

ILle justus venit ad nos peccatóres, ut ex peccatóribus fáceret justos; pius venit ad ímpios, ut nos fáceret pios: húmilis venit ad supérbos, ut ex supérbis fáceret húmiles. Quid plura? Ille natúrâ bonus

bonus: venit ad hómines qui erant pleni ómnibus malis. Quaprópter hortámur vos ut his diébus abundántiùs eleemósinas faciátis; ad Ecclésiam frequéntiùs conveniátis; confessiónem peccatórum vestrórum puríssimè faciátis; ódium nihilóminùs, iram & indignatiónem, clamórem & blasphémiam, supérbiam atque jactántiam, cum omni carnáli delectatióne, procul à vobis repellátis: ut cùm dies Domínicæ Nativitátis advénérit, salúbriter ipsum celebráre possitis. Tu autem.

℟. Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium, dicit Dóminus: & vocábitur nomen ejus. * Admirábilis, Deus, Fortis. ℣. Factus est principátus ejus, super húmerum ejus, & vocábitur nomen ejus. Admirábilis, Deus, Fortis. Glória Patri. Ecce Virgo.

℣. Domne jube benedícere. *Bened.* Grátia Spíritus sancti illúminet sensus & corda nostra. ℟. Amen.

Lectio vj.

ET sicut multi sunt sollíciti de carnálibus divítiis, & de pretiósis vestiméntis, ut honorabilióres céteris videántur in illa die; ita vos sollicitióres estóte de spirituálibus divítiis & vestiméntis: quia sicut ánima mélior est carne, ita delíciæ spiritáles melióres sunt quàm carnáles. Et multò méliùs est ánimam ornáre virtútibus: quàm corpus pretiósis induére véstibus. Hæc admonítio fratres idcircò ad vos facta est, ut qui boni sunt per hanc sint melióres; & qui malos se esse récolunt, certíssimè convertántur: ut páriter in die Domínicæ Nativitátis lætári spiritáliter mereántur. Tu autem.

℟. Missus est Gábriël Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph, nuncíans ei verbum, & turbáta est in sermóne ejus; ne tímeas María, invenísti grátiam apud Dóminum: * Ecce concípies & páries & vocábitur Altíssimi Filius. ℣. Ave María grátia plena, Dóminus tecum. Ecce concípies. Glória Patri. Missus est.

In tertio Nocturno.

Aña. Allelúia. *Psalmus.* Cæli enárrant glóriam Dei, *cum reliquis ut in Psalterio.* 16.

Deprecatio. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domne jube benedícere. *Benedictio.* Redémptor humáni géneris nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Sic semper præponitur Léctio sancti Evangélij, *ante primam Lectionem de Homilia.*

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Erunt signa in sole, & luna & stellis, & in terris pressúra géntium; præ confusióne sónitus maris, & fluctuum: aresc éntibus hóminibus præ timóre, & expectatióne quæ supervéniet univérso orbi. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ.

Homil. 1. in Evangelia.

DOminus ac Redémptor noster parátos nos invenire desíderans; senescéntem mũdum quæ mala sequántur denúntiat: ut nos ab ejus amóre compéscat. Appropinquántem ejus términum quantæ percussiónes prævéniant, innotéscit; ut si Deum metuére in tranquillitáte nolúmus: vicínum ejus judícium vel percussiónibus attríti timeámus.

℟. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum: Spíritus sanctus supervéniet in te; & virtus Altíssimi obumbrábit tibi: * Quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Quod enim ex te nascétur. Glória Patri. Ave María. ℣. Domne jube benedícere. *Benedictio.* Unigénitus Dei Fílius nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Lectio viij. Post pauca.

VIrtútes cælórum movebúntur. Quid étenim Dóminus virtútes cælórum; nisi Angelos, Archángelos, Thronos, Dominatiónes & Principátus appéllat? quæ in advéntu

advéntu distrícti júdicis, nostris tunc óculis visibíliter apparébunt; ut districtè tunc à nobis éxigant hoc: quod modò invisíbilis cónditor æquanímiter portat. Ubi & súbditur; & tunc vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus: cum potestáte magna & majestáte. Ac si apertè diceréture; in potestáte & majestáte visúri sunt: quem in humilitáte pósitum audíre noluérunt. Ut virtútem ejus tantò tunc distríctiùs séntiant; quantò nunc cervícem cordis: ad ejus patiéntiam non inclínant.

℟. Salvatórem expectámus Dóminum Jesum Christum, * Qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. ℣. Tóllite portas príncipes vestras & elevamíni portæ æternáles, & introíbit rex glóriæ. Qui reformábit. Glória Patri. Salvatórem.

℣. Domne jube benedícere. *Bened.* Ad supernórum cívium societátem perdúcat nos omnípotens & misericors Dñs. ℟. Amen.

Prædicto ordine dicuntur Deprecationes & Benedictiones, quandocumque fit Officium novem Lectionum. Quando verò fit trium Lectionum, Deprecatio sumitur semper è primo Nocturno; sed Benedictiones primi Nocturni, dicuntur secunda & quinta Feria: Secundi Nocturni, Tertia & Sexta Feria: Tertii Nocturni, quarta Feria & Sabbato, omissâ ultima Benedictione, cujus loco dicitur. Trínitas Sancta nos benedícat, & ab omni malo defendat. ℟. Amen.

Lectio ix.

SEd quia hæc contra réprobos dicta sunt: mox ad electórũ cõsolatiónem verba vertúntur. Nam & súbditur; His autem fíeri incipiéntibus, respícite & leváte cápita vestra: quóniam appropínquat redémptio vestra. Ac si apérte Véritas eléctos suos admóneat, dicens: Cùm plagæ mundi crebréscunt; cùm terror judícii virtútibus commótis osténditur; leváte cápita: id est, exhilaráte corda. Quia dum finitur

mundus, cujus amíci non estis? propè fit redémptio quam quæsístis. Qui ergo Deum díligunt, ex mundi fine gaudére & hilaréſcere jubéntur; quia vidélicet eum, quem amant, mox invéniunt: dum transit is, quem non amavérunt.

℟. Confortámini manus fatigátæ, & génua debília roborámini, qui pusíllo ánimo estis convaléſcite, ecce Deus vester véniet; * Et salvábit vos. ℣. Ecce Deus vester ultiónem addúcet, retributiónis Deus ipse véniet. Et salvábit vos. Glória Patri. Confortámini.

Ab hac Dominica usque ad Nativitatem Domini & à Septuagesima usque ad Pascha. Te Deum *non dicitur, nisi in Festis duplicibus: Quando autem dicitur, tunc in fine ultimi Responsorii,* Glória Patri. *cum ultima repetitione omittitur.*

AD LAUDES,

Antiphona. In illa die stillábunt montes dulcédinem, & colles fluent lac & mel, allelúia.

Psalmus. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica ut in Psalt.* 20.

Antiph. Jocondáre fília Sion, exúlta satis fília Jerúsalem, allelúia.

Aña. Ecce Dóminus véniet, & omnes Sancti ejus cum eo; & erit in die illa lux magna, allelúia.

Aña. Omnes sitiéntes veníte ad aquas, quærite Dóminum, dum inveníri potest, allelúia.

Aña. Super te Jerúsalem oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur.

Capitulum. Rom. 13.

HOra est jam nos de somno súrgere; nunc enim própior est nostra salus: quàm cùm credídimus.

℣. Emítte agnum Dómine dominatórem terræ.

℟. De petra desérti, ad montem fíliæ Sion.

Ad Benedictus, Antiph. Leváte cápita vestra, quia appropínquat redémptio vestra. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

EXcita, quæsumus Dómine, potentiam tuã, & veni; ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, te mereámur protegénte erípi: te libe-

liberánte salvári. Qui vivis & regnas cum Deo Patre; in unitáte Spíritus sancti Deus: Per ómnia sæcula sæculórum.

℞. Amen.

AD PRIMAM.

Psalmus. Deus in nómine tuo *cum reliquis Psalmis & Precibus, ut in Psalterio.* 25.

AD TERTIAM.

Capitulum. Hora est jam nos. *ut suprà in Laudibus.*

℞. Veni ad liberándum nos, Dómine Deus virtútum. *Et repetitur.* Veni ad liberándum nos, Dómine Deus virtútum. ℣. Et osténde fáciem tuã, & salvi érimus. Veni ad liberándum nos Dómine Deus virtútum. ℣. Glória Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Veni ad liberándum nos, Dómine Deus virtútum. ℣. Timébunt gentes nomen tuum Dómine. ℞. Et omnes reges terræ glóriam tuam.

Sic repetuntur Responsoria Horarum, præterquàm à Dominica prima Quadragesimæ usque ad Pascha.

Orémus. *Oratio.*

Excita, Dómine poténtiam tuam, & veni; & quod Ecclésiæ tuæ promisísti: usque in finem sæculi cleménter operáre. Qui vivis.

Hæc Oratio dicitur ad Tertiam, qualibet Dominica Adventus.

AD SEXTAM.

Capitulum. Rom. 13.

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit; abjiciámus ergò ópera tenebrárum: & induámur arma lucis.

℞. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. Osténde. ℣. Et salutáre tuum da nobis. Osténde. Glória Patri. Osténde. ℣. Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui. ℞. Vísita nos in salutári tuo.

Orémus. *Oratio.*

Consciéntias nostras, quæsumus, Dómine visitándo purífica; ut véniens Jesus Christus fílius tuus, Dóminus noster: parátam sibi in nobis invéniat mansiónem. Qui tecum vivit.

AD NONAM.

Capitulum.

Rom. 13.

SIcut in die honéstè ambulémus, non in comessatiónibus & ebrietátibus; non in cubílibus & impudicítiis; non in contentióne & æmulatióne: sed induímini Dóminum nostrum Jesum Christum. ℞. Super te Jerúsalem oriétur Dóminus. Super te. ℣. Et glória ejus in te vidébitur. Super te. Glória Patri. Super te. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℞. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Orémus. *Oratio.*

PRopè esto Dómine, ómnibus expectántibus te in veritáte; ut in advéntu fílii tui Dómini nostri: plácitis tibi áctibus præsentémur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Vesperas, Antiphona & Psalmus. Dixit Dóminus. *cum reliquis de Psalterio.* 148.

Capitulum. Hora est. *ut suprà in Laudibus.* ℣. Roráte cæli désuper, & nubes pluant justum. ℞. Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem.

Ad Magnificat, Aña. Ne tímeas María, invenísti grátiam apud Deum, Ecce concípies & páries fílium, allelúia. *Duplicatur.*

Oratio. Excita quæsumus Dómine. *ut suprà in Laudibus.*

Ad primam & secundam Processionem Responsorium & Oratio, ut suprà in j. Vesperis.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem ventúrum Dóminum; Veníte adorémus. *Aña. Psalm.* Dóminus illuminátio mea. *cum reliquis de Psalt.* 55.

Post ℣. & Pater noster. *Deprecatio & Benedictiones in hac & sequentibus Feriis dicuntur ordine superiùs descripto.*

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

LAvámini, mundi estóte, auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis; quiéscite ágere pervérsè: díscite benefácere. Quærite judícium, subveníte oppréssso; judicáte pupíllo: deféndite víduam. Et veníte, & arguíte me: dicit Dóminus. Si fúerint peccáta vestra ut cóccinum: quasi

quasi nix dealbabúntur ; & si fúerint rubra quasi vermículus : velut lana alba erunt.

℟. Aspiciébam in visu noctis, & ecce cum núbibus cæli, Fílius hóminis veniébat, & datum est ei, regnum & honor : * Et omnes pópuli tribus & linguæ sérvient ei. ℣. Potéstas ejus potéstas ætérna quæ non auferétur, & regnum ejus quod non corrumpétur. Et omnes.

Lectio ij.

SI volúeritis, & audiéritis me : bona terræ comedétis. Quod si noluéritis, & me ad iracúndiam provocavéritis; gládius devorábit vos : quia os Dómini locútum est. Quómodo facta est méretrix civitas fidélis, plena judícii ? justítia habitávit in ea : nunc autem homicídæ. Argéntum tuũ versum est in Scóriam : Vinum tuum mixtum est aqua. Príncipes tui infidéles, sócii furum ; omnes díligunt múnera : sequuntur retributiónes. Pupíllo non judícant : & causa víduæ non ingréditur ad illos.

℟. Audíte Verbum Dómini gentes & annunciáte illud in finibus terræ. * Et in ínsulis quæ procul sunt, dicíte ; Salvátor noster advéniet. ℣. Annunciáte inter Gentes glóriam ejus : in ómnibus pópulis mirabília ejus. Et in ínsulis.

Lectio iij.

PRopter hoc, ait Dóminus Deus exercítuum fortis Israël : Heu, consolábor super hóstibus meis. Et convértam manum meam ad te, & éxcoquam ad purum Scóriam tuam : & áuferam omne stannum tuum. Et restítuam judíces tuos ut fuérunt priùs ; & consiliários tuos sicut antíquitùs : post hæc vocáberis cívitas justi, urbs fidélis. Sion in judício redimétur, & redúcent eam in justítia ; & cónteret sceléstos, & peccatóres simul : & qui dereliquérunt Dóminum, consuméntur.

℟. Obsecro Dómine mitte quem missúrus es : vide afflictióné pópuli tui : * Sicut locútus es veni, & líbera nos. ℣. Qui regis Israël

Iſraël intende: qui dedúcis velut ovem Joſeph. Sicut locutus es. Gloria Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto. Sicut locútus es.

Ad Laudes, Antiphona & Pſalmus. Miſerére. *cum reliquis de Pſalt. 69.*

Capitulum. Iſaíæ 7.

Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuël: búryrum & mel cómedet; ut ſciat reprobáre malum: & elígere bonum.

℣. Emítte agnum Dómine dominatórem terræ.

℟. De petra desérti ad montem fíliæ Sion.

Ad Benedictus, Aña. Ecce mitto Angelum meum, qui præparábit viam tuā ante fáciem meam.

Deinde dicuntur magnæ Preces, ut in Pſalt. 73.

Oratio. Excita quæſumus. *ut ſuprà* 190.

Oratio Dominicæ prætéritæ ſemper dicitur per Hebdomadam in Feriali Officio, quando propria non aſſignatur.

Statim poſt Orationem dicitur Pſalmus. Levávi. *ut in Pſalterio poſt Laudes Feriæ ſecundæ. 72. & dicitur in Feriis Adventus uſque ad decimum ſeptimum Decembris excluſivè.*

Deinde dicuntur Litaniæ, tempore Adventûs in Feriali Officio, & infra Octavas, omni ſecunda, quarta & ſexta Feria, uſque ad diem 17. Decembris excluſivè, prout habentur in fine Breviarii. Et tunc iis ſemper præmittitur Aña, quæ ſecundùm Feriam occurrit.

Hodiè ante primas Litanias dicitur Antiphona. Pópulus Sion, convertímini ad Dóminum Deum veſtrum, & dícite ei: Potens es Dómine dimíttere peccáta noſtra, ut non invéniant nos iniquitátes noſtræ, Deus noſter, allelúia.

Ad Tertiam. Capitulum. Jerémiæ 23.

In diébus illis ſalvábitur Juda, & Iſraël habitábit confidénter; & hoc eſt nomen quod vocábunt eum: Dóminus juſtus noſter.

℟. Veni ad liberándum nos Dómine Deus virtútum. Veni. ℣. Et oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus.

mus. Veni. Glória Patri. Veni. ℣. Timébunt gentes nomen tuum Dómine. ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam.

Orémus. *Oratio.*

COncéde, quæsumus Omnípotens Deus, ut magnę festivitátis ventúra solémnia próspero celebrémus evéntu; paritérque reddámur & inténti cæléstibus disciplínis: & de nostris tempóribus lætióres. Per Dóminum.

Ad Sextam. Capitulum. Isaíæ 2.

VEníte ascendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob, & docébit nos vias suas, & ambulábimus in sémitis ejus; quia de Sion exíbit lex: & verbum Dómini de Jerúsalem.

℟. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. Osténde. ℣. Et salutáre tuum da nobis. Osténde. Glória Patri. Osténde. ℣. Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Orémus. *Oratio.*

MEntes nostras quæsumus Dómine, lúmine tuæ visitatiónis illústra; ut esse te largiénte mereámur, & inter próspera húmiles: & inter advérsa secúri. Qui vivis & regnas.

Ad Nonam. Capit. Isa. 16.

EMítte agnum Dómine, dominatórem terræ; de petra desérti: ad montem fíliæ Sion.

℟. Super te Jerúsalem oriétur Dóminus. Super te. ℣. Et glória ejus in te vidébitur. Super te. Glória Patri. Super te. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Orémus. *Oratio.*

PReces pópuli tui quæsumus Dómine, cleménter exáudi; ut qui de advéntu Unigéniti fílii tui secúndùm carnem, lætántur: in secúndo cum vénerit in majestáte sua, præmium vitæ ætérnæ percípiant. Per eúmdem.

Ad vesperas, *Aña.* Inclinávit Dóminus. *Psal.* Diléxi. *cum reliquis de Psalterio.* 152.

Capitulum. Isaiæ 11.

EGrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce

radice ejus ascéndet ; & requiéscet super eum Spíritus Dómini, Spíritus sapiéntiæ & intelléctus ; Spíritus consílij & fortitúdinis ; Spíritus sciéntiæ & pietátis : & replébit eum Spíritus timóris Dómini.

℣. Roráte cæli désuper, & nubes pluant justum.

℟. Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem.

Ad Magnificat, Aña. Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium, & fluent ad eum omnes gentes, allelúia.

Deinde dicuntur magnæ Preces ut in Psalt. 154.

Ad Completorium, Hymnus Ferialis, ut in Psalterio. 174.

Capitula prædicta & Orationes dicuntur in Feriali Officio usque ad Vigiliam Nativitatis Domini exclusivè.

FERIA TERTIA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 2.

VErbum, quod vidit Isaías, fílius Amos : super Judam & Jerúsalem. Et erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium ; & elevábitur super colles : & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi, & dicent. Veníte, & ascendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob : & docébit nos vias suas, & ambulábimus in sémitis ejus ; quia de Sion exíbit lex : & verbum Dómini de Jerúsalem.

℟. Læténtur cœli & exúltet terra ; jubiláte montes laudem : quia Dóminus noster véniet ; * Et páuperum suórum miserébitur. ℣. Ecce Dominátor Dóminus, cum virtúte véniet. Et páuperum.

Lectio ij.

ET judicábit gentes, & árguet pópulos multos ; & conflábunt gládios suos in vómeres : & lánceas suas in falces. Non levábit gens contra gentem gládium : nec exercebúntur ultrà ad prælium. Domus Jacob veníte : & ambulémus in lúmine Dómini. Projecísti enim pópulum tuum, domum Jacob : quia repléti sunt ut olim ; & áugures habuérunt ut Philísthiim :

&

& púeris aliénis adhæſérunt.

℟. Ecce Virgo concípiet & páriet fílium dicit Dóminus, & vocábitur nomen ejus: * Admirabílis, Deus, Fortis. ℣. Factus eſt principátus ejus ſuper húmerum ejus; & vocábitur nomen ejus. Admirabílis.

Lectio iij.

QUia dies Dómini exercítuum, ſuper omnem ſupérbum, & excélſum; & ſuper omnem arrogántem: & humiliábitur. Et ſuper omnes cedros Líbani ſublímes & eréctas: & ſuper omnes quercus Baſan. Et ſuper omnes montes excélſos: & ſuper omnes colles elevátos. Et ſuper omnem turrim excélſam; & ſuper omnem murum munítum: & ſuper omnes naves Tharſis, & ſuper omne quod viſu pulchrum eſt. Et incurvábitur ſublímitas hóminum, & humiliábitur altitúdo virórum; Et elevábitur Dóminus ſolus in die illa: & Idóla pénitùs conteréntur.

℟. Miſſus eſt Gábriël Angelus ad Maríam Vírginem deſponsátam Joſeph, núntians ei verbum, & turbáta eſt in ſermóne ejus: ne tímeas María, inveníſti grátiam apud Dóminum: * Ecce concípies & páries, & vocábitur Altíſſimi fílius. ℣. Ave María grátia plena, Dóminus tecum. Ecce concípies. Glória Patri. Ecce concípies.

Ad Benedictus, Aña. Ecce virgo concípiet, & páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuël.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Ad Magnificat, Aña. Ecce apparebit Dóminus, & non mentiétur, ſi moram fécerit expécta eum, quia veniet & non tardábit, allelúia.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

FERIA QUARTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 3.

ECce enim dominátor Dóminus exercítuum áuferet à Jerúſalem & à Juda válidum & fortem; omne robur panis, & omne robur aquæ; fortem, & virum bellatórem, júdicem

dicem & Prophétam, & aríolum, & senem: príncipem super quinquagínta, & honorábilem vultu: & consiliárium, & sapiéntem de architéctis: & prudéntem elóquii mystici. Et dabo púeros príncipes eórum: & effemináti dominabúntur eis.

℟. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum: Spíritus sanctus supervéniet in te; & virtus Altíssimi obumbrábit tibi: * Quod enim ex te nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Quod enim ex te nascétur.

Lectio ij.

Dicite justo quóniam bene: quóniam fructum adinventiónum suárum cómedet. Væ ímpio in malú: retribútio enim mánuum ejus fiet ei. Pópulum meum exactóres sui spoliavérunt: & mulíeres dominátæ sunt eis. Pópule meus, qui te beátum dicunt; ipsi te decípiunt: & viam gréssuum tuórum díssipant. Stat ad judicándum Dóminus: & stat ad judicádos pópulos.

℟. Salvatórem expectámus Dóminum Jesum Christum, * Qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. ℣. Tóllite portas príncipes vestras & elevámini portæ æternáles, & introíbit rex glóriæ. Qui reformábit.

Lectio iij.

Dominus ad judícium véniet cum seníbus pópuli sui, & princípibus ejus: vos enim depásti estis víneam, & rapína páuperis in domo vestra. Quare attéritis pópulum meum; & fácies páuperum commólitis, dicit Dóminus Deus exercítuum? Et dixit Dóminus, pro eo quod elevátæ sunt fíliæ Sion, & ambulavérunt exténto collo; & nútibus oculórum ibant; & plaudébant, ambulábant pédibus suis, & compósito gradu incedébant: decalvábit Dóminus vérticem filiárum Sion, & Dóminus crinem eárum nudábit.

℟. Confortámini manus fatigátæ, & génua debília roborámini, qui pusíllo ánimo estis convaléscite,

lésscite, ecce Deus vester véniet. * Et salvábit vos. ℣. Ecce Deus vester ultiónem addúcet, retributiónis Deus ipse véniet. Et salvábit vos. Glória Patri. Et salvábit.

Ad Benedictus, Aña. Custodíte judícium, & fácite justítiam, quia juxta est salus mea ut véniat, & justítia mea ut revelétur: Beátus vir qui facit hoc, & fílius hóminis qui apprehéndit illud, dicit Dóminus.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Hodie ante secundas Litanias dicitur Aña. Ego sum Deus Patrum vestrórum, dicit Dóminus: videns vidi afflictiónem pópuli mei, & gémitum ejus audívi, & descéndi liberáre eos, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Veni Dómine, & noli tardáre, reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

FERIA QUINTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 4.

ET apprehéndent septem mulieres virum unum in die illa, dicéntes: Panem nostrum comedémus, & vestiméntis nostris operiémur: tantúmmodò invocétur nomen tuum super nos, aufer oppróbrium nostrum. In die illa erit germen Dómini in magnificéntia, & glória; & fructus terræ sublímis: & exultátio his, qui salváti fúerint de Israël. Et erit omnis qui relíctus fúerit in Sion, & resíduus in Jerúsalem: sanctus vocábitur; omnis qui scriptus est in vita: in Jerúsalem.

℟. Aspiciébam. *ut suprà in Feria ij.* 193.

Lectio ij. Cap. 5.

CAntábo dilécto meo; cánticum patruélis mei: víneæ suæ. Vínea facta est dilécto meo in cornu: fílio ólei. Et sepívit eam, & lápides elégit ex illa, & plantávit eam eléctam; & ædificávit turrim in medio ejus, & torcúlar extrúxit in ea: & expectávit ut fáceret uvas, & fecit labrúscas. Nunc ergò habitatóres Jerúsalem, & viri Juda: judicáte inter me, & víneam meam. Quid est

quod

quod débui ultrà fácere víneæ meæ, & non feci ei? an quòd expectávi ut fáceret uvas? & fecit labrúscas.

℟. Audíte verbum. *ut suprà in Fer. ij. 193.*

Lectio iij.

ET nunc osténdam vobis quid ego fáciam víneæ meæ; áuferam sepem ejus, & erit in direptiónem: díruam macériam ejus, & erit inconculcatiónem. Et ponam eam desértam; non putábitur, & non fodiétur, & ascéndent vepres & spinæ: & núbibus, mandábo ne pluant super eam imbré. Vínea enim Dñi exercítuum domus Israël est, & vir Juda germen ejus delectábile; & expectávi ut fáceret judícium, & ecce iníquitas: & justítiam, & ecce clamor.

℟. Obsecro Dómine. *ut suprà in Fer. ij. 193.*

Ad Benedictus, Antiph. Quærite Dóminum dum invéniri potest, invocáte eum dum propè est, allel.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Ad Magnificat, Antiph. Veníte ascendámus ad montem Dómini, quia de Sion exíbit lex, & verbum Dómini de Jerúsalé.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

FERIA SEXTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 6.

IN anno, quo mórtuus est Rex Ozías, vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & ea quæ sub ipso erant, replébant templum. Séraphim stabant super illud; sex alæ uni, & sex alæ altéri: duábus velábant fáciem ejus, & duábus velábant pedes ejus, & duábus volábant. Et clamábant alter ad álterum, & dicébant; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus exercítuum: plena est omnis terra glória ejus.

℟. Lætténtur cæli. *ut suprà in Fer. iij. 196.*

Lectio ij.

ET commóta sunt superliminária cárdinum à voce clamántis: & domus repléta est fumo. Et dixi. Væ mihi quia tácui; quia vir pollútus lábiis ego sum, & in médio pópuli pollúta lábia habéntis

béntis ego hábito: & regem Dóminum exercítuum vidi óculis meis. Et volávit ad me unus de Séraphim, & in manu ejus cálculus: quem fórcipe túlerat de altári. Et tétigit os meum, & dixit. Ecce tétigit hoc lábia tua; & auferétur iníquitas tua: & peccátum tuum mundábitur.

℟. Ecce Virgo. *ut suprà in Fer. iij.* 197.

Lectio iij.

ET audívi vocem Dómini dicéntis; Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi. Ecce ego mitte me. Et dixit. Vade, & dices pópulo huic; Audíte audiéntes, & nolíte intellígere: & vidéte visiónem, & nolíte cognóscere. Excœca cor pópuli hujus, & aures ejus ággrava; & óculos ejus claude: ne fortè vídeat óculis suis, & áuribus suis áudiat; & corde suo intélligat: & convertátur, & sanem eum.

℟. Missus est Gábriël. *ut suprà in Fer. iij.* 197.

Ad Benedictus, Antiph. De cælo véniet dominátor Dóminus, & in manu ejus honor & impérium.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Hodiè ante tertias Litanias dicitur, Antiph. Dómine Deus noster, qui cum pátribus nostris mirabília magna fecísti: & nostris glorificáre tempóribus, qui misísti manum tuam de alto, & liberásti eos, allelúia.

Ad Magnificat, Antiph. Propter Sion non tacébo, donec egrediátur ut splendor justus ejus.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

SABBATO.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 7.

ET factum est in diébus Achaz fílii Jóathan, fílii Oz íæ regis Juda: ascéndit Rasin rex Syriæ; & Phácee fílius Romelíæ rex Israël, in Jerúsalem ad præliándum contra eam: & non potuérunt debelláre eam. Et nunciavérunt dómui David, dicéntes; Requiévit Syria super Ephraïm, & commótum est cor ejus, & cor pópuli ejus: sicut movéntur ligna silvárum à fácie venti. Et dixit Dóminus ad

ad Isaíam : Egrédere in occúrsum Achaz tu, & qui derelíctus est Jasub fílius tuus; ad extrémum aquædúctus piscínæ superióris in via agri fullónis.

℟. Ave María. *ut suprà in Fer.iv.* 198.

Lectio ij.

ET dices ad eum. Vide ut síleas : noli timére, & cor tuum ne formídet à duábus caudis titiónum fumigántium istórum; in ira furóris Rasin regis Syriæ, & fílii Romelíæ : eó quòd consílium iníerit contra te Syria in malum Ephraïm, & fílius Romelíæ, dicéntes. Ascendámus ad Judam; & suscitémus eum ad nos : & ponámus regem in médio ejus fílium Tábeel.

℟. Salvatórem. *ut suprà in Fer.iv.* 198.

Lectio iij.

ET adjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens. Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni; sive in excélsum suprà : Et dixit Achaz, Non petam, & non tentábo Dominum. Et dixit. Audíte ergo domus David. Numquid parùm vobis est moléstos esse homínibus; quia moléſti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet, & páriet fílium; & vocábitur nomen ejus Emmánuël : Bútyrum & mel cómedet; ut sciat reprobáre malum : & eligére bonum.

℟. Confortámini. *ut suprà in Fer.iv.* 198.

Ad Benedictus, Antiph. Exúlta satis fília Sion, quia ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvátor, allelúia.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Ad Vesperas, Capitulum. Rom. 15.

QUæcúmque scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt : ut per patiéntiam & consolatiónem scripturárum, spem habeámus.

℣. Roráte cæli désuper, & nubes pluant justum.

℟. Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem.

Ad Magnificat, Antiph. Vox clamántis in desérto, dirígite viam Dómini.

ni ; ficut dixit Ifaías Prophéta.

Orémus. *Oratio.*

EXcita Dómine corda noftra ad præparándas unigéniti tui vias ; ut per ejus advéntum ? purificátis tibi méntibus, servíre mereámur. Qui tecum vivit.

Ad primam Proceffionem. ℟. Jerúfalem citò véniet falus tua, quare mœróre consúmeris ? Numquid confiliárius non eft tibi, quia innovávit te dolor : * Salvábo te, & liberábo te, noli timére.

Oratio. Excita Dómine poténtiam. *ut fuprà in Sabb. Dom. prima Advent.* 181.

Ad fecundam Proceffionem. ℟. Ecce Dóminus véniet & omnes fancti ejus cum eo, & erit in die illa lux magna ; & éxibunt de Jerúfalem ficut aqua munda. * Et regnábit Dóminus in ætérnum fuper omnes Gentes.

Oratio. Confciéntias. *ut fup. in Sabb. Dom. prima Adv.* 182.

DOMINICA II. *Adventus.*

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem ventúrum Dóminum, Veníte adorémus. *Pfal.* Veníte. 2.

In primo Nocturno.

De Ifaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 11.

ET egrediétur virga de radíce Jeffe ? & flos de radice ejus afcéndet. Et requiéfcet fuper eum Spíritus Dómini ; Spíritus fapiéntiæ & intelléctus ; Spíritus consílii & fortitúdinis ; Spíritus fciéntiæ & pietátis ? & replébit eum Spíritus timóris Dómini. Non fecúndùm vifiónem oculórum judicábit, neque fecúndùm audítum áurium árguet ; fed judicábit in juftítia páuperes ? & árguet in æquitáte, pro manfuétis terræ.

℟. Jerúfalem, citò véniet falus tua, quare mæróre consúmeris ? Numquid confiliárius non eft tibi, quia innovávit te dolor : * Salvábo te, & liberábo te, noli timére. ℣. Ifraël fi me audiéris, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum: ego enim Dóminus. Salvábo te, & liberábo te. *Non duplicantur Refponf.*

Lectio

Lectio ij

ET percútiet terram virga oris sui ; & spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus : & fides cinctórium renum ejus. Habitábit lupus cum agno ; & pardus cum hædo accubábit ; vítulus, & leo, & ovis, simul morabúntur : & puer párvulus minábit eos. Vítulus & ursus pascéntur ; simul requiéscent cátuli eórum : & leo quasi bos cómedet páleas.

℞. Ecce Dóminus véniet, & omnes sancti ejus cum eo : & erit in die illa lux magna : & exíbunt de Jerúsalem sicut aqua múnda : * Et regnábit Dóminus in ætérnum, super omnes gentes ℣. Dóminus de Sina venit, & de Seïr ortus est nobis : appáruit de monte Pharan, & cum eo Sanctórum míllia. Et regnábit.

Lectio iij.

ET delectábitur infans ab úbere ; super forámine áspidis : & in cavérna réguli, qui ablactátus fúerit, manum suam mittet. Non nocébunt, & non occídent in univérso mónte sancto meo : quia repléta est terra sciéntia Dómini, sicut aquæ maris operiéntes. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populórum ; ipsum gentes deprecabúntur : & erit sepúlchrum ejus gloriósum.

℞. Jerúsalem surge, & sta in excélso, & vide : * Jocunditátem, quæ véniet tibi Deo tuo. ℣. Leva in circúitu óculos tuos, & contempláre. Jocunditátem. Glória Patri. Jocunditátem.

In secundo Nocturno.

De Expositióne sancti Hierónymi Presbyteri in Isaíam Prophétam, *lib.4. in cap.11. Isaiæ.*

Lectio iv.

ET egrediétur virga de radíce Jesse. Usque ad princípium visiónis, vel póderis Babylónis ; quod vidit Isaías filius Amos : omnis hæc prophétia de Christo est. Quam per partes vólumus explanáre ; ne simul propósita atque disserta lectóris confúndat memóriam. Virgam & florem de radíce Jesse ipsum Dóminum

num Judæi interpretántur : quòd scílicet in virgâ regnántis poténtia; in flore, pulchritúdo monstrétur.

℟. Cívitas Jerúsalem noli flere, quóniam dóluit Dóminus super te, * Et áuferet à te omnem tribulatiónem. ℣. Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, & bráchium ejus dominábitur. Et áuferet.

Lectio v.

NOs autem virgam de radíce Jesse, Sanctam Maríam Vírginem intelligámus; quæ nullum hábuit sibi frúticem cohæréntem: de quâ suprà légimus. Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium. Et florem, Dóminum Salvatórem: qui dicit in Cántico Canticórum: ego flos campi, & lílium convállium.

℟. Sicut mater consolátur filios suos, ita consolábor vos, dicit Dóminus: & de Jerúsalem civitáte, quã elégi, véniet vobis auxílium: * Et vidébitis, & gaudébit cor vestrum. ℣. Deus à Líbano véniet, & sanctus de monte umbróso & condénso. Et vidébitis.

Lectio vj.

SUper hunc ígitur florem, qui de trunco & radíce Jesse per Maríam Vírginem repéntè consúrget, requiéscet Spíritus Dómini: quia in ipso complácuit omnem plenitúdinem divinitátis habitáre corporáliter: nequáquam per partes, ut in céteris sanctis: sed juxta Evangélium eórum, quod Hebræo sermóne conscríptum legunt Nazaræi: Descéndet super eum omnis fons Spíritus sancti. Dóminus autem Spíritus est: & ubi Spíritus Dómini, ibi libértas.

℟. Radix Jesse, & qui exúrget judicáre gentes in eum gentes sperábunt. * Et erit nomen ejus benedíctum in sæcula. ℣. Et benedicéntur in eo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificábunt eum. Et erit nomen. Glória Patri. Et erit.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore: cum audísset Joánnes in vín-

culis ópera Christi, mittens duos ex discípulis suis, ait illi: Tu es qui ventúrus es, an álium expectámus? Et respondens Jesus ait illis. Eúntes renunciáte Joánni quæ audístis, & vidístis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ.

Homil. 6. in Evangel. post princ.

VIsis tot signis, tantísque virtútibus non scandalizári quisquam pótuit, sed admirári. Sed infidélium mens grave in illo scándalum pértulit cum eum post tot mirácula, moriéntem vidit. Unde & Paulus dicit. Nos autem prædicámus Christum crucifíxum; Judæis quidem scándalum: géntibus autem stultítiam. Stultum quippe homínibus visum est, ut pro homínibus auctor vitæ morerétur; & inde contra eum homo scándalum sumpsit Unde ei ámpliùs débitor fíeri débuit. Nam tantò, Deus ab homínibus dígniùs honorándus est quantò pro homínibus & indígna suscépit.

℞. Ecce véniet Dóminus, protéctor noster, sanctus Israël, * Corónam regni habens in cápite suo. ℣. Ecce dominátor Dóminus cum virtúte véniet. Corónam regni.

Lectio viij.

QUid est ergo dícere: Beátus qui non fúerit scandalizátus in me, nisi apérta voce abjectiónem mortis suæ, humilitatémque signáre? Ac si paténter dicat: Mira quidem fácio sed abjécta pérpeti non dedígnor. Quia ergo moriéndo te súbsequor; cavéndum valdè est homínibus, ne in me mortem despíciant qui signa venerántur.

℞. Jerúsalem plantábis víneas in móntibus tuis, & exultábis: Quia dies Dómini véniet: Surge Sion convértere ad Deum tuum: gaude & lætáre Jacob, * Quia de médio tui Salvátor tuus véniet. ℣. Et tu exultábis in Dómino, in sancto Israël lætáberis. Quia de médio.

Lectio ix.

SEd dimíssis Joánnis discípulis; quid de eódem Joánne turbis dicat audiámus.

dimus. Quid exíſtis in desértum vidére ? Arúndinem vento agitátam ? Quod vidélicet non aſſeréndo ? ſed negándo intulit. Arúndinem quippe mox ut aura contígerit ? in partem álteram infléctit. Et quid per arúndinem ; niſi carnális ánimus deſignátur ? Qui mox ut favóre, vel detractióne tángitur ? ſtatim in partem quámlibet inclinátur.

℟. Germinavérunt campi erémi germen odóris Iſraël : * Quia ecce Deus noſter cum virtúte véniet, & ſplèndor ejus cum eo. ℣. Revelábitur glória Dómini, & vidébit omnis caro ſalutáre Dei noſtri. Quia ecce Deus. Glória Patri. Quia ecce.

A D L A U D E S.

Aña. Ecce in núbibus cæli Dóminus véniet in poteſtáte magna, allelúia. *Pſalm.* Dóminus regnávit. *cum reliquis.* 20.

Aña. Urbs fortitúdinis noſtræ Sion, Salvátor ponétur in ea murus & antemurále : aperíte portas, quia nobíſcum Deus, allelúia. *Aña.* Ecce apparébit Dóminus, & non mentiétur : Si moram fécerit, expécta eum, quia véniet, & non tardábit, allelúia. *Aña.* Montes & colles cantábunt coram Deo laudem ; & ómnia ligna ſylvárum plaudent mánibus, quóniam véniet Dóminus dominátor in regnum ætérnum, allelúia, allel. *Aña.* Expectábo Dóminum Salvatórem meum, & præſtolábor eum, allelúia, allel.

Capitulum. Rom. 15.

QUæcúmque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrínam ſcripta ſunt ; ut per patiéntiam, & conſolatiónem ſcripturárum ? ſpem habeámus

℣. Emítte Agnum Dómine dominatórem terræ. ℟. De petra desérti ad montem fíliæ Sion.

Ad Benedictus, Aña. Joánnes autem cùm audíſſet in vínculis ópera Chriſti, mittens duos de diſcípulis ſuis, ait illi : Tu es qui ventúrus es an álium expectámus ?

Orémus. *Oratio.*

EXcita Dómine corda noſtra ad præparándas unigéniti tui vias ; ut per ejus advéntum ? purificá-

tis tibi méntibus servíre mereámur. Qui tecum vivit & regnat.

Ad Tertiam, Capitulum. Quæcúmque. *ut suprà.*

℟. Veni ad liberándum nos, Dómine Deus virtútum. Veni. ℣. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. Veni. Glória Patri. Veni. ℣. Timébunt gentes nomen tuum Dómine. ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam.

Orémus. *Oratio.*

EXcita Dómine poténtiam tuam, & veni; & quod Ecclésiæ tuæ promisísti ſ usque in finem sæculi cleménter operáre. Qui vivis.

Ad Sextam, Capitulum. Rom. 15.

DEus autem patiéntiæ & solátii; det vobis idípsum sápere in altérutrum secúndùm Jesum Christum ſ ut unánimes uno ore honorificétis Deum & Patrem Dómini nostri Jesu Christi.

℟. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℣. Et salutáre tuum da nobis. Gloria Patri. ℣. Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Orémus. *Oratio.*

COnsciéntias nostras, quæsumus Dómine, visitándo purífica; ut véniens Jesus Christus filius tuus, Dóminus noster ſ parátam sibi in nobis invéniat mansiónem. Qui tecum vivit.

Ad Nonam, Capitulum. Rom. 15.

DEus autem spei répleat vos omni gaudío & pace in credéndo; ut abundétis in spe ſ & virtúte Spíritus sancti.

℟. Super te Jerúsalē oriétur Dóminus. ℣. Et glória ejus in te vidébitur. Glória Patri. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Orémus. *Oratio.*

PRope esto Dómine, ómnibus expectántibus te in veritáte; ut in advéntu filii tui, Dómini nostri ſ plácitis tibi áctibus præsentémur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Vesperas, Antiph. & Psalm. Dixit Dóminus. *cum reliquis de Psalt.* 141. *Cap.* Quæcúmque. *ut sup.*

℣. Ro

℣. Roráte cæli désuper, & nubes pluant justum. Aperiátur terra & gérminet Salvatórem.

Ad Magnificat, Antiph. Tu es qui ventúrus es, an álium expectámus? dicite Joánni quæ vidístis: * Ad lumen rédeunt cœci, mórtui resúrgunt, * Páuperes evangelizántur, allelúia.

Hujus Antiphonæ tres Versiculi alternatim bis dicuntur in Choro post ℣. Glória Patri.

Oratio. Excita Dómine corda nostra. *ut sup.*

Ad Processiones dicuntur primum & secundùm ℟. *sequentis Feriæ ij. & Orationes ut in Sabbato ante primam Dominicam Adventus.*

FERIA SECUNDA.

De Isáía Prophéta.

Lectio j. Cap. 13.

ONus Babylónis, quod vidit Isaías filius Amos. Super montem Caliginósum leváte signum; exaltáte vocem; leváte manum: & ingrediántur portas duces. Ego mandávi sanctificátis meis; & vocávi fortes meos in ira mea: exultántes in glória mea. Vox multitúdinis in móntibus, quasi populórum frequéntium: Vox sónitus regum, géntium congregatárum.

℟. Aliéni non transíbunt per Jerúsalem ámpliùs: * Et in illa die stillábunt montes dulcédinem, & colles fluent, lac & mel, dicit Dóminus. ℣. Gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt; tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quóniam venit. Et in illa die.

Lectio ij.

DOminus exercítuum præcépit milítiæ belli; veniéntibus de terra procul à summitáte cœli: Dóminus, & vasa furóris ejus, ut dispérdat omnem terram. Ululáte, quia propè est dies Dómini: quasi váotitas à Dómino véniet. Propter hoc omnes manus dissolvéntur; & omne cor hóminis contabéscet: & conterétur. Torsiónes & dolóres tenébunt; quasi partúrientes dolébunt; unusquísque ad próximum suum stupébit: fácies combústæ vultus eórum.

℟. Ecce Dóminus véniet,

& omnes sancti ejus cum eo: & erit in die illa lux magna: & exíbunt de Jerúsalem sicut aqua munda: * Et regnábit Dóminus in ætérnum, super omnes gentes. ℣. Dóminus de Sina venit, & de Seïr ortus est nobis: appáruit de monte Pharan, & cum eo sanctórum míllia. Et regnábit.

Lectio iij.

ECce dies Dómini véniet, crudélis & indignatiónis plenus; & iræ furorísque ad ponéndam terram in solitúdinem: & peccatóres ejus conteréndos de ea. Quóniam stellæ cæli & splendor eárum non expándent lumen suum; obtenebrátus est sol in ortu suo: & luna non splendébit in lúmine suo. Et visitábo super orbis mala; & contra ímpios iniquitátem eórum: & quiéscere fáciam supérbiam infidélium, & arrogántiam fortium humiliábo.

℟. Jerúsalem surge, & sta in excélso, & vide: * Jocunditátem, quæ véniet tibi Deo tuo. ℣. Leva in circuítu óculos tuos, & contempláre. Iocunditátem. Glória Patri. Iocunditátem.

Ad Laudes, Antiphonæ & Psalmus. Miserére. *cum reliquis de Psalterio.* 69.

Capitulum. Isaiæ 7.

ECce virgo concípiet, & páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuël: Bútyrum, & mel cómedet; ut sciat reprobáre malum: & elígere bonum.

℣. Emítte Agnum Dómine dominatórem terræ ℟. De petra desérti ad montem filiæ Sion.

Ad Benedictus, Antiph. Ante me non est formátus Deus, & post me non erit, quia mihi curvábitur omne genu, & confitébitur omnis lingua.

Deinde dicuntur magnæ preces, ut in Psalt. 73.

Oratio. Excita Dómine corda nostra. *ut supr.* 203.

Hodie ante primas Litanias dicitur Antiph. Confitémini Dómino fílii Israël, quia non est álius Deus præter eum: ipse liberábit nos propter misericórdiam suam: aspícite, quæ fecit nobíscum, & enarrémus ómnia mirabília

lia ejus, allelúia.

Ad Vesperas, Antiph. Inclinávit Dóminus.

Psalmus. Diléxi. *cum reliquis de Psalt.* 152.

Capitulum. Isaiæ 11.

EGrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet, & requiéscet super eum Spíritus Dómini, Spíritus sapiéntiæ & intelléctus; Spíritus consílii & fortitúdinis; Spíritus sciéntiæ & pietátis: & replébit eum spíritus timóris Dñi.

℣. Roráte cæli désuper, & nubes pluant justum.

℟. Aperiátur terra & gérminet Salvatórem.

Ad Magnificat, Antiph, Ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus Jesum, hic erit magnus, & fílius altíssimi vocábitur, allelúia.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

FERIA TERTIA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 14.

PRope est ut véniat tempus ejus: & dies ejus non elongabúntur. Miserébitur enim Dóminus Jacob, & éliget adhuc de Israël: & requiéscere eos fáciet super humum suam; adjungétur ádvena ad eos: & adhærébit domui Jacob. Et tenébunt eos pópuli, & addúcent eos in locum suum; & possidébit eos domus Israël super terram Dómini in servos & ancíllas: & erunt capiéntes eos qui se céperant, & subjícient exactóres suos.

℟. Cívitas Jerúsalem. *ut in secundo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

ET erit in die illa, cùm réquiem déderit tibi Deus à labóre tuo; & à concussióne tua, & à servitúte dura, quâ ante servísti: sumes parábolam istam contra regem Babylónis, & dices. Quómodo cessávit exáctor, quiévit tribútum: Contrívit Dóminus báculum impiórum, virgam dominántium; cædéntem pópulos in indignatióne, plaga insanábili: subjiciéntem in furóre gentes, persequéntem crudéliter.

℟. Sicut mater.

Lectio iij.

QUómodo cecidísti de cælo lúcifer; qui ma-

nè oriebáris? corruísti in terram, qui vulnerábas gentes: qui dicébas in corde tuo. In cælum conscéndam; super astra Dei exaltábo sólium meum: sedébo in monte Testaménti, in latéribus Aquilónis. Ascéndam super altitúdinem núbium: Símilis ero Altíssimo. Verúmtamen ad inférnum detrahéris: in profúndum laci.

℟. Radix Jesse.

Ad Benedictus, Antiph. Véniet fórtior me post me, cujus non sum dignus sólvere corrígiam calceamentórum ejus.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Ad Magnificat, Antiph. Spíritus Dómini super me, Evangelizáre paupéribus misit me.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

FERIA QUARTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 16.

EMitte agnum Dómine dominatórem terræ; de petra desérti: ad montem filiæ Sion. Et erit sicut avis fúgiens, & pulli de nido avolántes: Sic erunt filiæ Moab in transcénsu Arnon. Ini consílium; coge concílium; pone quasi noctem umbram tuam in meridíe: abscónde fugiéntes, & vagos ne prodas. Habitábunt apud te prófugi mei: Moab esto latíbulum eórum à fácie vastatóris.

℟. Ecce véniet Dóminus, *ut in tertio Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

FInítus est enim pulvis; consummátus est miser: defécit qui conculcábat terram. Et præparábitur in misericórdia sólium; & sedébit super illud in veritáte, in tabernáculo David: júdicans & quærens judícium, & velóciter reddens quod justum est. Audívimus supérbiam Moab, supérbus est valdè: supérbia ejus, & arrogántia ejus, & indignátio ejus plusquam fortitúdo ejus.

℟. Jerúsalem plantábis.

Lectio iij.

IDcírco ululábit Moab ad Moab, univérsus ululábit; his qui lætántur super muros cocti latéris: loquímini plagas suas. Quóniam suburbána Hésebon

sebon desérta sunt, & víneam Sábama Dómini géntium excidérunt ; flagélla ejus usque ad Jazer pervenérunt ; erravérunt in desérto, propágines ejus relíctæ sunt, transiérunt mare.

℟. Germinavérunt campi.

Ad Benedictus, Antiph. Gaude & lætáre filia Sion, quia ecce vénio & habitábo in médio tui, dicit Dóminus.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Hodie ante secundas Litanias dicitur Antiphona. Exclamémus omnes ad Dóminum, dicéntes : Peccávimus tibi Dómine, patiéntiam habe in nobis : & érue nos à malis, quæ quotídiè accréscunt super nos, allelúia.

Ad Magnificat, Antiph. Ite, dícite Joánni, cœci vident & surdi áudiunt, claudi curántur, leprósi mundántur.

Deinde dicuntur magnæ preces 154.

FERIA QUINTA.

De Isaía Prophetâ.

Lectio j. Cap. 19.

ONus Ægypti. Ecce Dóminus ascéndet super nubem levem, & ingrediétur Ægyptum ; & commovebúntur simulácra Ægypti à fácie ejus, & cor Ægypti tabéscet in médio ejus. Et concúrrere fáciam Ægyptios ; & pugnábit vir contra fratrem suum, & vir contra amícum suum ; cívitas advérsùs civitátem ; regnum advérsus regnum.

℟. Jerúsalem citò. *ut in primo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

ET dirumpétur spíritus Ægypti, in viscéribus ejus, & consílium ejus præcipitábo ; & interrogábunt, simulácra sua, & divínos suos, & pythónes, & aríolos. Et tradam Ægyptum in manu Dominórum crudélium ; & rex fortis dominábitur eórum ; ait Dóminus Deus exercítuum. Et aréscet aqua de mari ; & flúvius desolábitur, atque siccábitur. Et defíciet flúmina ; attenuabúntur & siccabũtur rivi aggérum.

℟. Ecce Dóminus véniet.

Lectio iij. Post pauca.

IN die illa erit altáre Dómini in médio terræ

Ægypti ; & títulus Dómini juxta términum ejus crit in signum & in testimónium Dño exercítuum, in terra Ægypti. Clamábunt enim ad Dóminum à fácie tribulántis ; & mittet eis Salvatórem & propugnatórem qui líberet eos. Et cognóscétur Dóminus ab Ægypto, & cognóscent Ægyptij Dóminum in die illa ; & colent eum in hóstiis & in munéribus & vota vovébunt Dómino & solvent.

℟. Jerúsalem surge.

Ad Benedictus, Antiph. Juxta est salus mea ut véniat ; Et justítia mea ut revelétur, dicit Dóminus.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Ad Magnificat, Antiph. Qui post me vénit, ante me factus est ; cujus non sum dignus calceaménta sólvere.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

FERIA SEXTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 24.

Ecce Dóminus dissipábit terram, & nudábit eam ; & afflíget fáciem ejus & dispérdet habitatóres ejus. Et erit sicut pópulus, sic sacérdos ; & sicut servus, sic Dóminus ejus ; sicut ancílla, sic dómina ejus sicut emens, sic ille qui vendit ; sicut fœnerátor, sic is qui mútuum accípit sicut qui répetit, sic qui debet. Dissipatióne dissipábitur terra & direptióne prædábitur. Dóminus enim locútus est verbum hoc.

℟. Cívitas Jerúsalem. *ut in secundo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

Luxit, & deflúxit terra, & infirmáta est. Deflúxit orbis infirmáta est altitúdo pópuli terræ. Et terra inſécta est ab habitatóribus suis ; quia trangréssi sunt leges mutavérunt jus, dissipavérunt fœdus sempitérnum. Propter hoc maledíctio vorábit terram ; & peccábunt habitatóres ejus ideóque insánient cultóres ejus, & relinquéntur hómines pauci.

℟. Sicut mater.

Lectio iij.

Luxit vindémia, infirmáta est vitis ingemuérunt

muérunt omnes qui lætabántur corde. Cessávit gáudium tympanórum; quiévit sónitus lætántium: contícuit dulcédo cítharæ. Cum cántico non bibent vinum: amára erit pótio bibéntibus illam. Attríta est cívitas vanitátis: clausa est omnis domus nullo introeúnte. Clamor erit super vino in platéis; desérta est omnis lætítia: translátum est gáudium terræ. Relícta est in urbe solitúdo: & calámitas ópprimet portas. Quia hæc erunt in médio terræ, in médio populórum; quómodo si paucæ olívæ quæ remansérunt, excutiántur ex ólea: & racémi, cùm fúerit finíta vindémia. Hi levábunt vocem suam, atque laudábunt; cùm glorificátus fúerit Dóminus: hínnient de mari. Propter hoc in doctrínis glorificáte Dóminum: in ínsulis maris nomen Dómini Dei Israël. A fínibus terræ laudes audívimus: glóriam justi.

℟. Radix Jesse.

Ad Benedictus, Antiph. Dícite pusillánimes confortámini. Ecce Dóminus Deus noster véniet.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Hodie ante Tertias Litanias dicitur Antiphona. Parce Dómine, parce pópulo tuo, quem redemísti Christe sánguine tuo; ut non in ætérnum iráscaris nobis, allelúia, allel.

Ad Magnificat, Antiph. Cantáte Dómino cánticum novum; laus ejus ab extrémis terræ.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

SABBATO.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 25.

DOmine, Deus meus es tu; exaltábo te & confitébor nómini tuo, quóniam fecísti mirabília: cogitatiónes antíquas fidéles, amen. Quia posuísti civitátem in túmulum; urbem fortem in ruínam: domum alienórum, ut non sit cívitas, & in sempitérnum non ædificétur. Super hoc laudábit te pópulus fortis: cívitas géntium robustárum timébit te. Quia factus es fortitúdo páuperi; fortitúdo egéno in tribula-

tióne sua : spes à túrbine, umbráculum ab æstu.

℟. Ecce véniet Dóminus. *ut in tertio Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

SPíritus enim robustórum : quasi turbo impéllens pariétem. Sicut æstus in siti, tumúltum alienórum humiliábis ; & quasi calóre sub nube torrénte : propáginem fórtium marcéscere fácies. Et fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc : convívium vindémiæ defæcátæ. Et præcipitábit in monte isto fáciem vínculi colligáti super omnes pópulos ; & telam quam ordítus est : super omnes natiónes.

℟. Jerúsalem plantábis.

Lectio iij.

PRæcipitábit mortem in sempitérnum, & áuferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie ; & oppróbrium pópuli sui áuferet de univérsa terra : quia Dóminus locútus est. Et dicet in die illa ; Ecce Deus noster iste ; expectávimus eum, & salvábit nos, iste Dóminus, sustinuímus eum : exultábimus & lætábimur in salutári ejus. Quia requiéscet manus Dómini in monte isto ; & triturábitur Moab sub eo : sícuti terúntur páleæ in plaustro. Et exténdet manus suas sub eo ; sícuti exténdit natans ad natándum : & humiliábit glóriam ejus cum allisióne mánuum ejus. Et muniménta sublímium murórum tuórum cóncident ; & humiliabúntur : & detrahéntur in terram, usque ad púlverem.

℟. Germinavérunt campi.

Ad Benedictus, Antiph. Expectábo Dóminum Salvatórem meum, & præstolábor eum, allelúia, allelúia.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Ad Vesperas, Capitulum. Philip. 4.

GAudéte in Dómino semper, íterùm dico gaudéte ; modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus : Dóminus prope est.

℣. Roráte cæli désuper, & nubes pluant justum.

℟. Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem.

Ad

Ad Magnificat, Antiph. Antequam convenírent invénta est María habens in útero de Spíritu sancto.

Orémus. *Oratio.*

AUrem tuam, quæsumus Dómine, précibus nostris accómmoda: & mentis nostræ ténebras grátia tuæ visitatiónis illústra. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Ad primam Processionem. ℟. I. Ecce apparébit. *ut infrà in* I. *Nocturno.*

Orémus. *Oratio.*

EXcita Dñe poténtiam tuam & veni; & quod Ecclésiæ tuæ promisísti: usque in finem sæculi cleménter operáre. Qui vivis & regnas.

Ad secundam Processionē. ℟. II. Béthleem. *ut infr.*

Orémus *Oratio.*

COnsciéntias nostras, quæsumus Dómine visitándo purífica; ut véniens Jesus Christus, Fílius tuus Dóminus noster: parâtam sibi in nobis invéniat mansiónem. Qui tecum vivit, & regnat.

DOMINICA III. *Adventus.*

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem ventúrum Dóminum, veníte adorémus. *Psalm.* Veníte

In primo Nocturno.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 26.

IN die illa cantábitur cánticum istud in terra Juda. Urbs fortitúdinis nostræ Sion Salvátor: ponétur in ea murus, & ante murále. Aperíte portas; & ingrediátur gens justa: custódiens veritátem. Vetus error ábiit; servábis pacem: pacem, quia in te sperávimus. Sperástis in Dómino in sæculis ætérnis: in Dómino Deo forti in perpétuum. Quia incurvábit habitántes in excélso; civitátem sublímem humiliábit: humiliábit eam usque ad terram, détrahet eam usque ad pulvérem. Conculcábit eam pes páuperis: gressus egenórum.

℟. Ecce apparébit Dóminus super nubem cándidam, & cum eo sanctórum míllia; habens in vestiménto & in femóre suo scriptum, * Rex regum, & Dóminus dominántiū. ℣. Dóminus sicut fortis egrediétur, & sicut vir

præ

prælιátor ſuſcitábit zelum Rex regum.

Lectio ij.

SEmita justi recta eſt : rectus callis justi ad ambulándum Et in sémita judiciórum tuórum Dómine ſuſtinúimus te : nomen tuum, & memoriále tuum in deſidério ánimæ. Anima mea deſiderávit te in nocte ; ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis : de manè vigilábo ad te. Cùm féceris judícia tua in terra : justítiam diſcent habitatóres orbis. Miſereámur ímpio, & non diſcet juſtítiam ; in terra ſanctórum iníqua geſſit : & non vidébit glóriam Dómini.

℞. Béthleem cívitas Dei ſummi, ex te éxiet dominátor Iſraël, & egréſſus ejus ſicut à princípio, à diébus æternitátis, & magnificábitur in médio univérſæ terræ. * Et pax erit in terra noſtra cum vénerit. ℣. De Sion egrediétur lex, & verbum Dómini de Jerúſalem. Et pax.

Lectio iij.

DOmine exaltétur manus tua, & non vídeant ; vídeant, & confundántur ; zelántes pópuli : & ignis hoſtes tuos dévoret. Dómine dabis pacem nobis : ómnia enim ópera noſtra operátus eſt nobis. Dómine Deus noſter, poſſedérunt nos Dómini abſque te : tantùm in te recordémur nóminis tui ; Moriéntes non vivant ; gigántes non reſúrgant ; Proptéreà viſitáſti, & contrivíſti eos : & perdidiſti omnem memóriam eórum.

℞. Qui ventúrus eſt véniet & non tardábit ; jam non erit timor in fínibus noſtris. * Quóniam ipſe eſt Salvátor noſter. ℣. Et áuferet Dóminus Deus omnem lacrymam ab omni fácie, & oppróbrium pópuli ſui áuferet de univérſa terra. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Leónis Papæ.

Serm. 2. de Jejun. decimi menſ. & collectis.

Lectio iv.

QUod témporis rátio, & devotiónis noſtræ ádmonet conſuetúdo : paſtoráli vobis, Dilectíſſimi ſollicitúdine prędicámus. Décimi menſis celebrándum

dum esse jejúnium; quo pro consummáta perceptióne ómnium frúctuū: digníssimè largitóri eórum Deo continéntiæ libámen offértur. Quid enim potest efficácius esse jejúnio? cujus observántia appropinquámus Deo: & resisténtes Diábolo, vítia blanda superámus.

℟. Propè est, ut véniat tempus ejus; & dies ejus non elongabúntur: * Miserébitur Dóminus Jacob, & Isræ̈l salvábitur. ℣. Qui ventúrus est véniet, & non tardábit: jam non erit timor in finibus nostris. Miserébitur.

Lectio v.

SEmper enim virtútici- bus jejúnium fuit. De abstinéntia dénique pródeunt castæ cogitatiónes; rationábiles voluntátes; salubrióra consília: & per voluntárias afflictiónes caro concupiscéntiis móritur, virtútibus spíritus innovátur. Sed quia non solo jejúnio animárum nostrárum salus acquíritur: jejúnium nostrum misericórdiis páuperum suppleámus. Impendámus virtúti: quod subtráhimus voluptáti. Fiat reféctio paúperis: abstinéntia jejunántis.

℟. Descéndet Dóminus sicut plúvia in vellus; * Oriétur in diébus ejus justítia & abundántia pacis. ℣. Et dominábitur à mari usque ad mare, & à flúmine usque ad términos orbis terræ. Oriétur.

Lectio vj.

STudeámus viduárum defensióni; pupillórum utilitáti; lugéntium consolatióni: diffidéntium paci. Suscipiátur peregrínus, adjuvétur oppréssus, vestiátur nudus, foveátur ægrótus: ut quicúmque nostrûm de justis labóribus auctóri bonórum ómnium Deo, sacrifícium hujus pietátis obtúlerit: ab eódem regni cæléstis præmium percípere mereátur. Quarta ígitur & sexta Féria jejunémus; Sábbato autem apud beátum Petrum Apóstolum páriter vigilémus: cujus suffragántibus méritis, quæ póscimus, impetráre possímus.

℟. Veni Dómine & noli tardáre: reláxa facínora plebi tuæ; & * Révoca disper

diſpérſos in terram ſuam. ℣. A ſolis ortu & occáſu, ab Aquilóne & mari. Révoca. Glória Patri. Révoca.

In tertio Nocturno.

Léctio ſancti Evangélij ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo témpore miſérunt Judæi ab Jeroſólymis Sacerdótes & Levítas ad Joánnem, ut interrogárent eum; Tu quis es? Et conféſſus eſt & non negávit. Et conféſſus eſt quia non ſum ego Chriſtus. Et réliqua.

Homilía ſancti Euchérii Lugdunénſis Epiſcopi.

Homil. 7. in Evangel.

OMNES exiſtimábant Joánnem eſſe Chriſtum; quóniam in móribus & vitâ, in hábitu & ſancta converſatióne aliis omnibus diſsímilis erat. Ipſe tamen mundi glóriam fúgiens, & Chriſtum ſe non eſſe reſpóndens; in tantùm ſe humiliávit ut indígnum ſe eſſe díceret, qui Chriſti calceaménta ſolvere debuiſſet. Et interrogavérunt eum; quid ergo? Elías es tu? Et dixit non ſum. Interrogátus Dóminus de Elía, reſpóndit: Elías quidem ventúrus eſt & reſtituet ómnia. Et ſi vultis ſcire Joánnes ipſe eſt Elías. Quid eſt ergo, quòd ſe Joánnes Elíam eſſe negat; quem Dóminus ipſe Elíam eſſe affirmat? Dicit Joánnes Non ſum Elías. Dicit Jeſus Joánnes ipſe eſt Elías. Nec iſte quidem mentíri poteſt; quia véritas eſt nec ille quia Diſcípulus veritátis.

℟. Ecce radix Jeſſe aſcéndet in ſalútem populórum, ipſum gentes deprecabúntur. * Et erit nomen ejus glorióſum: ℣. Multiplicábitur ejus impérium, & pacis non erit finis. Et erit.

Lectio viij.

VErum ergò utérque dicit; alter enim de perſona alter de Spíritu lóquitur. Joánnes enim in Spíritu Elías erat; ſed in perſóna Elías non erat, de quo Angelus ad Zacharíam: Ipſe, inquit, præcédet ante illum in Spíritu, & virtúte Elíæ. Aiunt illi; Prophéta es tu? Et reſpóndit, Non.

Non enim simplíciter Prophéta : sed plusquàm Prophéta erat Joánnes. Unde & Dóminus ait ; Quid exístis vidére ? Prophétam ? Etiam dico vobis, Et plusquàm Prophétam. Plus enim quàm Prophéta fuit Joánnes, quia non solùm ventúra nunciávit, quod útique Prophetárum est ; verùm & dígito demonstrávit : quod Prophetárum non est.

℟. Docébit nos Dóminus vias suas ; & ambulábimus in sémitis ejus : * Quia de Sion exíbit lex, & verbum Dómini de Jerúsalem. ℣. Domus Jacob venite, & ambulémus in lúmine Dómini. Quia de Sion.

Lectio ix.

DIxérunt ergò ei; Quis es tu, ut respónsum demus iis, qui misérunt nos ? Ait. Ego vox clamántis in desérto ; Dirígite viam Dómini : sicut dicit Isaías Prophéta. Vox Joánnes : Verbum Christus. Sicut enim Joánnes præcédit Christum : ita & vox præcédit verbum. Statim enim ut ore loquéntis sonus qualiscúmque procédit ; vox est : verbum autem nondum est. Quia vox ómnia : verbum signíficat áliquid. Præcédit ígitur vox : séquitur verbum. Meritò ígitur vox Joánnes ; & verbum Christus vocátur : quóniam & nascéndo, & prædicándo & monéndo; & ipsa sui nóminis significatióne : Christum præcéssit.

℟. Vidébunt gentes justum tuum : & cuncti reges ínclytum tuum ; * Et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini Dómini nominávit. ℣. Et erit coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. Et vocábitur. Glória Patri. Et vocábitur.

AD LAUDES,

Antiphona. Veniet Dóminus, & non tardábit, & illuminábit abscóndità tenebrárum, & manifestábit se ad omnes gentes, allelúia.

Psalmus. Dóminus regnávit. *cum reliquis.* 20.

Aña. Jerúsalem gaude gáudio magno, quia véniet tibi Salvátor, allel.

Aña.

Aña. Dabo in Sion salútem, & in Jerúsalem glóriam meam, allelúia.

Aña. Montes & omnes colles humiliabúntur, & erunt prava in dirécta, & áspera in vias planas; veni Dómine, & noli tardáre, allelúia. *Aña.* Justè & piè vivámus, expectántes beátam spem & advéntum Dómini.

Capitulum. Philip. 4.

GAudéte in Dómino semper, íterùm dico gaudéte; modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus: Dóminus propè est.

℣. Emítte agnum Dómine dominatórem terræ.

℟. De petra desérti ad montem filiæ Sion.

Ad Benedictus, Antiph. Super sólium David, & super regnum ejus sedébit in ætérnum, allelúia.

Orémus. *Oratio.*

AUrem tuam, quæsumus, Dómine précibus nostris accómmoda: & mentis nostræ ténebras grátiâ tuæ visitatiónis illústra. Qui vivis & regnas.

Ad Tertiam, Capitulum. Gaudéte in Dómino. *ut suprà.*

℟. Veni ad liberándum nos, Dómine Deus virtútum. Veni. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. Veni. Glória Patri. Veni. ℣. Timébunt gentes nomen tuum Dómine.

℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam.

Orémus. *Oratio.*

EXcita Dómine, poténtiam tuam, & veni; & quod Ecclésiæ tuæ promisísti: usque in finem sæculi cleménter operáre. Qui vivis.

Ad Sextam, Capitulum. Philip. 4.

NIhil sollíciti sitis; sed in omni oratióne, & obsecratióne, cum gratiárum actióne: petitiónes vestræ innotéscant apud Deum.

℟. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℣. Et salutáre tuum da nobis. Glória Patri.

℣. Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Orémus. *Oratio.*

COnsciéntias nostras, quæsumus Dómine, visitándo purífica; ut véniens Jesus Christus filius tuus,

tuus, Dóminus noster ꞌ parátam sibi in nobis invéniat mansiónem. Qui tecum vivit.

Ad Nonam, Capitulum.
Philip 4.

ET pax Dei, quæ exúperat omnem sensum; custódiat corda vestra, & intelligéntias vestras ꞌ in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Super te Jerúsalem oriétur Dóminus. ℣. Et glória ejus in te vidébitur. Glória Patri. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Orémus. *Oratio.*

PRopè esto Dómine, ómnibus expectántibus te in veritáte; ut in advéntu fílii tui Dómini nostri ꞌ plácitis tibi áctibus præsentémur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Vesperas, Antiphona & Psalmus Dixit Dóminus. *cum reliquis de Psalterio.* 148.

Capitul. Gaudéte. *ut sup.*
℣. Roráte cæli désuper.

Ad Benedictus, Antiph. Beáta es María, quæ credidísti ꞌ perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi à Dómino, allelúia.

Oratio. Aurem tuam. *ut suprà.*

Ad primam & secundam Processionem j. & ij. ℟. *sequentis Feria ij. & Orationes ut in Sabbato ante primam Dominicam Adventus.*

Hæc Antiphona suprascripta prætermittitur, si hodie ejus loco ponenda sit una ex Antiphonis majoribus, ut infrà: quibus semper cedunt Antiphonæ propriæ aliis diebus ad Magníficat. *assignatæ.*

Sequentes Antiphonæ majores inchoantur die 17. Decembris, & singulæ per ordinem dicuntur ad Magníficat. *etiamsi occurrat Festum aut Dominica, usque ad Vigiliam Nativitatis exclusivè.*

Quando autem dicuntur in Choro dividuntur in tres partes. Prima pars dicitur à primo Choro post 1. Versum, & à secundo post secundum. Secunda pars à primo Choro post tertium Versum, & à secundo post quartum. Tertia pars à primo Choro post quintum Versum, & à secundo

tando post sextum. Post Versum autem Deposuit. *repetitur alternatim tota Antiphona per partes. Ac post* ℣. Esuriéntes. *Similiter, & post* ℣. Suscépit. *denique post* ℣. Glória Patri. *duplicatur alternatim.*

Extra Chorum verò bis dicitur ante Psalm. Magníficat. *& post Versum* Depósuit. *repetitur tota Aña, deinde cætera ut suprà: Et sic septies dicuntur istæ Aña, sic autem cantantur in Choro.*

DIE XVII. DECEMBR.

Antiphona. O sapiéntia.

In Choro submissa voce intonat. Cant. Magníficat, *& sic canitur usque ad* ℣. Sicut locútus est. *exclus.*

Hoc modo cantantur in Primatiali Ecclesia, & in majoribus Choris ad libitum, Ant. ad Magnificat *per annum, in tres partes astericis divisæ, quarum alibi tres Versiculi alternatim bis in Choro dicuntur:*

1. *Chorus.* MAgníficat, ánima mea Dóminum.

1. *Chorus.* O sapiéntia quæ ex ore Altíssimi prodiísti,

Interim 2. Chorus cantat 2. Versum, & sic deinceps usque ad Versum Deposuit.

2. *Chorus.* Et exultávit spíritus meus: * in Deo salutári meo.

2. *Chorus.* O sapiéntia quæ ex ore Altíssimi prodiísti,

1. *Chorus.* Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

1. *Chorus.* Attíngens à fine usque ad finem fórtiter, suavitérque dispónens ómnia.

2. *Chorus.* Quia fecit mihi magna qui potens est: * & sanctum nomen ejus.

2. *Chorus.* Attíngens à fine usque ad finem fórtiter, suavitérque dispónens ómnia.

1. *Chorus.* Et misericórdia ejus in progénies & progénies: * timéntibus eum.

1. *Chorus.* Veni ad docéndum nos viam prudéntiæ

2. *Chorus.* Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.

2. *Chorus.*

2.*Chorus*. Veni ad docéndum nos viam prudéntiæ
1.*Chorus*. Depósuit poténtes de ſede: * & exaltávit húmiles.
1.*Chorus*. O ſapiéntia, quæ ex ore Altíſſimi prodiíſti.
2. *Chorus*. Attíngens à fine uſque ad finem fórtiter, ſuavitérque diſpónens ómnia.
1.*Chorus*. Veni ad docéndum nos viam prudéntiæ
2.*Chorus*. Eſuriéntes implévit bonis : * & dívites dimiſit inánes.
2.*Chorus*. O ſapiéntia, quæ ex ore Altíſſimi prodiíſti.
1. *Chorus*. Attíngens à fine uſque ad finem fórtiter, ſuavitérque diſpónens ómnia.
2.*Chorus*. Veni ad docéndum nos viam prudéntiæ
1. *Chorus*. Suſcépit Iſraël púerum ſuum : * recordátus miſericórdiæ ſuæ.
1. *Chorus*. O ſapiéntia, quæ ex ore Altíſſimi prodiíſti.
2. *Chorus*. Attíngens à fine uſque ad finem fórtiter, ſuavitérque diſpónens ómnia.
1. *Chorus*. Veni ad docéndum nos viam prudéntiæ

Hic vox elevatur.

2.*Chorus*. Sicut locútus eſt ad Patres noſtros : * Abraham & sémini ejus in ſæcula.
1. *Chorus*. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto.
2. *Chorus*. Sicut erat in princípio & nunc & ſemper : * Et in ſæcula ſæculórum. Amen.
2. *Chorus*. O ſapiéntia, quæ ex ore Altíſſimi prodiíſti.
1. *Chorus*. Attíngens à fine uſque ad finem fórtiter, ſuavitérque diſpónens ómnia.
2.*Chorus*. Veni ad docéndum nos viam prudéntiæ
1. *Chorus*. O ſapiéntia, quæ ex ore Altíſſimi prodiíſti.
2.*Chorus*. Attíngens à fine uſque ad finem fórtiter, ſuavitérque diſpónens ómnia.
1.*Chorus*. Veni ad docéndum nos viam prudéntiæ.

DIE XVIII DECEMBR.

Antiphona. O Adonái, & dux domus Iſraël : * Qui Móyſi in igne flammæ Rubi apparuíſti : * Veni ad rediméndum nos in bráchio exténto. *Repetitur ſepties modo ſuprà præſcripto.*

DIE XIX. DECEMBR.

Antiphona. O Radix Jeſſe qui ſtas in ſignum populórum: * ſuper quem continébunt reges os ſuũ, quem gentes deprecabúntur : * Veni ad liberándum nos, jam noli tardáre.

DIE XX. DECEMBRIS.

Antiphona. O clavis David, & ſceptrum domus Iſraël : * Qui áperis & nemo claudit, claudis & nemo áperit : * Veni & educ vinctum de domo cárceris, ſedéntem in ténebris, & umbra mortis.

DIE XXI. DECEMBRIS.

Antiphona. O Oriens ſplendor lucis ætérnæ, & ſol juſtitiæ : * Veni & illumina : * Sedéntes in ténebris & umbra mortis.

DIE XXII. DECEMBR.

Antiphona. O Rex Géntium, & deſiderátus earum : * Lapis anguláris, qui facis útraque unum : * Veni & ſalva hóminem quem de limo formáſti.

DIE XXIII. DECEMBR.

Antiphona. O Emmánuël Rex & légifer noſter : * Expectátio gentium & ſalvátor eárum : * Veni ad ſalvándum nos Dómine Deus noſter.

Sequentes Lectiones dicuntur in ſex Feriis ante Vigiliam Nativitatis, incipiendo die 17. Decembris, poſt duas primas Lectiones de Scriptura occurrente, & omittuntur quæ incidunt in Dominicam, & in Feſtum S. Thomæ, ac Ferias Quatuor Temporum : Similiter ſequentes Antiphonæ ad Laudes dicuntur in eiſdem ſex Feriis ante Vigiliam Nativitatis, incipiendo die 17. Decembris ab Antiphonis, quæ Feriæ illius diei 17. aſſignantur, & aliæ dicuntur in propriis Feriis. Quod ſi dies 17. fuerit Dominica, Lectiones & Antiphonæ inchoantur ſequenti Feria ſecunda, quæ erit dies 18. Quæ autem Antiphonæ dicendæ eſſent die, in quo occurrit Feſtum S. Thomæ, dicuntur in Sabbato cum

Pſalmis

Psalmis Sabbati, quartâ Antiphonâ prætermissâ: cujus loco dicitur Antiphona Expectétur. *ut suprà: nisi Vigilia Nativitatis venerit in Dominica; tunc enim in Sabbato dicuntur Antiphonæ de Laudibus Dominicæ, quartâ prætermissâ, cujus loco dicitur Antiphona* Expectétur. *Antiphona ad Benedictus, & Oratio dicitur ut in Sabbato Quatuor Temporum ponitur. Antiphonæ verò de Laudibus, quæ occurrunt in die S. Thomæ, eo anno prætermittuntur: & in Dominica tunc dicuntur Antiphonæ de Vigilia, ut infrà dicetur in Rubrica de Vigilia. Similiter omittitur Antiphona,* Expectétur. *quando illud Festum in Sabbato venerit.*

FERIA SECUNDA.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Sermo sancti Ambrosij Epíscopi.

Lectio iij. Serm. 6. de Adv.

PRopítiâ Divinitáte, Fratres dilectíssimi, jam advéniunt dies, in quibus Natálem Dómini Salvatóris, cum gáudio desiderámus celebráre; & ideò rogo & admóneo, ut quantùm póssumus cum Dei adjutório laborémus, quátenùs in illo die cum sincéra & pura consciéntia, & mundo corde, & casto córpore, ad altáre Dómini possímus accédere: & corpus vel étiam sánguinem ejus non ad judícium, sed ad remédiũ ánimæ nostræ, mereámur accípere. In Christi enim córpore vita nostra consístit, sicut ipse Dóminus noster dixit; nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis, & bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Mutet ergò vitam, qui vult accípere vitam. Nam si non mutat vitam, ad judícium accípiet vitam; &, magis ex ipsa corrúmpitur, quàm sanétur: magis occíditur, quàm vivificétur. Sic enim dixit Apóstolus; Qui mandúcat corpus Dómini, & bibit sánguinem ejus indígnè, judícium sibi mandúcat & bibit.

AD LAUDES,

Antiph. Propter Sion non tacébo, donec egrediátur,

diátur, ut splendor, justus ejus. *Psalmi ejusdem Feriæ.*

Añа. Cùm vénerit Filius hóminis, putas invéniet fidem super terram.

Aña, Vox clamántis in desérto, paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas Dei nostri.

Aña. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris.

Aña. Omnis vallis implébitur, & omnis mons & collis humiliábitur: & vidébit omnis caro salutáre Dei.

FERIA TERTIA.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Sermo sancti Ambrósij Epíscopi

Lectio iij.

Licet omni témpore bonis opéribus ornátos ac spléndidos esse nos convéniat; præcípuè tamen in die Natális Dómini: sicut in Evangélio ipse dixit, ut lucére débeant ópera nostra coràm homínibus. Consideráte, quæso Fratres; quando áliquis homo potens aut nóbilis Natálem, aut suum aut filii sui celebráre desíderat: quanto stúdio antè plures dies, quicquid in domo sua sórdidum víderit órdinat emūdáre; quicquid inéptum & incóngruum prójicit: quicquid útile & necessárium, præcipit exhibére. Domus étiam si obscúra fúerit dealbátur; & divérsis respérsa flóribus adornátur; paviménta autem scopis mundántur: quicquid étiam ad lætítiam ánimi, & córporis delícias pértinet, omni sollicitúdine providétur. Ut quid ista Fratres charíssimi; nisi ut dies natalítius, cum gáudio celebrétur hóminis moritúri? Si ergò tanta præparas in Natalítio tuo aut filii tui; quanta & quália præparáre debes susceptúrus Natálem Dómini tui? Si talia præparas moritúro; quália præparáre debes Ætérno? Quicquid ergò non vis inveníri in domo tua: quantùm potes elabóra ut non invéniat Deus in ánima tua.

AD LAUDES,

Antiph. Roráte cæli désuper, & nubes pluant justum, aperiátur terra, & gérminet Salvatórem.

Antiph.

Aña. Emitte agnum Dómine, dominatórem terræ, de petra desérti ad montem filiæ Sion.

Aña. Cognoscámus Dómine in terra viam tuam, in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Aña. Da mercédem Dómine sustinéntibus te: ut Prophétæ tui, fidéles inveniántur.

Aña. Lex per Móysen data est, grátia & véritas per Jesum Christum facta est

FERIA QUARTA.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Sermo sancti Ambrósij Epíscopi.

Lectio iij.

SI Rex terrénus, aut quivis Paterfamílias ad suum natalítium te invitásset; quálibus vestiméntis studéres ornátus incédere? Quàm novis vel nítidis; quàm spléndidis; quò nec vetústas, nec vílitas, nec áliqua fœditas óculos invitántis offénderet? Tali ergò stúdio in quantum prævales, Christo auxiliánte conténde; ut divérsis virtútum ornaméntis ánimam tuam habens compósitam: simplicitátis gémis, & sobrietátis flóribus adornátam; ad solemnitátem Regis ætérni, id est, ad Natálem Dómini Salvatóris, cum secúrâ consciéntia procédas: castitáte nítida; charitáte spléndida: eleemósynis cándida. Christus enim Dóminus noster, si te ita compósitum, ejus Natalítium celebráre cognóverit; ipse per se veníre, & ánimam tuam non solùm visitáre, sed étiam in ea requiéscere: & in perpétuum in illa dignábitur habitáre. Sicut scriptum est: & inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos. Et íterum. Ecce sto ad óstium & pulso; si quis surréxerit, & aperuérit mihi: intrábo ad illum, & cœnábo cum illo, & ille mecum.

AD LAUDES.

Antiphona. Tu Béthleem terra Juda; non eris mínima, ex te enim éxiet dux, qui regat pópulum meum Israël.

Aña. Cantáte Dómino cánticum novum, laus ejus ab extrémis terræ.

Aña. Spíritus Dómini super me: evangelizáre paupéribus misit me.

Aña. Ecce véniet Dóminus; ut sédeat cum princípibus, & sólium glóriæ téneat. *Aña.* Lætámini cum Jerúsalem, & exultáte in ea omnes, qui dilígitis eam in ætérnum.

FERIA QUINTA.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Sermo sancti Ambrósij Epíscopi.

Lectio iij.

QUàm felix est illa ánima; quæ vitam suam ita, Deo auxiliánte studúerit gubernáre: ut Christum hóspitem, inhabitatórem mereátur accípere. Sicut è contrarió, quàm infélix est illa, consciéntia, toto lacrymárum fonte lugénda; quæ se ita malis opéribus cruentávit: ut in ea non Christus requiéscere, sed Diábolus incípiat dominári. Talis enim ánima, si medicaméntum pœniténtiæ non citò subvénerit, à luce relinquétur; à ténebris occupábitur; vacuábitur dulcédine; replébitur amaritúdine; à morte invadétur: à vita repudiábitur. Non tamen de Dómini pietáte diffídat, qui talis est, nec mortífera desperatióne frangátur, sed magis ad pœniténtiam citò confúgiat; & dum adhuc nova sunt, & calent peccatórum suórum vúlnera, vera sibi adhíbeat medicaménta salúbria: quia médicus noster omnípotens est, & sic consuévit plagas nostras curáre; ut nec cicatrícum vestígia: post ipsíus medicámina ostendántur. Ideò étiam ab omni inquinaménto, ante ejus Natalem: multis diébus abstinére debémus.

AD LAUDES.

Antiphona. A fínibus terræ laudes audívimus; glóriam justi, allel. allel.

Aña. Convértere Dómine aliquántulum, & ne tardes veníre ad servos tuos.

Ana. Dóminus légifer noster, Dóminus rex noster, ipse véniet, & salvábit nos.

Ana. Ecce Deus meus, & honorábo eum, Deus Patris mei, & exaltábo eum.

Aña. Dícite, pusillánimes confor

confortámini, ecce Dóminus Deus noster véniet.

FERIA SEXTA.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Sermo sancti Ambrósij Epíscopi.

Lectio iij.

Quotiescúmque Fratres aut Natálem Dómini, aut réliquas solemnitátes celebráre dispónitis: ebrietátem ante ómnia fúgite; iracúndiæ quasi béstiæ crudelíssimæ repugnáte; ódium velut venénum mortíferum de corde vestro repéllite: & tanta in vobis sit cháritas, quæ non solùm ad amícos, sed étiam usque ad ipsos pervéniat inimícos; ut secúri possímus dícere in Oratióne Domínica: Dimítte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris. Nam qui se scit vel unum hóminem ódio habére: néscio quómodò ad altáre secúrus possit accédere. Cùm præcípuè beátus Joánnes Evangelísta terribíliter clamet & dicat; Qui fratrem suum odit: homicída est. Nam vestrum est vetáre verum homicídam; ántequàm pœniténtiam agat, Eucharístiam accípere: talis ad altáre accédere ne præsúmat. Addit étiam adhuc sanctus Joánnes: & clamat dicens. Qui fratrem suum odit in ténebris est, & in ténebris ámbulat; & nescit quò vadat: Quóniam ténebræ obcæcavérūt óculos ejus. Et íterum; Omnis, inquit, qui fratrem suum non díligit: manet in morte.

AD LAUDES.

Antiphona. Constántes estóte vidébitis auxílium Dómini super vos. *Aña.* Ad te Dómine levávi ánimam meam, veni & éripe me, Dómine ad te confúgi. *Aña.* Veni Dómine, & noli tardáre; reláxa facínora plebis tuæ Israël. *Aña.* Deus à Líbano véniet: & splendor ejus, sicut lumen erit. *Aña.* Ego autem ad Dóminum aspíciam, & expectábo Deum Salvatórem meum.

SABBATO.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Sermo S. Ambrósij Episc.

Lectio iij.

AMbiámus inveníri ante Christum probáti fide; compti misericórdiá; móribus accuráti. Et qui fidélius Christum díligit; nitídiùs se mandatórum ejus observatióne compónat; ut verè nos in se crédere vídeat, cùm ita in ejus solemnitáte fulgémus; & magis lætus sit; quò nos perspéxerit purióres. Atque ídeò ante complúres dies castificémus corda nostra; mundémus consciéntiam; purificémus spíritum; ac nítidi & sine mácula, immaculáti Dómini suscipiámus Advéntum. Ut cujus Natívitas per immaculátam Vírginem cónstitit; ejus Natális per immaculátos sérvulos prócuretur. Quisquis enim in illa die sórdidus fúerit ac pollútus; Natále Christi ortúmque non curat. Intérsit licet Domínicæ Festivitáti córpore; mente tamen longiùs, à Salvatóre separátur.

AD LAUDES.

Antiphonæ secundum superiorem Rubricam.

Ad Canticum verò Antiph. Expectétur sicut plúvia elóquium Dómini, & descéndat sicut ros super nos Deus noster.

Psalmi ut in Laudibus Sabbati.

FERIA SECUNDA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 28.

VÆ corónæ supérbiæ, ébriis Ephraïm, & flori decidénti; glóriæ exultatiónis ejus, qui erant in vértice vallis pinguíssimæ; errántes à vino. Ecce valídus & fortis Dóminus sicut ímpetus grándinis; turbo confríngens, sicut ímpetus aquárum multárum inundántium; & missárum super terram spatiósam. Pédibus conculcábitur coróna supérbiæ; & ebriórum Ephraim.

℟. Ecce apparébit. *ut in primo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

ET erit flos décidens glóriæ exultatiónis ejus, qui est super vérticem vallis pínguium; quasi temporáneum ante maturitátem autúmni; quod cùm aspéxerit videns, statim

tim ut manu tenuérit, devorábit illud. In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, & sertum exultatiónis resíduo pópuli sui; & spíritus judícii sedénti super judícium: & fortitúdo reverténtibus de bello ad portam. Verùm hi quoque præ vino nesciérunt, & præ ebrietáte erravérunt; Sacérdos & Prophéta nesciérunt præ ebrietáte: absórpti sunt à vino.

℟. Béthleem cívitas.

Lectio iij. nisi alia dicenda sit secundùm superiorem Rubricam.

IDcírcò hæc dicit Dóminus Deus. Ecce ego mittam in fundaméntis Sion lápidem; lápidem probátum, angulárem, pretiósum: in fundaménto fundátum. Qui credíderit, non festínet. Et ponam in póndere judícium, & justítiam in mensúra: & subvértet grando spem mendácii: & protectiónem aquæ inundábunt. Et delébitur fœdus vestrum cum morte: & pactum vestrum cum inférno non stabit.

℟. Qui ventúrus est.

AD LAUDES.

Antiph. & Psalm. Miserére. *cum reliquis de Psalterio. Nisi dicendæ sint Antiphonæ secundùm superiorem Rubricam.*

Capitulum. Isaiæ 7.

ECce virgo concípiet, & páriet filium, & vocábitur nomen ejus Emmánuël: Bútyrum & mel cómedet; ut sciat reprobáre malum: & elígere bonũ.

℣. Emítte Agnum Dómine dominatórem terræ.

℟. De petra desérti ad montem filiæ Sion.

Ad Benedictus, Antiph. Egrediétur virga de radíce Jesse, & replébitur omnis terra glória Dómini: & vidébit omnis caro salutáre Dei.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Oratio. Aurem tuam. *ut suprà.* 222.

Hodie ante primas Litanias, si dicendæ sint. *Aña.* Iniquitátes nostræ Dñe multiplicátæ sunt super cápita nostra: delícta nostra crevérunt usque ad cœlos; parce Dómine, & inclína super nos misericórdiam tuam, allelúia.

AD VESPERAS.

Aña. Inclinávit Dñs. *Psal.* Diléxi. *cum reliquis de Psalterio.* 152.

Capitulum. Isaiæ 11.

EGrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet; & requiéscet super eum Spíritus Dómini, Spíritus sapiéntiæ & intelléctus; Spíritus consílii & fortitúdinis; Spíritus sciéntiæ & pietátis: & replébit eum Spíritus timóris Dómini.

℣. Roráte cæli désuper & nubes pluant justum.

℟. Aperiátur terra, & gérminet salvatórem.

Ad Magnificat, Antiph. Quia respéxit Deus humilitátem meam, beátam me dicent omnes generationes. *Nisi dicenda sit Antiphona.* O.

Deinde dicuntur magna preces. 154.

FERIA TERTIA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 30.

EXpéctat Dóminus ut misereátur vestri; & exaltábitur parcens vobis: quia Deus judícii Dóminus, beáti omnes qui expéctant eum. Pópulus enim Sion habitábit in Jerúsalem: plorans nequáquam plorábis; míserans miserébitur tui: ad vocem clamóris tui, statim ut audíerit, respondébit tibi. Et dabit vobis Dóminus panem arctum, & aquam brevem; & non fáciet avoláre à te ultrà doctórem tuum: & erunt óculi tui vidéntes præceptórem tuum.

℟. Propè est ut véniat. *ut in secundo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

EGrédere, dices ei; & dábitur plúvia sémini tuo, ubicúmque semináveris in terra: & panis frugum terræ erit ubérrimus & pinguis. Pascétur in possessióne tua in die illâ agnus spatiósè; & tauri tui, & pulli asinórum, qui operántur terram: commíxtum migma cómedent sicut in área ventilátum est. Et erunt super omnem montem excélsum, & super omnem collem elevátum; rivi curréntium aquárum in die interfectiónis multórum: cum cecíderint turres.

℟. Descéndet Dóminus.

Lectio iij. Nisi alia dicenda sit secundùm superiorem Rubricam.

ET erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septemplíciter sicut lux septem diérum; in die qua alligáverit Dóminus vulnus pópuli sui: & percussúram plagæ ejus sanáverit. Ecce nomen Dómini venit de longínquo, ardens furor ejus, & gravis ad portándum; lábia ejus repléta sunt indignatióne: & lingua ejus quasi ignis dévorans. Spíritus ejus velut torrens inúndans usque ad médium colli; ad perdéndas gentes in níhilum: & frænum erróris quod erat in maxillis populórum.

℟. Veni Dómine.

Ad Benedictus, Aña. Estóte paráti símiles homínibus expectántibus Dóminum suum, quando revertátur à núptiis.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Ad Magnificat, Aña. Eleváre, eleváre, consúrge Jerúsalem; solve víncula colli tui captíva fília Siõ.

Nisi dicenda sit Aña. O.

Deinde dicuntur magnæ Preces ut in Psalt. 154.

FERIA QUARTA.

Quatuor Temporum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia de Homil. seq.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 31.

VÆ qui descéndunt in Ægyptum ad auxílium, in equis sperántes; & habéntes fidúciam super quadrígis, quia multæ sunt: & super equítibus; quia præválidi nimis: & non sunt confísi super Sanctum Israël, & Dóminum non requisiérunt. Ipse autem sápiens addúxit malum; & verba sua non ábstulit: & consúrget contra domum péssimórum, & contra auxílium operántium iniquitátem. Ægyptus homo & non Deus; & equi eórum, caro & non spíritus: & Dóminus inclinábit manum suam, & córruet auxiliátor; & cadet cui præstátur auxílium: simúlque omnes consuméntur.

℟. Clama in fortitúdine qui annúncias pacem in Jerúsalem: dic civitátibus Judæ, & habitatóri-

bus Sion: ecce Deus noster', * Quem expectámus, advéniet. ℣. Dóminus enim Judex noster, Dóminus légifer noster, Dóminus Rex noster. Quem.

Lectio ij.

QUia hæc dicit Dóminus ad me. Quomodo si rúgiat leo, & cátulus leónis super prædam suã; & cum occúrrerit ei multitúdo pastórum: à voce eórum non formidábit, & à multitúdine eórum non pavébit. Hic descéndet Dóminus exercítuum: ut præliétur super montem Sion, & super collem ejus. Sicut aves volántes: sic próteget Dóminus exercítuum Jerúsalem: prótegens & liberans, tránsiens & salvans. Convertímini sicut in profúndum recesserátis: filii Israël. In die enim illa abjíciet vir Idóla argénti sui; & Idóla auri sui: quæ fecérunt vobis manus vestræ in peccátum.

℟. Docébit nos Dóminus vias suas, & ambulábimus in sémitis ejus. * Quia de Sion exíbit lex, & verbum Dómini de Jerúsalem. ℣. Domus Jacob veníte, & ambulémus in lúmine Dómini. Quia de.

Lectio iij. Cap. 32.

GAúdium onagrórum, páscua gregum; donec effundátur super nos spíritus de excélso: & erit desértum in Charmel, & Charmel in saltum reputábitur. Et habitábit in solitúdine judícium: & justítia in Charmel sedébit. Et erit opus justítiæ pax: & cultus justítiæ siléntium; & secúritas: usque in sempitérnum. Et sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis; & in tabernáculis fidúciæ: & in réquie opuléntа.

℟. Vidébunt gentes justum tuum, & cuncti reges ínclytum tuum: * Et vocábitur tibi nomen novum. * Quod os Dómini nominávit. ℣. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. Et vocábitur. Glória Patri. Quod os Dómini.

Léctio sancti Evangélii: secúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 1.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriël à Deo

Deo in civitátem Galilææ; cui nomen Nazareth: ad Vírginem desponsátam viro: cui nomen erat Joseph, de domo David: & nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit. Ave grátia plena; Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósij Epíscopi.

Lib. 2. in Lucam.

Latent quidem divína mystéria; nec fácilè juxta prophéticum dictũ, quisquam hóminum scire potest consílium Dei: sed tamen ex cæteris factis atque præcéptis Dómini Salvatóris póssumus intellígere; & hoc propensióris fuísse consílii, quod ea potíssimùm elécta est ut Dóminum páreret: quæ erat desponsáta viro. Cur autem non ántequam desponsarétur, impléta est? Fortásse ne dicerétur, quòd concéperat ex adultério. Et ingréssus ad eam Angelus. Disce Vírginem móribus; disce Vírginem verecúndia; disce Vírginem oráculo: disce mystério. Trepidáre Vírginum est, & ad omnes viri ingréssus pavére: omnes viri affátus veréri. Discant mulíeres propósitum pudóris imitári. Sola in penetrálibus, quam nemo virórum víderit, solus Angelus repérerit; sola sine cómite, sola sine teste, ne quo degénere depravarétur affátu: ab Angelo salutátur. Tanti enim mandáti mystérium non hóminis fuit: sed Angeli ore proméndum. Hodiè primùm audítur: Spíritus sanctus supervéniet in te. Et audítur, & créditur. Dénique, Ecce, inquit, ancílla Dómini: contingat mihi secúndùm verbum tuum. Vide humilitátem; vide devotiónem; Ancíllam se dicit Dómini, quæ mater elígitur: nec repentíno exaltáta promísso est.

Si hac Feria incidit in diem 17. Decembris, vel in sequentes, prima Lectio erit de Scriptura occurrente; secunda de Sermone S. Ambrosii, tertia de Homil.

Ad Benedictus, Antiph. Missus est Gábriël Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus ' ut redemptiónis nostræ ventúra solémnitas ; & præséntis nobis vitæ subsídia cónferat ' & ætérnæ beatitúdinis præmia largiátur. Per Dóminum.

Hæc Oratio dicitur ad Laudes tantùm.

Hòdie ante secundas Litanias (si dicendæ sint) Aña. Dómine non est álius Deus præter te, cui de ómnibus cura est, eò quòd ómnium Dóminus sis : parce pópulo tuo : qui das peccántibus pœniténtiam, ut convertátur malítia in bonitátẽ, allel.

Ad Magnificat, Antiph. Ecce ancílla Dómini : fiat mihi secúndùm verbum tuum. *Nisi dicenda sit Antiphona.* O.

Post Preces, 154. *dicitur Oratio Dominicæ præcedentis*, Aurem tuam. *ut suprà.*

FERIA QUINTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 33.

VÆ qui prædáris ; nonne & ipse prædáberis ' Et qui spernis ; nonne & ipse sperněris ? cùm consummáveris deprædatiónem, deprædáberis ' cùm fatigátus desíeris contémnere, contemnéris. Dómine miserére nostri, te enim expectávimus ; esto bráchium nostrum in manè ' & salus nostra in témpore tribulatiónis.

℟. Ecce apparébit. *ut in primo Nocturno Dominicæ præcedentis.* 217.

Lectio ij.

A Voce Angeli fugérunt pópuli ' & ab exaltatióne tua dispérsæ sunt gentes. Et congregabúntur spólia vestra sicut collígitur bruchus ' velut cùm fossæ plenæ fúerint de eo. Magnificátus est Dóminus ; quóniam habitávit in excélso ' implévit Sion judício, & justítia. Et erit fides in tempóribus tuis ; divítiæ salútis, sapiéntia & sciéntia ' timor Dómini ipse est thesáurus ejus.

℟. Béthleem.

Lectio iij. Nisi ejus loco alia dicenda sit secundùm superiorem Rubricam.

Luxit

LUxit & elánguit terra; confúsus est Líbanus, & obsórduit, & factus est Saron sicut desértum: & concússa est Basan & Carmélus. Nunc consúrgam dicit Dóminus; nunc exaltábor: nunc sublevábor. Concipiétis ardórem, pariétis stípulam; spíritus vester ut ignis vorábit vos: & erunt pópuli quasi de incéndio cinis; spinæ congregátæ igni cōburéntur. Audíte, qui longè estis quæ fécerint: & cognóscite vicíni fortitúdinem meam.

℟. Qui ventúrus est.

Ad Benedictus, Aña. Dies Dómini sicut fur in nocte ita véniet: & vos estóte paráti, quia qua hora non putátis filius hóminis véniet.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

Ad Magnificat, Aña. Dabit ei Dóminus sedem David patris ejus, & regnábit in domo Jacob in ætérnum.

Nisi dicenda sit Aña O.

Deinde dicuntur magnæ Preces. 154.

FERIA SEXTA.

Quatuor Temporum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia de Homil. seq.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 33.

COntérriti sunt in Sion peccatóres: possédit tremor hypócritas. Quis póterit habitáre de vobis cum igne devoránte? quis habitábit ex vobis cum ardóribus sempitérnis? Qui ámbulat in justítiis, & lóquitur veritátem; qui prójicit avarítiam ex calúmnia, & éxcutit manus suas ab omni múnere: qui obdúrat aures suas ne áudiat sánguinem, & claudit óculos suos ne vídeat malum. Iste in excélsis habitábit; muniménta Saxórum sublímitas ejus: panis ei datus est, aquæ ejus fidéles sunt. Regem in decóre suo vidébunt: óculi ejus cernent terram de longè.

℟. Emítte agnum Dómine dominatórem terræ, de petra desérti * Ad montem filiæ Sion.

℣. Ex Sion spécies decóris ejus, Deus noster manifèstè véniet. Ad montem.

Lectio ij.

RESpice Sion civitátem solemnitátis nostræ; óculi tui vidébunt Jerúsalem: habitatiónem opuléntam; tabernáculum quod nequáquam transférri póterit: nec auferéntur clavi ejus in sempitérnum; & omnes funículi ejus non rumpéntur: quia solúmmodò ibi magníficus est Dóminus noster. Locus fluviorum, rivi latíssimi & paténtes: non transíbit per eum navis rémigum; neque trirémis magna transgrediétur eum. Dóminus enim judex noster; Dóminus légifer noster, Dóminus Rex noster: ipse salvábit nos.

℟. Roráte cæli désuper, & nubes pluant justum: * Aperiátur terra & gérminet Salvatórem. ℣. Læténtur cæli & exúltet terra, commoveátur mare & plenitúdo ejus. Aperiátur.

Lectio iij. Cap. 34.

Nisi ejus loco alia dicenda sit secundùm sup. Rubric.

ACcédite gentes & audíte, & pópuli atténdite; áudiat terra & plenitúdo ejus: orbis & omne germen ejus. Quia indignátio Dómini super omnes gentes; & furor super univérsam milítiam eórum: interfécit eos, & dedit eos in occisiónem. Interfécti eórum projiciéntur; & de cadavéribus eórum ascéndet fœtor: tabéscent montes à sánguine eórum. Et tabéscet omnis milítia cælórum; & complicabúntur sicut liber cœli: & omnis milítia eórum défluet, sicut défluit fólium de vínea & de ficu.

℟. Veni Dómine & noli tardáre, reláxa facínora plebis tuæ, * Et révoca dispérsos in terram suam. ℣. A solis ortu & occásu, ab Aquilóne & mari. Et révoca. Glória. Et révoca.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap 1.

IN illo témpore: Exúrgens María ábiit in montána cum festinatióne; in civitátem Juda: & intrávit in domum Zacharíæ, & salutávit Elizabet. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elízabeth: exultávit infans in útero ejus, &

replétæ

repléta est Spíritu sancto Elízabeth. Et réliqua.

Homília S. Euchérii Lugdunénsis Epíscopi.

Homil. in super Evang.

VIrgo Deo plena ad montána conscéndit; Superióra petit, jam non in terris, sed in cælis mente hábitat: & spíritu conversátur. Festínat, própe-rat, nihil negligénter agit; Domum religiósam ingréditur, justam cópulam & sine queréla incedéntem vidére desíderat: suæque humilitátis & mansuetúdinis signa maniféstat. María ad Elízabeth: Christus ad Joánnem. Dómina ad Ancíllam; ad servum Dóminus: veníre non dedignátur. Hoc enim quid aliud est, quàm humilitátis exémplum? Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elízabeth: exultávit in gáudio, infans in útero ejus. Dic infans; Dic Prophetárum ómnium máximè; qui dignè satis non Prophéta: sed plusquàm Prophéta vocáberis. Unde tibi hæc exultátio? nondum natus es: & Prophétas. Matrem Dómini in voce cognóscis; quam, quia resalutáre non potes: exultándo agis quod potes. Quàm lætus ei occúrreres; si jam natus eam vidéres: cujus voce audíta, exultándo óbviam exíre conáris. Et repléta est Spíritu sancto Elízabeth: & exclamávit voce magna & dixit. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Priùs filius; deinde mater per filium: replétur Spíritu sancto. Filius intùs latens: docet quid mater extériùs ágere débeat.

Si hæc Feria incidit in diem 17. Decembris, vel in sequentes, prima Lectio erit de Scriptura occurrente: Secunda de Sermone S. Ambrosij: Tertia de Homilia. Sic etiam in Sabbato sequenti.

Ad Benedictus, Antiph. Omnes sitiéntes veníte ad aquas, quærite Dominum dum inveniri potest, allel.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

Orémus. *Oratio.*

EXcita, quæsumus Dómine, poténtiam tuam, &

& veni; ut hi, qui in tua pietáte confidunt, ab omni cítiùs adversitáte liberéntur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Et dicitur ad Laudes tantùm.

Hodie ante Tertias Litanias (si dicendæ sint) Antiphona. Exáudi Dómine deprecatiónem servórum tuórum, & miserére pópulo tuo, ut sciant omnes gentes, quia non est Deus nisi tu: miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Dómine Deus noster, allelúia, allel.

Ad Magnificat, Antiph. Joseph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est, allel.

Nisi dicenda sit Aña. O.

Post Preces dicitur Oratio Dominicæ præcedentis.

SABBATO.

Quatuor Temporum.

Duæ primæ Lect. de Script. occur. 3. de Homil. seq.

De Isaía Prophéta.

Lect. j. Cap. 34.

QUóniam inebriátus est in cælo gládius meus; Ecce super Idumæam descéndent, & super pópulum interfectiónis meæ, ad judícium. Gládius Dómini replétus est sánguine; incrassátus est ádipe de sánguine agnórum & hircórum, de sánguine medullatórum aríetum: víctima enim Dómini in Bosra, & interféctio magna in terra Edom. Et descéndent unicórnes cum eis, & tauri cum poténtibus; inebriábitur terra eórum sánguine, & humus eórum ádipe pínguium: quia dies ultiónis Dómini annus retributiónis judícii Sion.

℟. Appáruit Angelus Dómini Joseph in somnis dicens: ne timúeris accípere Maríam cónjugem tuam: * Quod enim in ea natum est de Spíritu sancto est. ℣. Ecce Virgo in útero habébit, & páriet filium: & vocábitur nomen ejus Emmánuël. Quod enim in ea.

Lectio ij.

ET converténtur torréntes ejus in picem; & humus ejus in sulphur: & erit terra ejus in picem ardéntem. Nocte & die non extinguétur: in sempitérnum ascéndet fumus ejus:

ejus ; à generatióne in generatiónem desolábitur : in sæcula sæculórum non erit tránsiens per eam. Et possidébunt illam Onocrótalus & Erícius ; Ibis, & corvus habitábunt in ea : & extendétur super eam mensúra, ut redigátur ad níhilum, & perpendículum in desolatiónem. Nóbiles ejus non erunt ibi ; regem pótius invocábunt : & omnes príncipes ejus erunt in níhilum.

℞. Confortámini, & jam nolíte timére ; ecce Deus vester citò véniet : * Et salvos nos fáciet. ℣. Ecce Deus noster ultiónem addúcet, retributiónis Deus ipse véniet. Et salvos.

Lectio iij. Nisi ejus loco alia dicenda sit secundùm sub. Rubric.

ET oriéntur in dómibus ejus spinæ, & urtícæ ; & paliúrus in munitiónibus ejus : & erit cubíle dracónum, & páscua struthiónum. Et occúrrent dæmónia onocentáuris ; & pilósus clamábit alter ad álterum : ibi cubávit lámia & invénit sibi réquiem. Ibi hábuit fóveam erícius, & enutrívit cátulos ; & circumfódit, & fovit in umbra ejus : illuc congregáti sunt milvi, alter ad altérum. Requírite diligéntes in libro Dómini, & légite ; unum ex eis non défuit ; alter altérum non quæsívit : quia quod ex ore meo procédit, ille mandávit, & spíritus ejus ipse congregávit ea.

℞. Ecce vénio citò, & merces mea mecum est, dicit Dóminus : * Dare unicuíque secúndùm ópera sua. ℣. Hæc verba fidelíssima & vera sunt : & ecce vénio velóciter. Dare unicuíque. Glória Patri. Dare unicuíque.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 3.

ANno quintodécimo Imperii Tibérii Cæsaris, procuránte Póntio Piláto Judæam, Tetrárcha autem Galilææ Heróde ; Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Itureæ & Trachonítidis regionis ; & Lysánia Abilínæ Tetrarcha ; sub Princípibus Sacerdótum Anna & Caïpha : factum est Verbum Dómini super Joánnem

Zacháriæ

Zacháriæ filium in desérto. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

Homil. 20. in Evangel.

REdemptóris nostri Præcúrsor, quo témpore prædicatiónis officium accéperit ' memoráto Romanæ Reipúblicæ Príncipe, & Judææ régibus, designátur. Quia enim illum prædicáre, veniébat ' qui & ex Judæa quosdam, & multos ex géntibus redemptúrus erat; per regem Géntium, & Príncipes Judæórum ' prædicatiónis ejus témpora designántur. Quia autem Gentílitas colligénda erat, & Judæa pro culpa perfidiæ dispergénda; ipsa quoque descríptio terréni principátus osténdit, quóniam & in Romána República unus præfuísse descríbitur ' & in Iudææ regno per quartam partem plúrimi principabántur. Voce étenim Redemptóris nostri dícitur ' Omne regnum in seípsum divísum desolábitur Liquet ergò, quòd ad finé regni Judæa, pervénerat ' quæ tot régibus divísa subjacébat. Aptè quoque non solùm sub quibus régibus; sed sub quibus étiam Sacerdótibus actum sit, demonstrátur ' ut quia illum Joánnes Baptísta prædicáret, qui simul Rex & Sacérdos exísteret; Lucas Evangelísta prædicatiónis ejus témpora ' per regnum & sacerdótium designáret.

A D L A U D E S.

Antiphonæ cum Psalmis Sabbati secundùm superiorem Rubricam.

Ad Benedictus, Antiph. Super te, Jerúsalem oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur.

Deinde dicuntur magnæ preces, ut in Psalt. 73.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui cónspicis, quia ex nostra pravitáte afflígimur; concéde propítius ' ut ex tua visitatióne consolémur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Et dicitur ad Laudes tantùm.

A D V E S P E R A S.

Capitulum. 1. Cor. 4.

SIc nos exístimet homo, ut minístros Christi, & dispensatóres mysterio rum

riórum Dei; Hic jam quæritur inter diſpenſatóres: ut fidélis quis inveniátur.

℣. Roráte cæli déſuper, & nubes pluant juſtum

℟. Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem.

Aña ad Magníficat. *una ex majoribus.* O.

Orémus. *Oratio.*

EXcita Dómine poténtiam tuam, & veni: & magna nobis virtúte ſuccúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod noſtra peccáta præpédiunt: indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Ad Primam Proceſſionem.

℟. Cánite tuba. *ut infrà in primo Nocturno.*

Oratio. Excita Dómine poténtiam. *ut ſuprà.*

Ad ſecundam Proceſſionem

℟. Non auferétur. *ut infr.*

Oratio. Conſciéntias. *ut ſuprà.* 191.

DOMINICA IV.

Adventûs.

Ad Matutinum, Invitat. Regem ventúrum Dóminum, Veníte adorémus. *Pſalmus.* Veníte 2.

In primo Nocturno.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 35.

LÆtábitur deſérta & ínvia; & exultábit ſolitúdo: & florébit quaſi lílium. Gérminans germinábit: & exultábit lætabúnda & laudans. Glória Líbani data eſt ei; decor Carméli & Saron: ipſi vidébunt glóriam Dómini, & decórem Dei noſtri. Confortáte manus diſſolútas: & génua debília roboráte. Dícite puſillánimis: Confortámini, & nolíte timére. Ecce Deus veſter ultiónem addúcet; retributiónis Deus ipſe véniet: & ſalvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum: & aures ſurdórum patébunt. Tunc sáliet ſicut cervus claudus, & apérta erit lingua mutórum; quia ſciſſæ ſunt in deſérto aquæ, & torréntes in ſolitúdine: & quæ erat árida, erit in ſtagnum, & ſítiens in fontes aquárum.

℟. Cánite tuba in Sion, vocáte gentes, annunciáte pópulis, * Et dícite: Ecce Deus Salvátor noſter advéniet. ℣. Congregáte ſenes, omnes habitatóres terræ, in domum Dei noſtri.

ſtri. Et dícite.

Lectio ij.

IN cubílibus, in quibus priùs dracónes habitábant: oriétur viror cálami & junci. Et erit ibi sémita & via, & via ſancta vocábitur; non transíbit per eam pollútus: & hæc erit vobis diréćta via, ita ut ſtulti non errent per eam. Non erit ibi leo, & mala béſtia non aſcéndet per eam, nec inveniétur ibi; & ambulábunt qui liberáti fúerint, & redémpti à Dómino: converténtur, & vénient in Sion cum laude. Et lætítia ſempitérna ſuper caput eórum; gáudium & lætítiam obtinébunt: & fúgiet dolor & gémitus.

℞. Non auferétur Sceptrum de Juda, & dux de fémore ejus, donec véniat qui mitténdus eſt: * Et ipſe erit expectátio géntium. ℣. Pulchrióres ſunt óculi ejus vino, & dentes ejus, lacte candidióres. Et ipſe erit.

Lectio iij.

TAceant ad me Inſulæ, & gentes mutent fortitúdinem; accédant, & tunc loquántur: ſimul ad judícium propinquémus. Quis ſuſcitávit ab Oriénte juſtum; vocávit eum ut ſequerétur ſe? Dabit in conſpéctu ejus gentes, & reges obtinébit; dabit quaſi púlverem gládio ejus: ſicut ſtípulam vento raptam árcui ejus. Perſequétur eos; transíbit in pace: sémita in pédibus ejus non apparébit. Quis hæc operátus eſt, & fecit; vocans generatiónes ab exórdio? Ego Dóminus, primus, & noviſſimus ego ſum.

℞. Me opórtet minui, illum autem créſcere: * Qui poſt me venit, ante me factus eſt: * Cujus non ſum dignus córrigiam calceamentórũ sólvere. ℣. Hoc eſt teſtimónium, quod perhíbuit Joánnes. Qui poſt me. Glória Patri. Cujus non ſum.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Leónis Papæ.

Serm. 1. de Jejunio decimi menſis, & collectis.

Lectio iv.

SI fidéliter, Dilectíſſimi, atque ſapiénter creatiónis noſtræ intelligámus exórdium; inveniémus hóminem ideò ad imági

imáginem Dei cónditum, ut imitátor sui esset auctóris: & hanc esse naturálem nostri géneris dignitátem; si in nobis, quasi in quodam spéculo: divínæ benignitátis forma respléndeat. Ad quam quotídiè nos útique réparat grátia Salvatóris; dum quod cécidit in Adam primo: erígitur in secúndo.

℟. Virgo Israël revértere ad civitátes tuas: úsquequò dolens avertéris? generábis Dóminum Salvatórem, oblationem novam in terra: * Ambulábunt hómines in salvatiónem. ℣. Revertétur Jacob & quiéscet: prosperábitur & non erit, qui extérreat. Ambulábunt.

Lectio v.

CAusa autem reparatiónis nostræ non est nisi misericórdia Dei; quem non diligerémus, nisi priùs nos ipse dilígeret: & ténebras ignorántiæ nostræ, suæ veritátis luce discúteret. Quod per sanctum Isaíam, Dóminus denúncians, ait. Addúcam cœcos in viam, quam ignorábant; & sémitas, quas nesciébant, fáciam illos calcáre: fáciam illis ténebras in lucem, & prava in dirécta. Hæc verba fáciam illis: & non relínquam eos. Et íterùm; Invéntus sum, inquit, à non quæréntibus me: & palàm appárui iis, qui me non interrogábãt.

℟. Jurávi, dicit Dóminus, ut ultrà jam non iráscar super terram: montes enim & colles suscípient justítiam meam: * Et testaméntum pacis erit in Jerúsalem. ℣. Asúment montes pacem pópulo: & colles justítiam. Et testaméntum.

Lectio vj.

QUod quómodò implétum sit: Joánnes Apóstolus docet, dicens. Scimus quóniam Fílius Dei venit; & dedit nobis sensum, ut cognoscámus verum: & simus in vero Fílio ejus. Et íterùm; nos ergò diligámus Deum: quóniam ipse prior diléxit nos. Diligéndo ítaque nos Deus, ad imáginem suam nos réparat; & ut in nobis formam suæ bonitátis invéniat: dat unde ipsi quoque quod operátur, operémur. Accéndens scili

Et erit omnis. *Lect. viij.*

SEd quia jam peccávimus; quia usu malæ consuetúdinis involúti sumus; dicat quid nobis faciéndum sit? ut fúgere à ventúra ira valeámus. Séquitur. Fácite ergò fructus dignos pœniténtiæ. In quibus verbis notándum est, quòd amícus sponsi; non solùm fructus pœniténtiæ, sed dignos pœniténtiæ? ádmonet esse faciéndos. Aliud namque est fructum fácere pœniténtiæ? áliud dignum pœniténtiæ fructum fácere. Ut enim secúndùm dignos pœniténtiæ fructus loquámur; sciéndum est, quia quisquis illícita nulla commísit; huic jure concéditur, ut lícitis utátur? Sicque pietátis ópera fáciat; ut tamen si volúerit? ea quæ mundi sunt non relínquat.

℟. Egrediétur Dóminus, & præliábitur contra gentes: * Et stabunt pedes ejus super montem olivárum, ad Oriéntem. Et véniet Dóminus Deus meus, omnésque Sancti ejus cum eo. Et stabunt.

Lectio ix.

AT si quis in fornicatiónis culpam; vel fortásse, quod est gráviùs, in adultérium lapsus est? tanto à se lícita debet abscíndere; quanto se méminit? & illícita perpetrásse. Neque enim par fructus boni óperis esse debet, ejus qui minùs, & ejus qui ámpliùs delíquit? aut ejus qui in nullis; & ejus qui in quibusdam facinóribus cécidit? & ejus qui in multis est lapsus. Per hoc ergò quod dícitur; Fácite fructus dignos pœniténtiæ? uniuscujúsque consciéntia convenítur; ut tantò majóra acquírat bonórum óperum lucra per pœniténtiam? quantò gravióra sibi íntulit damna per culpam.

℟. Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet: * Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus, * Et fides cinctórium renum ejus. ℣. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini, Spíritus sapiéntiæ & intelléctus. Et erit justítia. Glória Patri. Et erit justítia.

AD LAUDES.

Antiphona. Cánite tuba in Sion, quia propè est dies Dómini; ecce véniet ad salvándum nos, allelúia, allelúia. *Psalm.* Dóminus regnávit. *cum reliq.*

Aña. Ecce véniet desiderátus cunctis géntibus, & replébitur glóriâ domus Dómini, allelúia.

Aña. Erunt prava in dirécta, & áspera in vias planas; veni Dómine, & noli tardáre, allelúia.

Aña. De Sion exíbit lex, & verbum Dómini de Jerúsalem.

Aña. Parátus esto Israël in occúrsum Dómini quóniam venit.

Capitulum. 1. Cor. 4.

SIc nos exístimet homo, ut Minístros Christi, & dispensatóres mysterióрum Dei; Hîc jam quæritur inter dispensatóres ꝉ ut fidélis quis inveniátur.

℣. Emítte agnum Dómine, dominatórem terræ.

℟. De petra desérti ad montem filiæ Sion.

Ad Benedictus, Antiph. Hoc est testimónium, quod perhíbuit Joánnes, qui post me venit, ante me factus est.

Orémus. *Oratio.*

EXcita Dñe potêntiam tuam & veni ꝉ & magna nobis virtúte succúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt ꝉ indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret. Qui vivis & regnas.

Ad Tertiam. Capitulum. Sic nos exístimet. *ut sup.*

℟. Veni ad liberándum nos, Dñe Deus virtútum. Veni. ℣. Et osténde fáciē tuam, & salvi érimus. Veni. Glória. Veni. ℣. Timébunt gentes nomen tuum Dómine. ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam.

Orémus. *Oratio.*

EXcita, quæsumus Dómine potêntiam tuam & veni ꝉ & quod Ecclésiæ tuæ promisísti ꝉ usque in finem sæculi cleménter operáre. Qui vivis & regnas.

Ad Sextam, Cap. 1. Cor. 4.

MIhi autem pro mínimo est, ut à vobis júdicer; aut ab humáno die ꝉ Sed neque me ipsum júdico.

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis. Glória Patri. ℣. Meménto

ménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Orémus. *Oratio.*

COnsciéntias nostras, quæsumus Dómine visitándo purífica; ut véniens Jesus Christus, Fílius tuus Dóminus noster: parátam sibi in nobis invéniat mansiónem. Qui tecum vivit, & regnat.

Ad Nonam, Cap. 1. Cor. 4.

ITáque nolíte ante tempus judicáre, quoadusque véniat Dóminus: qui & illuminábit abscóndita tenebrárum, & manifestábit consília córdium: & tunc laus erit unicuíque à Deo.

℟. Super te, Jerúsalem oriétur Dóminus. ℣. Et glória ejus in te vidébitur. Glória Patri. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Orémus. *Oratio.*

PRopè esto Dómine, ómnibus expectántibus te in veritáte; ut in advéntu filii tui, Dómini nostri: plácitis tibi áctibus præsentémur. Per eúmdem Dóminum.

AD VESPERAS.

Aña & Psalmus. Dixit Dóminus. *cum reliquis de Psalterio.* 148.

Capitulum. Sic nos exístimet. *ut suprà.*

℣. Roráte cœli désuper.

Ad Magnificat, Aña. O.

Oratio. Excita Dómine. *ut suprà ad Laudes.*

Ad Processiones dicuntur primum & secundum ℟. sequentis Feriæ ij. & Orationes ut in Sabbato ante primam Dominicam Adventûs.

FERIA SECUNDA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 41.

ET tu Israël serve meus, Jacob quem elégi, semen Abraham amíci mei; in quo apprehéndi te ab extrémis terræ, & à longínquis ejus vocávi te, & dixi tibi: Servus meus es tu, élegi te, & non abjéci te. Ne tímeas, quia ego tecum sum: ne declínes, quia ego Deus tuus; confortávi te, & auxiliátus sum tibi: & suscépit te déxtera justi mei.

℟. Cánite tuba. *ut in primo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio

Lectio ij.

ECce confundéntur & erubéſcent ómnes qui pugnant advérsùm te: erunt quaſi non ſint, & períbunt viri, qui contradícunt tibi. Quæres eos, & non invénies; viros rebelles tuos: erunt quaſi non ſint, & véluti consúmptio hómines bellántes advérsùm te. Quia ego Dóminus Deus tuus apprehéndens manum tuam; dicénſque tibi: Ne tímeas, ego adjúvi te.

℟. Non auferétur.

Lectio iij. Niſi ejus loco alia dicenda ſit ſecundùm ſuperiorem Rubric.

NOli timére vermis Jacob, qui mórtui eſtis ex Iſraël: ego auxiliátus ſum tibi; dicit Dóminus: & Redémptor tuus ſanctus Iſraël. Ego póſui te, quaſi pláuſtrum tritúrans novum habens roſtra ſerrántia; triturábis montes, & comminúes: & colles quaſi púlverem pones. Ventilábis eos, & ventus tollet; & turbo diſpérget eos: & tu exultábis in Dómino, in ſancto Iſraël lætáberis.

℟. Me opórtet mínui.

AD LAUDES.

Añæ ſecundum ſuperiorem Rubricam. Pſalmus. Miſerére. *cum reliquis de Pſalterio. 69.*

Capitulum. Iſaiæ 7.

ECce Virgo concípiet, & páriet Fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuël: bútyrum & mel cómedet; ut ſciat reprobáre malum: & elígere bonum.

℣. Emítte Agnum Dómine dominatórem terræ.

℟. De petra desérti ad montem filiæ Sion.

Ad Benedictus, Antiph. Dicit Dóminus, Pœniténtiam ágite: appropinquávit enim regnum cœlórum, allelúia.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

AD VESPERAS.

Aña. Inclinávit Dñs. *Pſal.* Diléxi. *cum reliquis de Pſalterio. 152.*

Capitulum. Iſaiæ 11.

EGrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet*; & requiéſcet ſuper eum Spíritus Dómini, Spíritus ſapiéntiæ & intelléctus; Spíritus consílii & fortitúdinis; Spíritus ſciéntiæ

tiæ & pietátis : & replébit eum Spíritus timóris Dómini.

℣. Roráte cœli désuper, & nubes pluant justum.

℞. Aperiátur terra, & gérminet salvatórem.

Ad Magnificat, Aña. O.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

FERIA TERTIA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 42.

ECce servus meus, suscípiam eum ; eléctus meus, complácuit sibi in illo ánima mea : dedi Spíritum meum super eum, judícium géntibus próferet. Non clamábit, neque accípiet persónam : nec audiétur vox ejus foris. Cálamum quassátum non cónteret ; & linum fúmigans non extínguet : in veritáte edúcet judícium. Non erit tristis, neque turbuléntus ; donec ponat in terra judícium : & legem ejus ínsulæ expectábunt.

℞. Virgo Israël. *ut in secundo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

HÆc dicit Dóminus Deus creans cælos, & extLéndens eos ; firmans terram, & quæ gérminant ex ea : dans flatum pópulo, qui est super eam, & spíritum calcántibus eam. Ego Dóminus vocávi te in justítia ; & apprehéndi manum tuam : & servávi te. Et dedi te in fœdus pópuli, in lucem géntium ; ut aperíres óculos cœcórum, & edúceres de conclusióne vinctum : de domo cárceris, sedéntes in ténebris.

℞. Jurávi.

Lectio iij. Nisi ejus loco alia dicenda sit secundùm superiorem Rubricam.

CAntáte Dómino cánticum novum, laus ejus ab extrémis terræ ; qui descénditis in mare, & plenitúdo ejus : ínsulæ, & habitatóres eárum. Sublevétur desértum, & civitátes ejus ; in dómibus habitábit Cedar : laudáte habitatores petræ, de vértice móntium clamábunt. Ponent Dómino glóriam : & laudem ejus in ínsulis nunciábunt. Dóminus sicut vir præliátor suscitábit zelum ; vociferábitur & clamábit : super inimí-

cos suos confortábitur.

℟. Non discédimus.

AD LAUDES.

Antiphonæ secundùm superiorem Rubricam.

Ad Benedictus, Antiph. Consúrge, consúrge: indúere fortitúdinem bráchium Dómini.

Deinde dicuntur magnæ preces. 73.

*Ad Magnificat, Aña.*O.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

FERIA QUARTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 51.

AUdite me, qui sequímini quod justum est, & quęritis Dóminum: atténdite ad petram unde excísi estis: & ad cavérnam laci, de qua præcísi estis. Atténdite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Sarã quæ péperit vos: quia unum vocávi eum; & benedíxi ei: & multiplicávi eum. Consolábitur ergo Dóminus Sion, & consolábitur omnes ruínas ejus; & pones desértum ejus quasi delícias: & solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. Gáudium & lætítia inveniétur in ea; gratiárum actio: & vox laudis.

℟. Oriétur stella. *ut in tertio Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

ATténdite ad me pópule meus, & tribus mea audíte; quia lex à me éxiet: & judícium meum in lucem populórum requiéscet. Propè est justus meus, egréssus est Salvátor meus; & bráchia mea pópulos judicábunt: me ínsulæ expectábunt, & bráchium meum sustinébunt. Leváte in cœlum óculos vestros, & vidéte sub terra deórsùm; quia cæli sicut fumus liquéscent, & terra sicut vestiméntum atterétur; & habitatóres ejus sicut hæc interíbunt: salus autem mea in sempitérnum erit, & justítia mea non defíciet.

℟. Egrediétur Dóminus.

Lectio iij. Nisi ejus loco alia dicenda sit secundùm superiorem Rubricam.

AUdíte me qui scitis justũ; pópulus meus, lex mea in corde eórum: nolíte timére oppróbrium hóminum, & blasphémias eórum ne metuátis. Sicut enim

enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis; & sicut lanam, sic devorábit eos tínea: salus autem mea in sempitérnum erit, & justítia mea in generatiónes generatiónum.

℟. Egrediétur virga.

A D L A U D E S,

Antiphonæ secundùm superiorem Rubricam.

Ad Benedictus, Antiph. Dabo in Sion salútem, & in Jerúsalem glóriam meam, allelúia.

Deinde dicuntur magnæ Preces. 73.

Ad Magnificat, Aña. O.

Deinde dicuntur magnæ preces. 154.

FERIA QUINTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 64.

UTinam dirúmperes cælos, & descénderes: à fácie tua montes defluérent. Sicut exústio ignis tabéscerent; aquæ ardérent igni; ut notum fieret nomen tuum inimícis tuis: à fácie tua gentes turbaréntur. Cùm féceris mirabília, non sustinébimus; descendisti: & à fácie tua montes defluxérunt. A sæculo non audiérunt, neque áuribus percepérunt; óculus non vidit, Deus absque te: quæ præparásti expectántibus te.

℟. Cánite tuba. *ut in primo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

OCcurrísti lætánti, & faciénti justítiam: in viis tuis recordabúntur tui; ecce tu irátus es, & peccávimus: in ipsis fúimus semper, & salvábimur. Et facti sumus ut immúndus omnes nos: & quasi pannus menstruátæ univérsæ justítiæ nostræ; & cecídimus quasi fólium univérsi: & iniquitátes nostræ quasi ventus abstulérunt nos. Non est qui ínvocet nomen tuum: qui consúrgat, & téneat te. Abscondísti fáciem tuam à nobis: & allisísti nos in manu iniquitátis nostræ.

℟. Non auferétur.

Lectio iij. Nisi ejus loco alia dicenda sit secundùm superiorem Rubricam.

ET nunc Dómine, pater noster es tu, nos verò lutum; & fictor noster tu: & ópera mánuum tuárum, omnes nos. Ne irascáris

Dómine ſatis ; & ne ultrà memíneris iniquitátis noſtræ : ecce réſpice , pópulus tuus omnes nos. Cívitas ſancti tui facta eſt desérta ; Sion desérta facta eſt : Jerúſalem deſoláta eſt Domus ſanctificatiónis noſtræ , & glóriæ noſtræ , ubi laudavérunt te patres noſtri ; facta eſt in exuſtiónem ignis : & omnia deſiderabília noſtra verſa ſunt in ruinas. Numquid ſuper his continébis te Dómine : & afflíges nos veheménter.

℟. Me opórtet mínui.

AD LAUDES.

Antiphonæ ſecundùm ſuperiorem Rubricam.

Ad Benedictus, Antiph. Conſolámini , conſolámini pópule meus , dicit Deus veſter.

Deinde dicuntur magnæ Preces. 73.

Ad Magnificat, Aña. O.

Deinde dicuntur magnæ Preces. 154.

FERIA SEXTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 66.

AUdíte Verbum Dómini , qui trémitis ad Verbum ejus ; dixérunt fratres veſtri odiétes vos : & abjiciéntes propter nomen meum. Glorificétur Dóminus & vidébimus in lætítia veſtra : ipſi autem confundéntur. Vox pópuli de civitáte ; vox de tẽplo : Vox Dómini reddéntis retributiónem inimícis ſuis. Antequam parturíret, péperit ; ántequam veníret partus ejus : péperit máſculum. Quis audívit umquam tale ? Et quis vidit huic símile ? Numquid partúriet terra in die una ? aut parturiétur gens ſimul ; quia parturívit & péperit Sion filios ſuos ?

℟. Virgo Iſraël. *ut in ſecundo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

NUmquid ego , qui álios párere fácio ; ipſe non páriam , dicit Dóminus ? Si ego , qui generatiónem céteris tríbuo ; ſtérilis ero , ait Dóminus Deus tuus ? Lætámini cum Jerúſalem , & exultáte in ea omnes qui dilígitis eam ; gaudéte cum ea gáudio univérſi, qui lugétis ſuper eam : ut ſugátis , & repleámini ab ubére conſolatiónis ejus ; ut mulgeátis , & delíciis affluátis

affluátis ' ab omnímoda glória ejus. Quia hæc dicit Dóminus. Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis ; & quasi torréntem inundántem glóriam géntium, quam sugétis ' ad úbera portabímini, & super génua blandiéntur vobis.

℞. Jurávi dixit Dóminus.

Lectio iij. Nisi ejus loco alia dicenda sit secundùm superiorem Rubricam.

QUómodò sícuti mater blandiátur ; ita ego consolábor vos ' & in Jerúsalem consolabímini. Vidébitis, & gaudébit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinábunt; & cognoscétur manus Dómini servis ejus ' & indignábitur inimícis suis. Quia ecce Dóminus in igne véniet, & quasi turbo quadrígæ ejus ; reddére in indignatióne furórem suum, & increpatiónem suam in flammas ignis ' quia in igne Dóminus dijudicábit ; & in gládio suo ad omnem carnem ' & multiplicabúntur interfécti à Dómino.

℞. Non discédimus.

A D L A U D E S.

Secundùm superiorem Rubricam.

Ad Benedictus, Antiph. María autem conservábat ómnia verba hæc cónferens in corde suo.

Deinde dicuntur magnæ Preces. 73.

Ad Magnificat, Antiph. O Emmánuël. 226.

Deinde dicuntur magnæ Preces. 154.

Si Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica, Officium fit hoc modo.

Ad Matutinum, Omnia dicuntur de Dominica Quarta Adventus, usque ad Versiculum tertii Nocturni, qui dicitur de Vigilia: Tres Lectiones tertii Nocturni de Vigilia cum suis Responsoriis, & omittitur Homilia Dominicæ. Similiter ad Laudes, & per Horas celebratur Officium de Vigilia.

I N V I G I L I A
Nativitatis Domini.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem ventúrum Dóminum, veníte adorémus. *Psalmus.* Veníte exultémus.

Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente.

℣. Hódiè sciétis, quia véniet Dóminus.

℟. Et manè vidébitis glóriam ejus.

Sermo sancti Ambrósij Epíscopi

Serm. 6. de Adventu.

Lectio j.

SAtis abundéque dixísse me credo superióre Domínica; quemádmodùm compti vel nítidi Natálem Dómini suscípere debeámus: & superveniéntem Festivitátem ejus, omni ambitióne retinére. Retinére inquam; ut si dies solemnitátis tránseat: apud nos sanctificatiónis ejus beatitúdo permáneat. Hæc enim grátia Natális est Dómini Salvatóris; ut in futúrum ad prædestinátos tránseat: in prætéritum remáneat ad devótos. Opórtet ergò esse nos sanctitáte puros; mundos pudicítia; nítidos honestáte: ut quò diem Festú advenire propinquiùs cérnimus, eò accurátiùs incedámus. Si enim muliérculæ solent áliquas férias susceptúræ, máculas véstium suárum aquâ dilúere; cur non magis nos acceptúri Natálem Dómini, máculas animárum nostrárum flétibus abluámus? Et illæ quidem, si ádeò inféctæ & obscúræ sórdibus fúerint, ut máculas sola aqua non purget: addunt mollítiem ólei: sapónis étiam acrimóniam. Nos quoque si tàm grave peccátum fúerit, ut mínimè solis flétibus abluátur; addámus misericórdiæ óleum: acrimóniam jejúnii. Nullum enim tàm grave delíctum est, quod non purgétur abstinéntiâ: eleemósynis extinguátur. Ait enim sanctus Prophéta; sicut aqua extínguit ignem: ita eleemósyna extínguit peccátum. Magna ergò est eleemósyna, quæ ardéntium críminum globos benevoléntiæ suæ fonte refrígerat; & quodam irríguo largitátis, óbruit incéndia delictórum; ut quamvis offénsus Deus, quamvis crimínibus provocátus: cogátur liberáre eleemósynis, quem dispoſuérat puníre peccátis. Cógitur enim à nobis quodámmodò, dum compéllitur pro áctibus nostris mutá-

re

re senténtiam; & in uno eodémque hómine nunc severitáte Júdicis permovéri: nunc Patris pietáte blandíri. Pater enim nobis Deus est, cùm benè ágimus: Judex noster est cùm peccámus. Compéllitur ergò opéribus nostris Dóminus, ut nobis suam misericórdiam largiátur; atque ídeò ipse in Evangélio sancto dicit: a diébus Joánnis Baptístæ regnum cælórum cógitur. Quæ senténtia, quem intelléctum hábeat videámus. Regnum cælórum non nisi Christus est Dóminus: qui regnat in cælis. Cogi autem verbum, tunc solet dici; cùm res áliqua rárior: assídua operatióne densátur. Ex quo ergo Joánnes Baptísta Salvatóris annunciávit advéntum; ex eo regnum cælórum quod priùs flúidum & remíssum apud Judæos jacébat, credéntium populórum cœpit assiduitáte densári: & omnis illa regni ráritas prædicatiónum frequentatióne solidári. Tàm enim rarum fuit apud Judæos regnum; ut transíret ad gentes: tàm flúidum, ut emanáret ad pópulos. Nũc autem tanta credéntium cógitur densitáte, ut fixum & sólidum máneat sine fine; sicut scriptúra dicit: Et regni ejus non erit finis. Cógimus ergò regnum cælórum, & vim quodámmodò fácimus; sicut ait Evangélica Léctio: & vim faciéntes dirípiunt illud. Vim, inquam, fácimus Dómino non compelléndo, sed flendo; non provocándo injúriis, sed láchrymis exorándo: non blasphemándo per supérbiam, sed per humilitátẽ mœréndo.

℟. Sanctificámini hódiè, & estóte paráti: quia die crástina vidébitis majestátem Dei. * In vobis. ℣. Hódiè sciétis quia véniet Dóminus, & manè vidébitis glóriam ejus. In vobis.

Lectio ij.

O Beáta violéntia; quæ non indignatióne percútitur: sed misericórdia condonátur. Beáta, inquam, violéntia; quæ vim patiéntibus bonitátem élicit: & utilitátem tríbuit inferénti. Mala res

admíttitur; & de injúria nemo causátur: vis admíttitur, & religio propagátur. Quisquis enim violéntior Christo fúerit: religiósior habébitur à Christo. Aggrédimur ergò in itínere Dóminum; (síquidem ipse est via:) & more latrónum suis eum spoliáre nítimur. Cupímus illi auférre regnum, thesáuros & vitam. Sed ille tàm dives & largus est, ut non ábnuat: non resístat; & cùm omnia déderit: nihilóminus ómnia ipse possídeat. Aggrédimur, inquam illum non ferro; non fuste; non saxo; sed mansuetúdine: bonis óperibus, castitáte. Hæc sunt arma fidei nostræ: quibus in congressióne certámus. Ut autem his armis uti, in vi inferénda possímus; antè corpóribus nostris vim quodámmodò faciámus: expugnémus membrórum vítia, ut virtútum præmia consequámur. Priùs enim ipsi regnáre debémus in nobis: ut regnum possímus dirípere Salvatóris. Ait ergo Evangélium: Et vim faciéntes dirípiunt illud. Raptóres ígitur sumus: raptóres autem non nisi aliéna dirípiunt. Agnósco veram esse senténtiam. Christum enim Ecclésia rápuit Synagógæ: & aliénæ gentis regnum, vim faciéndo possédit. Nam Salvátor missus sub Lege; natus in Lege; nutrítus juxta Legem; dum à Judæis neglígitur: à géntibus occupátur. Et dum à Sacerdótibus pérditur, à peccatóribus invenítur; sicut ipse ait: Publicáni & meretríces præcédent vos in regnum cælórum. Raptóres ígitur sumus. Mirándum non est: quippe qui à tali auctóre descéndimus. Scriptum est enim de Patriárcha nostro Bénjamin: Lupus rapax. Rapit enim quod suum non est. Ita & nos velut filii rapácis lupi; alienárum pastórem óvium nostra intentióne prærípimus: sicut ipse dicit. Non sum missus nisi ad oves pérditas domus Israël. Rápitur ítaque Christus; cùm à Judæis dimíttitur: & ab áliis prædicátur. Rápitur Christus; cùm occíditur

à Judæis : & ſepelitur à nobis. Rápitur Chriſtus à vigilántibus Diſcípulis : à dormiéntibus pérditur Phariſæis. Sicut mentiéndo ipſi conféſſi ſunt : dum cuſtódias pónerent ſepultúræ ; poſt Reſurrectiónem Dómini : dicéntes. Quia Diſcípuli ejus nocte venérunt : & furáti ſunt eum, nobis dormiéntibus. Unde ſpiritáliter intellígimus, quia Chriſtum omnes dormiéntes perdunt ; vigilántes invéniunt : atque ídeò Apóſtolus dicit. Surge qui dormis ; & exúrge à mórtuis : & illuminábit te Chriſtus. Vides ergò mórtuum eſſe ; qui ita dormit : ut non cuſtódiat Salvatórem. Et ídeò illi Phariſæi, velut mórtui : non potuérunt ſerváre vivéntem. Proptéreà, Fratres, non dormiámus, ſed vigilémus circa ipſum Dóminum noſtrum Salvatórem ; & appóſitis júgiter cuſtódiis, nemo illum auférat de ſepultúra péctoris noſtri : nec dicámus áliquando. Venérunt, & dormiéntibus nobis : furáti ſunt eum. Habémus enim inimícos ; qui Chriſtum de córdibus noſtris, ſi obdormiérimus : auférre nitántur. Unde pervígili cura ſervémus eum in ſepúlchro animárum noſtrárum ; ibi perquiéſcat ; ibi dórmiat : ibi, cùm voluérit & resúrgat.

℟. Conſtántes eſtóte, vidébitis auxílium Dómini ſuper vos : O Juda & Jerúſalem nolíte timére : Cras egrediémini, & Dóminus erit vobíſcum. ℣. O Juda & omnes habitatóres Jerúſalem crédite in Dómino Deo veſtro, & ſecúri éritis. Cras egrediémini.

Léctio ſancti Evangélii : ſecúndùm Matthæum.

Lectio 3. Cap. I.

CUm eſſet deſponſáta mater Jeſu, María, Joſeph : ántequàm convenírent ; invénta eſt in útero habens : de Spíritu ſáncto. Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus ; & nollet eam tradúcere : vóluit occúlte dimíttere eam. Et réliqua.

Homília ſancti Euchérii Lugdunénſis Epíſcopi.

Sermone in Vigilia Nativitatis Domini poſt medium.

AUdiámus quid Angelus díxerit; Joseph, fili David ʼ noli timére accípere Maríam cónjugem tuam. Noli, inquit, timére; noli dubitáre; tolle hanc Zelotypíam, pelle suspectiónem ʼ non est ut cógitas, nondum cógnoscis hanc Vírginem: Ipsa enim est Templum Dei; ipsa est Porta cœli; ipsa est Dómina tua ʼ quã putas esse sponsam tuam. Accipe ígitur eam, jam nunc quasi Dóminam non quasi cónjugem; áccipe eam non tibi tráditam ʼ sed commodátam. Sis ei obédiens ʼ non ímperans, ut marítus. Quare hoc? Vis audíre quare? Quia quod in ea natum est ʼ de Spíritu sancto est. Sufficiébat hoc audíre ʼ sufficiébat & crédere. Non quærámus quáliter de Vírgine Incarnátus; & quáliter de Spíritu sancto ʼ Natus est Christus. Crédidit enim Virgo María ʼ & concépit. Hoc enim testátur Elízabeth ʼ Beáta, inquit, quæ credidísti; quia perficiéntur in te ʼ quæ dicta sunt tibi à Dómino. Crédidit enim Virgo; & operánte Spíritu sancto ʼ Verbum Caro factum est.

℟. Sanctificámini filii Israël, dicit Dóminus, in die enim crástina descéndet Dóminus * Et áuferet à vobis omnem languórem. ℣. O Juda & Jerúsalem nólite timére cras egrediémini, & Dóminus erit vobíscum. Et áuferet. Glória Patri. Et áuferet.

A D L A U D E S.

Añа. O Juda & Jerúsalem nolíte timére: cras egrediémini, & Dóminus erit vobíscum. *Psalm.* Dóminus regnávit. *cum reliquis.* *Aña.* Hódiè sciétis quia véniet Dóminus: & manè vidébitis glóriam ejus. *Aña.* Crástina erit vobis salus dicit Dóminus Deus exercítuum.

Aña. Magnificátus est rex pacíficus super omnes reges univérsæ terræ.

Aña. Scitóte, quia propè est regnum Dei, Amen dico vobis, quia non tardábit.

Capitulum. Phil. 4.

GAudéte in Dómino semper, íterum dico gaudéte; modéstia vestra

nota

nota sit ómnibus homínibus: Dóminus propé est.
℣. Constántes estóte.
℟. Vidébitis auxílium Dómini super vos.

Ad Benedictus, Aña. Rex pacíficus magnificátus est, cujus vultum desíderat univérsa terra. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

Deus qui nos redemptiónis nostræ ánnua expectatióne lætíficas; præsta ut Unigénitum tuum, quem redemptórem læti suscípimus: veniéntem quóque júdicem secúri videámus, Dóminum nostrum Jesum Christum filium tuum; Qui tecum vivit.

Non dicuntur Preces, neque ad alias horas.

Prima dicitur sicut in Festis Novem Lectionum.

Ad Tertiam, Sextam & Nonam, Capitulum. Gaudéte in Dómino. *ut supr.*
℟. Hódiè sciétis quia véniet Dóminus. ℣. Et manè vidébitis glóriam ejus. Glória Patri. ℣. Constántes estóte. ℟. Vidébitis auxílium Dómini super vos.

Oratio. Deus qui nos, *ut suprà.*



M. Ogier Sculpsit Lugd.

IN NATIVITATE DOMINI.

DUPLEX PRIMÆ CLASSIS.

AD VESPERAS.

Antiphona. O Juda & Jerúsalem. *cum reliquis de Laudibus, ut suprà.*

Psalmus. Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.* 148. *Et loco ultimi, Psalmus.* Laudáte Dóminum omnes Gentes. 153.

Capitulum. Rom. 1.

PAulus servus Christi Jesu, vocátus Apóstolus, segregátus in Evangélium Dei; quod ante promíserat per Prophétas suos, in Scriptúris sanctis de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndùm carnem.

℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis, & vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre.

Ad Magnificat, Antiph. Compléti sunt dies Maríæ, ut páreret Fílium suum primogénitum.

Hæc Aña repetitur tota post unumquemque Versum usque ad ℣. Sicut locûtus est. *exclusivè, & duplicatur post* ℣. Glória Patri.

Orémus. *Oratio.*

COncéde quæsumus, Omnípotens Deus; ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet: quos sub peccáti jugo, vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Dóminum nostrum.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus.

CHriste Redémptor ómnium,
Ex Patre Patris Unice;
Solus ante príncipium,
Natus ineffabíliter.

Tu lumen, Tu splendor Patris,
Tu spes perénnis ómniũ;
Inténde quas fundunt preces

Tui per orbem fámuli.
Meméto salútis auctor;
Quod nostri quondam córporis,
Ex illibáta Vírgine,
Nascéndo, formam súmpseris.
Sic præsens testátur dies,
Currens per anni círculũ:
Quod solus à sede Patris
Mundi salus advéneris.
Hunc cœlum, terra, hunc mare,
Hunc omne quod in eis est:
Auctórem advéntûs tui
Laudans exúltat cántico.
Nos quoque qui sancto tuo
Redémpti sãguine sumus,
Ob diem Natális tui,
Hymnum novum concínimus.
Glória tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre & sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Et dicitur per totam Octavam.

Ad Matutinum, Invitatorium. Christus natus est nobis: Veníte adorémus. *Duplic. Psalmus.* Veníte. 2.

In primo Nocturno.

Antiphona. Dóminus dixit ad me.

Psalmus 2.

QUare fremuérunt gentes; * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt Reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsùs Dóminum, & advérsùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis, jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua: * & in furóre suo, conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu: * ego hódiè génui te.

Póstula me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam: * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férreâ: * & tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini qui judicátis

tátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * & exultáte ei, cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam: * ne quando irascátur Dóminus, & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus: * beáti omnes qui confídunt in eo.

Gloria Patri.

Aña. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hodiè génui te.

Aña. Tanquam sponsus.

Psalmus 18.

CÆli enárrant glóriam Dei: * & ópera mánuum ejus annúnciat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum: * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes: * quorum non audiántur voces eórũ.

In omnem terram exívit sonus eórum: * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tanquam sponsus, procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * à summo cælo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanet in sæculum sæculi: * judícia Dñi vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum, & lápidem pretiósum multum: * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiéndis illis, retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei, in conspé-

conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, & redémptor meus.

Glória Patri.

Añã. Tamquam sponsus Dóminus, procédens de thálamo suo.

Añã. Diffúsa est grátia.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ, velóciter scribẽtis.

Speciósus forma præ filiis hóminum: * diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo, super femur tuum, potentíssimè.

Spécie tua & pulchritúdine tua: * inténde, prospere procéde, & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * & dedúcet te mirabíliter, déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ: * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta, & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te filiæ regũ, in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíscere pópulũ tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ, Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus, filiæ regis ab intus: * in fimbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam: * próximæ ejus, afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia, & exultatióne: * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: * constítues eos príncipes, super omnem terram.

Mémo

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne, & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * & in sæculum sæculi.

Glória Patri.

Aña. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. In sole pósuit tabernáculum suum. ℟. Et ipse tamquam sponsus, procédens de thálamo suo. Pater noster. *Deprecatio.* Exurge. ℣. Suscípe. *Benedictio.* Adjútor.

Tres Lectiones sequentes Isaïæ leguntur sine titulo.

Lectio j. Cap. 9.

PRimo témpore alleviáta est terra Zábulon : & terra Nephthalim. Et novíssimò aggraváta est via maris trans Jordánem : Galilææ géntium. Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam ; habitántibus in regióne umbræ mortis : lux orta est eis. Multiplicásti gentem : & non magnificásti lætítiam. Lætabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe ; sicut exúltant victóres capta præda : quando dívidunt spólia. Jugum enim óneris ejus, & virgam húmeri ejus ; & sceptrum exactóris ejus superásti : sicut in die Mádian. Quia omnis violénta prædátio cum tumúltu ; & vestiméntum mixtum sánguine : erit in combustiónem, & cibus ignis. Párvulus enim natus est nobis : & filius datus est nobis. Et factus est principátus : super húmerū ejus. Et vocábitur nomen ejus, Admirábilis ; Consiliárius ; Deus ; Fortis ; Pater futúri sæculi : Princeps pacis. Tu autem.

Responsoria duplicantur.

℟. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. * Hoc erat in princípio apud Deum. ℣. Sicut enim Pater habet vitam in semetípso : sic dedit & Fílio vitam habére in semetípso. Hoc erat. Glória Patri & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, & nunc & semper. In princípio.

Benedictio. Benedictiónibus suis.

Lectio

Lectio ij. Cap. 40.

Consolámini ; consolámini pópule meus ? dicit Deus vester. Loquímini ad cor Jerúsalem, & advocáte eam ; quóniam compléta est malítia ejus, dimíssa est iníquitas illíus ? Suscépit de manu Dómini duplícia pro ómnibus peccátis suis. Vox clamántis in desérto ; Paráte viam Dómini ? rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. Omnis vallis exaltábitur ; & omnis mons & collis humiliábitur ? & erunt prava in dirécta , & áspera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini ? & vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est. Vox dicéntis ? Clama. Et dixi ; Quid clamábo ? Omnis caro fœnum ? & omnis glória ejus quasi flos agri. Exsiccátum est fœnum , & cécidit flos ? quia Spíritus Dómini sufflávit in eo. Verè fœnum est pópulus ; Exsiccátum est fœnum, & cécidit flos ? Verbum autem Dómini nostri manet in ætérnum. ℟. Ecce jam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Filium suum in terras, natum de Vírgine, factum sub Lege, * Ut eos qui sub Lege erant redímeret. ℣. Verbum caro factum est , & habitávit in nobis. Ut eos qui sub Lege. Glória Patri. Ecce jam.

Benedictio. Cæléstem Benedictiónem.

Lectio iij. Cap. 52.

Consúrge , consúrge ; indúere fortitúdine tua Sion ? indúere vestiméntis glóriæ tuæ, Jerúsalem cívitas sancti. Quia non adjíciet ultrà ut pertránseat per te ? incircumcísus & immúndus. Excútere de púlvere ; consúrge, sede Jerúsalem ? solve víncula colli tui captíva filia Sion. Quia hæc dicit Dóminus ; Gratis venúndati estis ? & sine argénto redimémini. Quia hæc dicit Dóminus Deus. In Ægyptum descéndit pópulus meus in princípio ; ut colónus esset ibi ? & Assur absque ulla causa calumniátus est eum. Et nunc quid mihi est hîc, dicit Dóminus ; quóniam ablátus est pópulus meus gratis ? Dominatóres ejus iniquè

iníquè agunt, dicit Dóminus: & júgiter tota die nomen meum blasphemátur. Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse qui loquébar: ecce adsum.

℟. In própria venit, & sui eum non recepérũt: quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his qui credunt in nómine ejus: * Qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. ℣. Si autem filii, & hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi. Qui non. Glória Patri. In propria.

In secundo Nocturno.

Aña. Suscépimus Deus.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis: * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ: * mons Sion, látera aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur: * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi videntes, sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu veheménti, cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum; * in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnũ.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam: * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent filiæ Judæ; * propter judícia tua Dñe.

Circúmdate Sion; & complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * & distribuíte domos ejus, ut enarrétis, in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Glória Patri.

Aña.

Aña. Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui.

Aña. Oriétur in diébus Dómini.

Psalmus 71.

DEus judícium tuum regi da : * & justítiam tuam filio regis.

Judicáre pópulum tuum in justítia : * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo : * & colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli,& salvos fáciet filios páuperum : * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, & ante lunam ; * in generatióne, & generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * & sicut stillicídia, stillãtia super terrã.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis : * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare : * & à flúmine, usque ad términos, orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes : * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, & insulæ múnera ófferent : * Reges Arabum, & Saba, dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges : * omnes gentes sérvient ei.

Quia liberábit páuperem à poténte : * & páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & ínopi : * & ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum :* & honorábile nomen eórum, coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ : * & adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.

Erit firmaméntum in terra, in summis móntium : * superextollétur super Líbanum fructus ejus : * & florébunt de civitáte sicut fœnũ terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus

Deus Iſraël, * qui facit mirabília ſolus.

Et benedíctum nomen majeſtátis ejus in ætérnum: * & replébitur majeſtáte ejus omnis terra, fiat fiat.

Glória Patri.

Aña. Oriétur in diébus Dómini abundántia pacis, & dominábitur.

Aña. Véritas de terra orta eſt.

Pſalmus 84.

BEnedixíſti Dómine terram tuam: * avertíſti captivitátem Jacob.

Remisíſti iniquitátem plebis tuæ: * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti omnem iram tuam: * avertíſti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus ſalutáris noſter: * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatione, in generatiónem.

Deus tu convérſus vivificábis nos: * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam: * & ſalutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam.

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen propè timéntes eum ſalutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi: * juſtítia & pax, oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt: * & juſtítia de cælo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * & terra noſtra dabit fructũ ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit: * & ponet in via greſſus ſuos.

Glória Patri.

Aña. Véritas de terra orta eſt, & juſtítia de cælo proſpéxit. ℣. Tamquam ſponſus. ℟. Dóminus procédens de thálamo ſuo. Pater noſter.

Deprecatio. Oſténde nobis. *Benedictio.* Deus Dei Fílius.

Sermo S. Leónis Papæ.

Serm. 1. de Nativ. Domini.

Lectio iv.

EXultémus, & ſpiritáli jocunditáte lætémur? quia

quia illúxit nobis dies, redemptiónis novæ ; reparatiónis antíquæ : fœlicitátis ætérnæ. Reparátur enim nobis, salútis nostræ ánnua revolutióne sacraméntum ; ab inítio promíssum ; in fine redditum ? sine fine mansúrum. In quo, dignum est nos, eréctis sursum córdibus, divínum adoráre mystérium ; ut quod magno Dei múnere ágitur : Magnis Ecclésiæ gáudiis celebrétur. Deus enim omnípotens & clemens, cujus natúra bónitas ; cujus volúntas poténtia ; cujus opus misericórdia est : statim ut nos diabólica malígnitas, veréno suæ mortificávit invídiæ ; prædestináta renovándis mortálibus suæ pietátis remédia : inter ipsa mūdi primórdia præsignávit. Denúntians serpénti, futúrum semen muliéris ; quod nóxii cápitis elatiónem, sua virtúte contéreret : Christum scílicet in carne ventúrum, Deum hominémque signíficans. Qui natus ex Vírgine ; violatórem humánæ propáginis : incorrúpta nativitáte damnáret.

℟. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis : * Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre, plenum grátiæ, & veritátis. ℣ In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et vídimus. Glória Patri. Verbum.

Lectio v. Paulo post.

ADveniéntibus ergo tempóribus dilectíssimi ; quæ redemptióni hóminum fúerunt præstitúta : ingréditur hæc ínfima Jesus Christus Dóminus noster, de cæléсti sede descéndens, & à Patérna glória non recédens ; novo órdine : nova nativitáte generátus. Novo órdine ; quia invisíbilis in suis : visíbilis factus est in nostris. Incomprehensíbilis vóluit comprehéndi. Ante témpora manens : cœpit esse ex témpore. Universitátis Dóminus ; obumbráta majestátis suæ dignitáte : servílem formam suscépit : Impassíbilis Deus : non dedignátus est esse homo passíbi-

passíbilis. Et immortális: mortis legibus subjacére. Novâ autem nativitáte génitus est: concéptus à Vírgine; natus ex Vírgine; sine Patérnæ carnis concupiscéntia: sine Matérnæ integritátis injúria. Quia futúrum hóminum Salvatórem, talis ortus decébat; qui & in se habéret humánæ substántiæ, náturam: & húmanæ carnis inquinaménta nescíret. Author enim in carne nascénti Deus est: testánte Archángelo ad Beátam Maríam; quia Spíritus sanctus supervéniet in te: & virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque quod nascétur ex te sanctum: vocábitur Fílius Dei.

℟. Benedíctus qui venit in nómine Dñi: * Deus Dóminus & illúxit nobis. ℣. Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. Deus. Glória Patri. Benedíctus.

Lectio vj. Sub finem.

QUisquis ígitur Christiáno nómine, piè & fidéliter gloriáris; reconciliatiónis hujus grátiam: justo perpénde judício. Tibi enim quondam abjécto; tibi extrúso à Paradísi sédibus; tibi per exília longa moriénti; tibi in cínerem & púlverem dissolúto, cui jam non erat spes ulla vivéndi; per incarnatiónem Verbi, potéstas data est: ut de longínquo ad tuum revertáris authórem. Recognóscas paréntem: liber efficiáris ex servo. De extráneo provéharis in fílium; ut qui ex corruptíbili carne natus es: ex Dei spíritu renascáris; & obtíneas per grátiam, quod non habébas per natúram; ut si te Dei Fílium per Spíritum adoptiónis agnóveris: Deum Patrem áudeas nuncupáre. Malæ consciétiæ absolútus reátu: ad cæléstia regna suspíres. Voluntátem Dei fácias: dívino fúltus auxílio. Imitéris Angelos super terram; immortális substántiæ virtúte pascáris: secúrus advérsùs inimícas tentatiónes, pro pietáte confligas. Et si cæléstis milítiæ sacraménta serváveris; non dubítes, te in castris triumphálibus regis ætérni:

ni? pro victóriâ coronándum.

℟. Ante colles ego parturiébar, nec dum erant abyssi, & ego jam concépta eram: quando præparábat cœlos, áderam; quando appendébat fundaménta terræ. * Cum eo eram cuncta compónens. ℣. Quando æthera firmábat sursùm, & librábat fontes aquárum. Cum eo. Glória Patri. Ante colles.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Ipse invocábit me.

Psalmus 88.

MIsericórdias Dómini in ætérnum cantábo: * in generatióne & generatiónem annunciábo veritátem tuam, in ore meo.

Quóniam dixísti, in ætérnum misericórdia ædificábitur in cælis: * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum electis meis: * jurávi David servo meo: * usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatióne, & generatiónem sedem tuam.

Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine: * étenim veritátem tuam, in Ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dño: * símilis erit Deo in filiis Dei?

Deus, qui glorificátur in consílio Sanctórum: * magnus & terríbilis super omnes, qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum quis símilis tibi? * potens es Dómine, * & véritas tua in circuítu tuo.

Tu domináris potestáti maris: * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, superbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli, & tua est terra, * orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti: * aquilónem, & mare tu creásti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt: * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua: * justítia & judícium, præparátio sedis tuæ.

Misericórdia & véritas præcedent

præcedent fáciem tuam: * beátus pópulus, qui ſcit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt: * & in nómine tuo exultábunt tota die: * & in juſtítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es: * & in beneplácito tuo, exaltábitur cornu noſtrum.

Quia Dómini eſt aſſúmptio noſtra: * & Sancti Iſraël regis noſtri.

Tunc locútus es in viſióne Sanctis tuis: * & dixíſti, póſui adjutórium in poténte: * & exaltávi eléctum de plébe mea.

Invéni David ſervum meum: * óleo ſancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei: * & bráchium meum confirmábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo: * & filius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipſius inimícos ejus: * & odiéntes eum, in fugam convértam.

Et véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo: * & in nómine meo, exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus: * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipſe invocábit me, Pater meus es tu: * Deus meus, & ſuſcéptor ſalútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum: * excélſum præ régibus terræ.

In ætérnum ſervábo illi miſericórdiam meam: * & teſtaméntum meum fidéle ipſi.

Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus: * & thronum ejus, ſicut dies cœli.

Si autem derelíquerint filii ejus legem meam: * & in judíciis meis, non ambuláverint.

Si juſtítias meas profanáverint: * & mandáta mea non cuſtodíerint.

Viſitábo in virga iniquitátes eórum: * & in verbéribus peccáta eórum.

Miſericórdiam autem meam non diſpérgam ab eo: * neque nocébo in veritáte mea.

Neque profanábo teſtaméntum meum: * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Semel jurávi in Sancto meo, ſi David méntiar: * ſemen ejus in ætérnum manébit.

Et thronus ejus ſicut Sol in conſpéctu meo : * & ſicut Luna perfécta in ætérnum : * & teſtis in cœlo fidélis.

Tu verò repuliſti & deſpexíſti : * diſtuliſti Chriſtum tuum.

Evertíſti teſtaméntum ſervi tui : * profanáſti in terra ſanctuárium ejus.

Deſtruxíſti omnes ſepes ejus : * poſuíſti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes tranſeúntes viam: * factus eſt oppróbriũ vicínis ſuis.

Exaltáſti déxteram depriméntium eum: * lætificáſti omnes inimícos ejus.

Avertíſti adjutórium gládii ejus : * & non es auxiliátus ei in bello.

Deſtruxíſti eum ab emundatióne : * & ſedem ejus in terram collisíſti.

Minoráſti dies témporis ejus: * perfudíſti eum confuſióne.

Uſquequo Dómine avértis in finem : * exardéſcet, ſicut ignis ira tua.

Memoráre quæ mea ſubſtántia : * numquid enim vane conſtituiſti, omnes filios hóminum ?

Quis eſt homo, qui vívet, & non vidébit mortem ? * éruet ánimam ſuam de manu ínferi ?

Ubi ſunt miſericórdiæ tuæ antíquæ Dómine : * ſicut juráſti David, in veritáte tua ?

Memor eſto Dómine oppróbrii ſervórum tuórum:* (quod cõtínui in ſinu meo) multárum géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui Dñe : * quod exprobravérunt commutatiónem Chriſti tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum, fiat, fiat.

Glória Patri.

Aña. Ipſe invocábit me, allelúia : Pater meus es tu, allelúia.

Aña. Læténtur cœli.

Pſalmus 96.

CAntáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus : * annunciáte de die in diem, ſalutáre ejus.

Annunciáte inter gentes glóriam ejus : * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis : * terríbilis eſt ſuper omnes Deos.

Quóniam

Quóniam omnes dij géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium:* afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam, nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum, in átrio sancto ejus.

Commoveátur à facie ejus univérsa terra:* dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli,& exúltet terra: * commoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terrā.

Judicábit orbem terræ in æquitáte: * & pópulos in veritáte sua. Glória Patri.

Aña. Læténtur cœli, & exúltet terra, ante fáciem Dómini, quóniam venit.

Antiphona. Notum fecit Dóminus.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * ante conspéctum géntium, revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ, salutáre Dei nostri:* jubiláte Dómino omnis terra: * cantáte & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi: * in tubis dúctilibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini: * moveátur mare, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaúdent manu simul: * montes exultábunt à conspéctu Dñi: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia : * & pópulos in æquitáte.

Glória Patri.

Ana. Notum fecit Dóminus, allelúia, Salutáre suum, allelúia. ℣. Ipse invocábit me. ℟. Pater meus es tu, Deus meus, & suscéptor salútis meæ.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore Exiit edíctum à Cæsare Augústo, ut describerétur univérsus orbis. Hæc descríptio prima facta est à Præside Syriæ Cyríno. Et ibant omnes ut profiteréntur sínguli, in suam civitátem. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

Homilia 8. in Evang.

QUia largiénte Dómino, Missárum solémnia ter hódie celebratúri sumus; loqui diu de Evangélica Lectióne non póssumus sed nos áliquid vel bréviter dícere, Redemptóris nostri Natívitas ipsa compellit. Quid est quod nascitúro Dómino mundus descríbitur? nisi hoc quod apertè monstrátur; quia ille apparébat in carne qui eléctos suos adscríberet in æternitáte. Quò contrà de réprobis per Prophétam dícitur; Deleántur de libro vivéntium & cum justis non scribántur. Qui benè etiam in Bethleem náscitur Bethleem quippe domus panis interpretátur. Ipse namque est, qui ait; Ego sum panis vivus qui de cœlo descéndi. Locus ergo, in quo Dóminus náscitur, domus panis ántea vocátus est quia futúrum profécto erat; ut ille ibi per matériam carnis apparéret qui electórum mentes, interna satietáte refíceret. Qui non in paréntum domo, sed in via náscitur ut profécto osténderet; quia per humanitátem suam, quam assúmpserat quasi in alieno nascebátur.

℟. Angelus ad Pastóres, ait : annuncio vobis gaúdium magnum, quod erit omni pópulo : quia natus est vobis Salvátor, * Qui est Christus Dóminus in civitáte David.

℣. Inveniétis infántem pannis involútum, & pósitum in præsépio. Qui est. Glória Patri. Angelus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore: Pastóres loquebántur ad ínvicem. Transeámus usque Bethleem, & videámus hoc verbum quod factum est: quod Dóminus osténdit nobis. Et venérunt festinántes; & invenérunt Maríam & Joseph: & infántem pósitum in præsépio. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósij Epíscopi.

Libr. 2. in cap. 2. Lucæ.

VIdéte Eccléſię surgéntis exórdium. Christus náscitur; & pastóres vigiláre cœpérunt: qui géntium greges, pécudum more antè vivéntes; in caulam Dómini cōgregárent: nè quos spiritálium bestiárum, per offusas nóctium ténebras pateréntur incúrsus. Et benè pastóres vígilant: quos bonus pastor infórmat. Grex ígitur pópulus; nox sæculum: pastóres sunt Sacerdótes. Aut fortasse étiam ille sit pastor; cui dícitur: Esto, vígilans, & confírma. Quia non solum Epíscopos ad tuéndum gregem Dóminus ordinávit: sed étiam Angelos destinávit.

℟. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccáta mundi. Ecce de quo dicébam vobis. * Qui post me venit, ante me factus est: cujus non sum dignus corrígiam calceaménti sólvere. ℣. Joánnes testimónium pérhibet de ipso, & clamat dicens. Qui post me venit. Glória Patri. Ecce Agnus, &c.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joan. *c. 1.*

Lectio ix.

IN princípio erat Verbū; & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio: apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat: & vita erat lux hóminum. Et réliqua.

Homilía sancti Irenæi, Lugdunénsis Epíscopi & Mártyris.

Lib. 3. adv. Hær. cap. 20.

OStēso maniféstè quod in princípio Verbum exístens apud Deum, per quem ómnia facta sunt: qui & semper áderat géneri humáno; hunc in novíssimis tempóribus secún-

dum præfinítum tempus à Patre, unítum suo Plasmati, passíbilem hóminem factum ´ exclúsa est omnis contradíctio dicéntium; si ergò tunc natus est ´ non erat ante Christus. Osténdimus enim quia non tunc cœpit filius Dei; exístens semper apud Patrem ´ sed quando incarnátus est, & Homo factus; longam hóminum expositiónem in se ipso recapitulávit ´ in compéndio nobis salútem præstans. Ut quod perdiderámus in Adam, id est, secúndùm imáginem, & similitúdinem esse Dei ´ hoc in Christo Jesu reciperémus. Quia enim non erat possíbile, eum hóminem, qui semel victus fúerat & elísus per inobediéntiam; replasmáre & obtinére bravíum victóriæ ´ íterum autem imposſíbile erat, ut salútem percíperet, qui sub peccáto cecíderat; útraque operátus est filius, Verbum Dei exístens; à Patre descéndens, & incarnátus, & usque ad mortem descéndens ´ & dispensatiónem consūmans salútis nostræ.

℟. Natus est nobis párvulus: & vocábitur Deus, Fortis: Ipse sedébit super thronum David Patris sui, & imperábit: * Cujus potéstas super húmerum ejus. ℣. Multiplicábitur ejus impérium, & pacis non erit finis. Cujus. *Hoc* ℟. *non dupl. quia dicitur* Te Deum.

AD LAUDES,

Antiphona.

Natus est nobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus in civitáte David. *Psalm.* Dóminus regnávit. *cum reliquis.*

Aña. Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum, & gaúdia matris habens cum virginitátis honóre nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, allelúia.

Aña. Angelus ad Pastóres ait, annúncio vobis gaúdium magnum: quia natus est vobis hódie Salvátor mundi, allelúia.

Aña. Facta est cum Angelo multitúdo cœléstis exércitus laudántium Deum & dicéntium: Glória in excélsis Deo, & in terra pax homínibus bonæ voluntátis, allelúia.

Aña. Párvulus filius hódie natus est nobis, & vocábitur

tur Deus, Fortis, allelúia, allelúia.

Capitulum. Isaiæ 9.

POpulus qui ambulábat in ténebris vidit lucem magnam; habitántibus in regióne umbræ mortis: Lux orta est eis.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

℟. Deus Dóminus, & illuxit nobis.

Ad Benedictus Aña. Glória in excélsis Deo, & in terra pax homínibus bonæ voluntátis, allelúia, allel.

Hæc Antiphona dicitur tota ante Benedictus, quod fit hodie tantummodò. Similiter post unũquemque ℣. usq; ad ℣. Illumináre *exclusivè dicitur tota, & duplicatur post* Glória Patri.

Orémus. *Oratio.*

COncéde, quæsumus Omnípotens Deus; ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet: quos sub peccáti jugo, vetústa sérvitus tenet. Per eúndem.

Ad Primam. Symbolum S. Athanasij, Quicúmque. 28. *reliqua ut in Festis.*

Ad Tertiam. Capitulum. Pópulus qui ambulábat, *ut suprà in Laudibus.* ℟. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis, ℣. Et vídimus glóriam ejús, glóriam quasi Unigéniti à Patre. Glória Patri. ℣. Notum fecit Dóminus salutáre suum. ℟. Ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui per Beátæ Maríæ Vírginis partum sine humána concupiscéntia procreátum, in filij tui membra veniéntes, patérnis fecísti præjudíciis non tenéri: præsta, quæsumus; ut hujus creaturæ novitáte suscépta: vetustátis antíquæ contágiis exuámur. Per eúndem.

Ad Sextã. Capitul. Tit. 2. Appáruit grátia Dei Salvatóris ómnibus homínibus; erúdiens nos, ut abnegántes impietátem, & sæculária desidéria: sóbriè, & justè, & piè vivámus in hoc sæculo.

℟. Notum fecit Dóminus salutáre suum. ℣. Ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam. Glória Patri. ℣. Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. ℟. Jubiláte Dómino omnis terra, can-

táte,& exultáte,& psállite.

Orémus. *Oratio.*

COncéde nobis, Omnípotens Deus; ut salutáre tuum nova cœlórum luce mirábile, quod ad salútem mundi, hodiérna festivitáte procéssit: nostris semper innovándis córdibus oriátur. Qui tecum.

Ad Nonam. Capitulum. Tit. 3.

APpáruit benígnitas & humánitas Salvatóris nostri Dei; non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos: sed secúndùm suam misericórdiam salvos nos fecit.

℟. Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.
℣. Jubiláte Dño omnis terra, cantáte, & exultáte, & psállite. Glória Patri. ℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus & illúxit nobis.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui hunc diem per Incarnatiónem Verbi tui, & Partum Beátæ Maríæ Vírginis consecrásti: da pópulis tuis in hac celebritáte consórtium; ut qui tua grátia sunt redémpti: tua sint adoptióne secúri. Per eúndem.

AD VESPERAS.

Antiphona.

Tecum princípium.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion:* domináre in médio, inimicórum tuórum.

Tecum princípium, in die virtútis tuæ:* in splendóribus Sanctórum: * ex útero ante lucíferum, génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum: * secúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis: * confrégit in diæ iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas:* conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet:* proptérea exaltábit caput.

Antiphona. Tecum princípium in die virtútis tuæ, in splendóribus Sanctórum, ex útero ante lucíferum génui te.

Aña. Redemptiónem misit Dóminus.

Psalmus 110.

CONfitébor tibi Dómine in toto corde:* in concílio justórum, & congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus: * & justítia ejus manet, in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum, annunciábit pópulo suo.

Ut det illis hæreditátem géntium: * ópera mánuum ejus, véritas & judícium.

Fidélia omnia mandáta ejus: * confirmáta in sæculum sæculi: * facta in veritáte, & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum, testaméntum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus:* inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum:* laudátio ejus manet, in sæculum sæculi.

Aña. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo: mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Aña. Exórtum est.

Psalmus 111.

BEátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus: * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors, & miserátor, & justus.

Jocúndus homo qui miserétur & cómmodat:* dispónet sermónes suos in judício:* quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino; * confirmátum est cor ejus: * non commovébitur donec despíciat inimícos tuos.

Dispérsit, dedit paupéribus: * justítia ejus manet in sæculum sæculi: * cornu

ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & irascétur ; * déntibus suis fremet & tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Glória Patri.

Aña. Exórtum est in ténebris lumen rectis corde : misericors, & miserátor, & justus Dóminus.

Aña. Apud Dóminum.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : * Dómine quis sustinébit.

Quia apud te propitiátio est : * & propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo eius : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël ; * ex ómnibus iniquitátibus ejus. Glória Patri.

Aña, Apud Dóminum misericórdia, & copiósa apud eum redémptio.

Antiphona. De fructû.

Psalmus 121.

MEménto Dómine David, * & omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino : * votum vovit Deo Jacob.

Si introíero in tabernáculum domus meæ : * si ascéndero in lectum strati mei.

Si dédero somnum óculis meis ; * & pálpebris meis dormitatiónem.

Et réquiem tempóribus meis :* donec invéniam locum Dómino , * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eum in Ephrata: * invénimus eum in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco , ubi stetérunt pedes ejus.

Surge Dómine in réquiem tuam : * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam : * & sancti tui exúltent.

Propter David servum tuum : * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David verítá

Veritátem, & non frustrábitur eam: * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint filij tui testaméntum meum: * & testimónia mea hæc, quæ docébo eos.

Et filij eórum usque in sæculum: * sédebunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi: * hic habitábo quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedicens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári: * & sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne: * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea. Glória Patri.

Aña. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Capitulum. Hebr. 1.

MUltifáriàm multísque modis, olim Deus loquens Pátribus in Prophétis; novíssimè diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit hærédem universórum, per quem fecit & sæcula.

℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis, & vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre.

Ad Magnificat, Aña. Lux orta est super nos; quia hódie natus est salvátor, allelúia. *duplicatur.*

Oratio. Concéde quæsumus omnípotens Deus, *ut suprà in Laudibus.*

In Majori Ecclesia Processio ad sanctum Stephanum. ℟. j. Stéphanus autem. *ut infrà, in j. Noct. Ad secundum Magnificat.*

Aña. Lapidábant Stéphanum, & ipse invocábat Dóminum, dicens: Ne státuas illis hoc peccátum.

Orémus. *Oratio.*

DA nobis, quæsumus Dómine, imitári quod cólimus: ut discámus & inimícos dilígere; quia ejus Natalítia celebrámus: qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

Ad Completorium. Hymnus. Christe Redemptor

ómnium. *ut suprà.*

IN FESTO

S.Stephani Protomartyris.

Duplex primæ Classis.

Ad Matutinum, Invitat.

Regem regum Dóminum, veníte adorémus: quia ipse est coróna beáti Stéphani. *Duplicatur.*

Psalmus. Veníte. 2.

Antiphona. In lege.

Psalmus. Beátus vir. *cum aliis Antiphonis, Psalmis & ℣. de Communi unius Martyris.* xxxiij.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 6.

IN diébus illis: crescénte número Discipulórum; factum est murmur Græcórum advérsus Hebræos: eò quod despiceréntur in ministério quotidiáno, víduæ eórum. Convocántes autem Duódecim; multitúdinem Discipulórum: dixérunt. Non est æquum nos derelínquere Verbum Dei: & ministráre mensis. Consideráte ergo Fratres, viros ex vobis boni testimónij septem; plenos Spíritu sancto & sapiéntia: quos constituámus super hoc opus. Nos verò oratióni & ministério verbi: instántes érimus.

Responsoria duplicantur.

℟. Stéphanus autem plenus grátia & fortitúdine, * Faciébat signa magna, & prodígia in pópulo.

℣. Cum autem esset plenus Spíritu sancto, & fide beátus Stéphanus. Faciébat signa magna. Glória Patri. Sicut erat. Stéphanus.

Lectio ij.

ET plácuit Sermo coram omni multitúdine. Et elegérunt Stéphanum, virum plenum fide & Spíritu sancto: & Philíppum; & Próchorum; & Nicánorem; & Timónem; & Pármenam; & Nicoláum: ádvenam Antiochénum. Hos statuérunt ante conspéctum Apostolórum: & orántes imposuérunt eis manus. Et verbum Dómini crescébat; & multiplicabátur númerus Discipulórum in Jerúsalem valdè: multa étiam turba Sacerdótum obediébat fidei. Stéphanus autem plenus grátiâ & fortitúdine: faciébat prodígia & signa magna in pópulo.

℟. Surrexérunt quidam de Synagóga, disputántes cum Stéphano: * Et non póterant

tant resístere Sapiéntiæ & Spirítui quo loquebátur. ℣. Commovérunt ítaque plebem: & concurréntes rapuérunt eum, & adduxérunt in concílium. Et non póterant. Glória Patri. Surrexérunt.

Lectio iij.

SUrrexérunt autem quidam de Synagóga, quæ appellátur Libertinórum, & Cyrenénsium, & Alexandrinórum: & eórum qui erant à Cilícia & Asía; disputántes cum Stéphano: & non póterant resístere sapiéntiæ & Spirítui, qui loquebátur. Tunc submisérunt viros; qui dícerent se audivísse eum dicéntem verba blasphémiæ in Moysen, & in Deum. Commovérunt ítaque plebem, & Senióres, & Scribas: & concurréntes rapuérunt eum; & adduxérunt in concílium: & statuérunt falsos testes, qui dícerent. Homo iste non cessat loqui verba: advérsùs locum Sanctum, & legem.

℟. Vidébant omnes Stéphanum, qui erant in concílio: * Et intuebántur vultum ejus, tanquam vultum Angeli. ℣. Et concurréntes rapuérunt eum, & adduxérunt in concílium, Et intuebántur. Glória Patri. Vidébant.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Fulgéntij Epíscopi.

Serm. de S. Stephano, circa initium. *Lectio iv.*

HEri celebrávimus temporálem sempitérni Regis nostri Natálem: hódie celebrámus Triumphálem Mílitis Passiónem. Heri enim Rex noster trábeâ carnis indútus; de aula úteri Virginális egrédiens: visitáre dignátus est mundum; hódiè miles de tabernáculo córporis éxiens: Triumphátor migrávit ad cælum. Ille sempitérnæ Deitátis majestáte serváta; servíle cinctórium carnis assúmens, in hujus sæculi campum pugnatúrus intrávit: iste depósitis corruptíbilibus córporis induméntis; ad cœli palátium: perénniter regnatúrus ascéndit. Ille descéndit carne velátus: iste ascéndit sánguine laureátus.

℟. Vídeo cælos apértos, & Jesum stantem à dextris virtútis Dei. * Dómine Jesu

su áccipe Spíritum meum: & ne státuas illis hoc peccátum. Et ejiciéntes eum extra civitátem lapidábant invocántem, & dicéntem. Dómine Jesu. Glória Patri. Vídeo.

Lectio v.

Ascéndit iste lapidántibus Judæis: quia ille descéndit lætántibus Angelis. Glória in excélsis Deo; heri exultántes sancti Angeli cantavérunt: hódie Stéphanum lætántes, in suum consórtium suscepérunt. Heri Dóminus exivit de útero Vírginis: hódie Miles egréssus est de ergástulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est involútus: hódie Stéphanus stola est ab eo immortalitátis indútus. Heri præsépis angústia; Christum portávit infántem: hódie imménsitas cœli, suscépit Stéphanum triumphántē. Solus descéndit Dóminus: ut multos eleváret; humiliávit se Rex noster: ut suos mílites exaltáret.

℟. Impétum fecérunt unánimes in eum, & ejecérunt eum extra civitátem invocántem, & dicéntem: * Dómine áccipe Spíritum meū. ℣. Et lapidábant Stéphanum invocántem, & dicéntem: Dómine áccipe. Glória Patri. Impétum.

Lectio vj.

Necessárium tamen nobis est, Fratres, cognóscere; quibus armis præcínctus Stéphanus sævítiam Judæórum pótuit superáre: ut ita meruísset felíciter triumpháre. Stéphanus ergò, ut nóminis sui corónam meruísset accípere; charitátem pro armis habebat: & per ipsam ubíque vincébat. Per charitátem Dei; sæviéntibus Judæis non cessit: per charitátem próximi, pro lapidántibus intercéssit. Per charitátem arguébat errántes; ut corrigeréntur: per charitátem pro lapidántibus orábat, ne puniréntur. Charitátis virtúte subníxus: vicit Saulum crudéliter sæviéntem; & quem hábuit in terra persecutórem: in cœlo méruit habére consórtem.

℟. Lapidábant Stéphanum invocántem, & dicéntem: * Dómine Jesu Christe, áccipe Spíritum meum: & ne státuas illis hoc peccátum. ℣. Pósitis autem génibus voce magna clamávit dicens:

tens: Dómine Jesu. Glória Patri. Lapidábant.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij Cap. 23.

IN illo témpore dicébat Jesus turbis Judæórum, & princípibus Sacerdótum. Ecce ego mitto ad vos prophétas, & sapiéntes, & Scribas & ex illis occidétis, & crucifigétis. Et ex eis flagellábitis in Synagógis vestris; & persequémini de civitáte in civitátem. Et réliqua.

Homilia sancti Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

In Natali sancti Stephani.

SUpérius in hoc Evangélio Scribis & Pharisæis Dóminus & salvátor noster lóquitur, dicens Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypócritæ; qui ædificátis sepúlchra Prophetárum, & ornátis monuménta justórum & dícitis. Si fuisémus in diébus Patrum nostrórum; non esémus socii eórum in sánguine Prophetárum. Ita testimónium estis vobismetípsis; quia filii estis eórum qui Prophétas occidérunt. Væ, inquit, vobis non quia ædificátis & ornátis sepúlchra Prophetárum; (hoc enim pietátis opus est) sed quia filij estis eórum, qui Prophétas occidérunt. Filij quidem non tantùm natúra; quantum imitatióne & iniquitáte. Sicut enim omnes boni dicúntur filij Abrahæ, qui imitántur Abraham ita omnes íniqui; iniquórum filij dicúntur quia imitãtur íniquos.

℟. Intuens in cœlum beátus Stéphanus; vidit glóriam Dei, & ait: * Ecce vídeo cælos apértos, & Fílium hóminis stantem à dextris virtútis Dei.

℣. Cum autem esset plenus Spíritu sancto, inténdens in cœlum, vidit glóriam Dei, & ait: Ecce vídeo. Glória Patri. Intuens.

Lectio viij.

EGo mitto ad vos Prophétas, Sapiéntes & Scribas; & ex illis occidétis & crucifigétis, & ex illis flagellabítis in Synagógis vestris. Talis erat beátus Stéphanus de quo modò cùm legerétur, audívimus; quia plenus grátia & fortitúdine faciébat prodígia & signa magna in pópulo. Surrexérunt autem

quidam

quidam de Synagoga, disputántes cum eo; & non póterant resístere Sapiéntiæ & Spirítui quo loquebátur. Unde & Dóminus ait Ego dabo vobis, os & sapiéntiam; cui non póterunt resístere, & contradícere omnes adversárij vestri. Sic ígitur pugnábant Sancti; sic eos Dóminus pugnáre dócuit non armis pugnabátur, sed voce. Sic ante pugnáverat Gédeon cujus prælium, hæc ómnia Sanctórum prælia significávit. Gédeon namque contra Madianítas pugnatúrus; his qui secum erant tubas & lámpades paráre jussit. Præcépit autem ut intra lagúnculas lámpades occultárent & sic ad præliũ proféctus est.

℟. Curavérunt Stéphanum viri timoráti, & fecérũnt planctum magnum super eum. Facta est autem & persecútio magna advérsùs Ecclésiam, * Quæ erat Jerosólimis. ℣. Saulus autem erat conséntiẽs neci ejus, & devastábat Ecclésiã. Quæ erat. Glória Patri. Curavérunt. *Lectio ix.*

Vide ígitur quàm benè sibi convéniant; prælium Protomártyris Stéphani & prælium Gedeónis. Si enim per tubas prædicatórum voces significántur; tunc nimírum beátus Stéphanus tuba sonábat quando incrédulos Judæos arguébat, & prædicábat. Quando verò prodígia & signa magna faciébat: tunc útique lámpades manu tenébat. Major est enim splendor miraculórum, quàm splendor ignis; & multò lóngius refúlget miraculórum fama quàm lampadárum flamma. Tunc autem Judæi sæviéntes, & ad lápides curréntes Protomártyris lagúnculam fregérũt; quia eum lapidavérunt & lapídibus interfecérunt. Vicit tamen beátus Stéphanus quóniam coronátus cælos ascéndit; Judæi autem victi sunt quóniam post paucos annos; destrúcta civitáte, in captivitátem dedúcti sunt.

℟. Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glória honóris, * Et opus fortitúdinis.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite

pite eius, corónam de lápide pretióso. Et opus.

Hoc ℟. non duplicatur quia dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphona

LApidábant Stéphanum, & ipse invocábat Dóminum, dicens: Ne ſtátuas illis hoc peccátum. *Pſalmus.* Dóminus regnávit. *cum reliq.* 20. *Aña.* Stéphanus vidit cœlos apértos, & Jeſum ſtantem à dextris Dei. *Aña.* Ecce vídeo cęlos apértos, & Jeſum ſtantem à dextris Dei. *Aña.* Si quis mihi miniſtráverit, honorificábit eum Pater meus, qui eſt in cælis, dicit Dóminus.

Aña. Ecce verè Iſraëlíta, in quo dolus non eſt.

Capitulum. Act. 6.

CUm eſſet Stéphanus plenus Spíritu ſancto; inténdens in cœlum vidit glóriam Dei: & Jeſum ſtantem à dextris Dei.

℣. Stola jocunditátis.

℟. Induit eum Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Stéphanus autem plenus grátia & fortitúdine faciébat ſigna magna in pópulo. *Dupl.*

Orémus. *Oratio.*

DA nobis, quæſumus Dómine imitári quod cólimus: ut diſcámus & inimícos dilígere; quia ejus Natalítia celebrámus: qui novit étiam pro perſecutóribus exoráre, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum; Qui tecum.

Ad Tertiam, Capitulum.

STéphanus autem plenus grátia & fortitúdine: faciébat prodígia, & ſigna magna pópulo.

℟. Poſuíſti Dómine ſuper caput ejus. ℣. Corónam de lápide pretióſo. Glória Patri. ℣. Glória & honóre, coronáſti eum Dómine. ℟. Et conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárũ.

Oratio. Da nobis. *ut ſuprà, ad Laudes.*

Ad Sextam, Capit. Act. 6.

SUrrexérunt autem quidam de Synagóga, quæ appellátur Libertinórum, & Cyrenénſium, & Alexandrinórum; & eórum, qui erant à Cilícia & Aſía, diſputántes cum Stéphano: & non póterant reſíſtere Sapiéntiæ, & Spirítui, quo loquebátur.

℟. Glória & honóre, coronáſti

ronásti eum Dómine.

℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Glória Patri. ℣. Magna est glória ejus, in salutári tuo. ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui primítias mártyrum, in beáti Levítæ Stéphani sánguine dedicásti: tríbue quæsumus; ut pro nobis intercéssor exístat: qui pro suis étiam persecutóribus exorávit Dóminum nostrum, Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

Ad Nonã, Capit. Act. 7.

POsitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens; Dómine, ne státuas illis hoc peccátum: & cùm hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

℟. Magna est glória ejus, in salutári tuo. ℣. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. Glória Patri. ℣. Stola jocunditátis. ℟. Induit eum Dóminus.

Orémus. *Oratio.*

GRátias ágimus Dómine, de multiplicátis circa nos miseratiónibus tuis: qui & Fílii tui Nativitáte nos salvas; & beáti Mártyris Stéphani: deprecatióne sustentas. Per eúndem.

Ad Vesperas. Antiphona. Lapidábant Stéphanum. *ut suprà in Laudibus. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.* 148. *& loco ultimi, Psalmus.* Crédidi. 152. *Capitulum.* Stéphanus autem plenus grátia. *ut suprà, ad Tertiam.*

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide preti óso.

Ad Magnificat. Añа. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti, & fecérunt planctum magnum super eum. *Duplicatur.*

Oratio. Da nobis, quæsumus. *ut suprà.*

Processio de S. Ioanne.

In primo Nocturno.

℟. j. In illa die. *ut infrà.*

Ad secundum Magnificat. Aña. Hic est Discípulus ille, qui testimónium perhíbuit: & scimus quia verum est testimónium ejus.

Orémus. *Oratio.*

ECclésiam tuam Dómine benígnus illústra, ut beáti

Beáti Joánnis, Apóstoli tui & Evangelístæ illumináta doctrínis ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Ad Completorium, Hymnus. Christe Redémptor ómnium.

IN FESTO
Sancti Ioannis Apostoli & Evangelistæ. Duplex. Primæ Classis.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Apostolórum Dóminum, Veníte adorémus. *Duplic. Psalm.* Veníte. *Aña.* In omnem terram. *Psalm.* Cæli enárrant. *cum aliis Antiphonis, Psalmis & Versiculis de Communi Apostolorum.* iij.

In primo Nocturno.

Incipit Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

QUod fuit ab inítio; quod audívimus; quod vídimus óculis nostris; quod perspéximus, & manus nostrę contrectavérunt de verbo vitæ & vita manifestáta est, & vídimus, & testámur; & annunciámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud patrem & appáruit nobis. Quod vídimus & audívimus, annunciámus vobis; ut & vos Societátem habeátis nobíscum & Societas nostra sit cum Patre, & cum Fílio eius Jesu Christo. Et hæc scríbimus vobis, ut gaudeátis & gáudium vestrum sit plenum. Et hæc est annunciátio, quam audívimus ab eo; & annunciámus vobis Quóniam Deus Lux est, & ténebræ in eo non sunt ullæ.

Responsoria duplicantur.

℞. In illa die suscípiam te servum meum, & ponam te, sicut signáculum in conspéctu meo. * Quóniam ego elégi te, dicit Dóminus. ℣. Pósui verba mea in ore tuo: & in umbra manus meæ protéxi te. Quóniam. Glória Patri. Sicut erat. In illa.

Lectio ij.

SI dixérimus, quóniam Societátem habémus cum eo; & in ténebris ambulámus mentímur, & veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus, sicut & ipse est in luce; Societátem habémus adínvicem & Sanguis Jesu Christi Fílij ejus, emúndat nos ab omni peccáto. Si dixérimus quóniam peccátum

tum non habémus : ipsi nos sedúcimus : & véritas in nobis non est. Si confiteámur peccáta nostra ; fidélis est & justus, ut remíttat nobis peccáta nostra : & emúndet nos ab omni iniquitáte. Si dixérimus quóniam non peccávimus ; mendácem fácimus eum : & verbum ejus non est in nobis.

℟. Puer meus noli timére, quia ego sum tecum, dicit Dóminus. * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit te, & odor ignis non erit in te. ℣. Quia ego Dóminus Deus tuus apprehéndens manum tuam, dicénsque tibi, Ne tímeas. Si transíeris. Glória Patri. Puer meus.

Lectio iij.

FIlíoli mei, hæc scribo vobis, ut non peccétis. Sed & si quis peccáverit ; advocátum habémus apud Patrem Jesum Christum justum : & ipse est propitiátio pro peccátis nostris. Non pro nostris autem tantùm : sed étiam pro totíus mundi. Et in hoc scimus, quóniam cognóvimus eum : si mandáta ejus observémus. Qui dicit se nosse eum ; & mandáta ejus non custódit : mendax est, & in hoc véritas non est. Qui autem servat verbum ejus : verè in hoc cháritas Dei perfécta est.

℟. Hic est discípulus, qui testimónium pérhibet de his, * Et scripsit hæc ; Et scimus, quia verum est testimónium ejus. ℣. Qui contestátus est verbum Dei, & testimónium Jesu Christi in his, quæcúmque vidit. Et scripsit hæc. Glória Patri. Hic est.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio iv.

JOánnes Apóstolus, quem Jesus amávit plúrimum : filius Zebedæi ; frater Jacóbi Apóstoli ; quem Heródes post passiónem Dómini decollávit : novíssimus ómniũ scripsit Evangélium. Rogátus ab Asiæ Epíscopis, advérsus Cerínthum, aliósque hæréticos ; & máximè tunc Ebionitárum dogma consúrgens, qui ásserunt Christum ante Maríam non fuísse : & compúlsus est divínã ejus Nativitátem edícere.

℟. Iste

℟. Iste est Joánnes, qui super pectus Dómini in cœna recúbuit. * Beátus Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cœléstia. ℣. Valdè honorândus est Beátus Joánnes, qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit. Beátus Apóstolus. Glória Patri. Iste est Joánnes.

Lectio v.

QUartodécimo autem anno, secúndam post Nerónē persecutiónē movénte Domitiáno; in Pathmos ínsulā relegátus, scripsit Apocalypsim: quam interpretátur Justínus Martyr, & Irenæus. Interfécto autem Domitiáno; & actis ejus ob nímiam crudelitátem à Senátu rescíssis: sub Nerva Príncipe rédiit Ephesum. Ibíque usque ad Trajánum príncipem persevérans; totas Asiæ fundávit: rexítque Ecclésias. Et conféctus sénio; sexagésimo octávo post Passiónem Dómini anno mortuus: juxta eandem urbem sepúltus est.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus: nimis confortátus est principátus eórum: dinumerábo eos; * Et super arénam multiplicabúntur. ℣. Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es, mirabília ópera tua. Et super. Glória Patri. Nimis.

Ex Commentáriis ejúsdem in Epist. ad Gálatas.

Lectio vj. Lib. 7. c. 6.

BEátus Joánnes Evangelista, cùm Ephesi moraretur usque ad últimam senectútem: & vix inter discipulórum manus ad Ecclésiam deferrétur; nec posset in plura verba vocem contéxere: nihil áliud per síngulas solébat proférre colléctas; nisi hoc: Filíoli, dilígite altérutrum. Tandem discípuli, & fratres, qui áderant; tædio affécti, quod éadem semper audírent: dixérunt. Magíster; quare hoc semper lóqueris? qui respóndit: dignā Joánne senténtiam. Quia præcéptum Dómini est: & si solum fiat, súfficit.

℟. Qui vícerit, fáciam illum columnam in templo meo, dicit Dóminus: * Et scribam super eum nomen meum, & nomen civitátis novæ Jerúsalem. ℣. Vincénti dabo ei manna abscónsum, & dabo illi cálculum cándidum. Et scribam.

bam. Glória Patri. Qui vícerit.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore: Dixit Jesus Petro. Séquere me. Convérsus Petrus, vidit illum discípulum, quem diligébat Jesus, sequéntem: qui & recúbuit in cœna, super pectus ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 124. in Ioan. post medium.

DUas vitas sibi divínitus prædicátas & cōmendátas novit Ecclésia: quarum una est in fide, áltera in spécie; una in témpore peregrinatiónis: áltera in æternitáte mansiónis. Una in labóre, áltera in réquie; una in via, áltera in pátria: una in ópere actiónis, áltera in mercéde contemplatiónis. Una declínat à malo, & facit bonum; áltera nullum habet, à quo declínet, malum: & magnum habet, quo perfruátur, bonum. Una cum hoste pugnat: áltera sine hoste regnat,

℟. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. * Et inaltávit illum apud próximos suos. ℣. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: & implévit eum Spíritu sapiéntiæ & intelléctus. Et inaltávit. Glória Patri. Cibávit.

Lectio viij.

UNa súbvenit indigénti; altera ibi est: ubi nullum ínvenit indigéntem. Una aliéna peccáta, ut sua sibi ignoscántur, ignóscit; altera nec pátitur quod ignóscat: nec facit quod sibi poscat ignósci. Una flagellátur malis, ne extollátur in bonis; altera tanta plenitúdine grátiæ caret omni malo: ut sine ulla tentatióne supérbiæ, cohæreat summo bono.

℟. Stola jocunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónā pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. Et corónam. Glória Patri. Stola.

Lectio ix.

ERgo una bona est, sed adhuc mísera: áltera mélior,

mélior, & beáta. Ista significáta est per Apóstolum Petrum: illa per Joánnem. Tota hic ágitur ista, usque in hujus sæculi finem; & illic ínvenit finem: differtur illa compléndа post hujus sæculi finem; sed in futúro sæculo non habet finem. Ideò dícitur huic: séquere me. De illo autem; sic eum volo manére, donec véniam, quid ad te? tu me séquere. Quid enim est hoc? nisi tu me séquere per imitatiónem, perferéndo temporália mala; ille máneat: donec sempitérna vénio reddítúrus bona.

℞. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus Spíritu sapiéntiæ & intelléctus. ℣. Jocunditátem & exultatiónem thesaurizávit super eum. Et implévit.

Hoc ℞. non duplicatur, quia dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphona. Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de his: & scimus quia verum est testimónium ejus. *Psalmus.* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica,* 20.

Aña. Ecce puer meus diléctus, quem elégi, pósui super eum spíritum meum.

Aña. Sunt de hic stántibus, qui non gustábunt mortem, donec vídeant Fílium Hóminis in regno suo.

Aña. Exiit sermo inter Fratres, quod Discípulus ille non moreretur: & non dixit Jesus. Non móritur: sed sic eum volo manére, donec véniam.

Aña. Sic eum volo manére, donec véniam. Tu me séquere.

Capitulum. Eccli. 15.

QUi timet Deum, fáciet bona; & qui cóntinens est justítiæ, apprehéndet illam: & obviábit illi, quasi mater honorificáta.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus.

℞. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad Benedictus, Antiph. Hic est Joánnes qui supra pectus Dómini recùbuit: beátus Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

ECclésiam tuam Dómine benígnus illústra; ut Beáti Joánnis Apóstoli

tui

tui & Evangelístæ illumináta doctrinis ⁊ ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Capitulum. Qui timet Deum. *ut sup.*

℟. In omnem terram exívit sonus eórum. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Glória Patri.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram.

℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Oratio. Ecclésiam tuam. *ut suprà.*

Ad Sextam, Cap. Eccli. 15.

CIbávit illum pane vitæ & intelléctus; & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum ⁊ Dóminus Deus noster.

℟. Constítues eos príncipes super omnem terram.

℣. Mémores erunt nóminis tui Dñe. Glória Patri.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus.

℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Orémus. *Oratio.*

SIt Dómine, quæsumus, Beátus Joánnes Evangelísta nostræ fragilitátis adjútor ⁊ ut pro nobis tibi súpplicans, copiósius audiátur. Per Dóminum.

Ad Nonam, Cap. Eccli. 15.

IN médio Ecclésiæ apéruit os ejus; & implévit illum Dóminus Spíritu sapiéntiæ & intelléctus ⁊ & stolam glóriæ índuit eum.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Glória Patri.

℣. Annunciavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui per os Beáti Joánnis Apóstoli tui, Verbi nobis arcána reseràsti ⁊ præsta, quæsumus; ut quod ille nostris áuribus excelléntet infúdit ⁊ intelligéntiæ competéntis eruditióne capiámus. Per eúmdem Dóminum.

AD VESPERAS.

Aña. Hic est Discípulus ille. *cum reliq. de Laudibus. ut suprà. Psalmi ut in secundis Vesperis de Communi Apostolor.* xvj.

Capitulum. Qui timet Deum. *ut sup. ad Laudes.*

℣. In omnem terram exívit sonus eórum.

℟. Et fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat, Antiph. Valdè honorándus est Beátus

nis Joánnes, qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit. *Dupl.*

Oratio. Ecclésiam tuam. *ut suprà ad Laudes.*

Processio de sanctis Innocentibus.

℟. Sub altari Dei. *ut infrà in j. Noct.*

Ad ij. Magnificat, Aña. Hi sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti, Vírgines enim sunt, & sequúntur Agnum, quocúmque ierit.

Orémus. *Oratio.*

DEus cujus hodiérna die præcónium Innocéntes Mártyres, non loquéndo sed moriēdo conféssi sunt: ómnia in nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuam, quam lingua nostra lóquitur: étiam móribus, & vita fateátur. Per Dóminum.

IN FESTO
Sanctorum Innocentium.
Duplex Majus.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Regum Dóminum, veníte adorémus, quia ipse est coróna Sanctórum Mártyrum. *Dupl. Psalm.* Veníte. 2. *Aña.* Sancti qui sperant. *Psalm.* Beátus vir. *cum aliis Antiphonis, Psalmis, & ℣. de Communi Plurimorum Martyrum.* lv.

In primo Nocturno.

De Jerémia Prophéta.

Lectio j. Cap. 21.

HÆc dicit Dóminus. Vox in excélso audíta est lamentatiónis, luctus & fletus; Rachel plorántis filios suos, & noléntis consolári super eis: quia non sunt. Hæc dicit Dóminus. Quiéscat vox tua à plorátu, & óculi tui à lácrymis; quia est merces óperi tuo, ait Dóminus: & reverténtur de terra inimíci. Et est spes novíssimis tuis, ait Dóminus: & reverténtur filii ad términos suos.

℟. Sub altári Dei audívi voces occisórum dicéntium: Quáre non defféndis sánguinem nostrum? & accepérunt Divínum respónsum: * Adhuc sustinéte módicum tempus, donec impleátur númerus fratrum vestrórum. ℣. Et datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ, & dictum est illis. Adhuc sustinéte.

Lectio ij.

AUdiens audívi Ephraim transmigrántem: Castigásti me, &

erudítus sum, quasi juvénculus indómitus. Convérte me, & convértar ⸗ quia tu Dóminus Deus meus. Postquam enim convertísti me, egi pœniténtiam ⸗ & postquam ostēdísti mihi, percússi femur meum. Confúsus sum, & erúbui ⸗ quóniam sustínui oppróbrium adolescéntiæ meæ. Si filius honorábilis mihi Ephraim ⸗ si puer delicátus; quia ex quo locútus sum de eo ⸗ adhuc recordábor ejus.

℟. Vidi Agnum stantem super montem Sion: & cum eo Sanctórum míllia. * Habéntes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptū in fróntibus suis. ℣. Et cantábant quasi cánticum novum ante sedem, & ante quátuor animália, & senióres. Habéntes nomen ejus.

Lectio iij.

STátue tibi spéculam, pone tibi amaritúdines; dírige cor tuum in viam rectam ⸗ in qua ambulasti. Revértere Virgo Israël ⸗ revértere ad civitátes tuas istas. Usquequò delíciis dissólveris filia vaga? Quia creávit Dóminus novum super terram ⸗ Fœmina circúmdabit virum. Hæc dicit Dóminus exercítuū; Deus Israël ⸗ Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, & in úrbibus ejus; cum convértero captivitátem eórum ⸗ Benedícat tibi Dóminus; pulchritúdo justítiæ ⸗ mons sanctus.

℟. Adoravérunt vivéntem, in sæcula sæculórum, mitténtes corónas suas, * Ante thronum Dómini Dei sui. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos. Ante thronum. Glória Patri. Ante thronum.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 3. de Symbol. ad Cathec. cap. 4.

Lectio iv.

MOriúntur párvuli pro Christo nesciéntes; paréntes plangunt Mártyres moriéntes ⸗ Ille nondum loquéntes, idóneos suos éfficit testes. Ecce quómodo regnat qui sic regnáre vénerat. Ecce jam líberat liberátor ⸗ & salútem præstat Salvátor. Sed tu

tu Heródes, néſciens hoc, turbáris & sævis: & dum contra párvulum ſævis; jam illi obséquium præbes: & neſcis. Ille enim Rex magnus qui ad hoc venit, ut per te, & per álios, ſuos hinc cóngreget; tu illi prior ad regna cælórum tot míllia candidatórum infántum: immarceſſíbilem præmíttis exércitum.

℟. Iſti ſunt ſancti, qui non inquinavérunt veſtiménta ſua, ambulábunt mecum in albis: * Quia digni ſunt. ℣. Hi empti ſunt ex homínibus, primítiæ Deo & Agno: Hi ſequúntur Agnum quocũque íerit. Quia.

Lectio v.

O Magnum donum grátiæ. Quibus eórum méritis præſtitum eſt ut ſic víncerent infántes? nec dum loquúntur & Chriſtum confiténtur; nec dum mótibus membrórum valent ſuſcípere pugnam: & victóriæ jam éfferunt palmam. Quómodo regnas Heródes, qui ſic vínceris? Parvus ille, non te armatórum virórum fórtium ſuperávit manu; ſed innumerábili vicit turbâ morientium parvulórum. Vis noſſe quid infántibus quos trucidáſti præſtíteris? Ideò acceleráſti ad eórum vitã; hoc illo per te ágente: qui novit benè uti etiam malis tuis.

℟. Centum quadragínta quátuor míllia, qui empti ſunt de terra, hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquináti: vírgines enim permanſérunt: * Ideò regnant cum Deo, & Agnus Dei cum illis. ℣. Iſti ſunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, & lavérunt ſtolas ſuas in ſánguine Agni. Ideò regnant.

Lectio vj.

EGit, & agit grátia cauſas ſuas, & per inimícos ſuos; & per ipſos: & in ipſos. Nam & ipſi, qui moriebántur; natúra filij iræ erant: ſicut & cæteri. Sed quid eis præſtitit grátia; niſi ut erúeret eos de poteſtáte tenebrárum? Præſtitit eis Chriſtus, ut pro Chriſto moreréntur; præſtitit ut ſuo ſánguine: ab originali peccáto dilueréntur. Nati ſunt ad mortem: ſed contínuò eos mors réddidit vitæ.

℟. Abſtérſit Deus omnem lácrymam ab óculis eó-

rum : & mors non erit ámplius, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor. * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Justórum ánimæ in manu Dei sunt: & non tanget illos torméntum malítiæ. Quóniam. Glória Patri. Quóniã.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens. Surge. & áccipe púerum, & Matrem ejus; & fuge in Ægyptum & esto ibi usque dum dicam tibi. Futúrum est enim; ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Homil. in superius Evangel. tomo 7.

DE morte pretiósa Mártyrum Christi Innocéntium; Sacra nobis est, Fratres charíssimi, Evangélij Léctio recitáta in qua tamen ómnium Christi Mártyrum, pretiósa mors est designáta. Quòd enim párvuli occísi sunt significat per humilitátis méritum, ad Martyrij perveniéndum glóriam; & quia nisi convérsus fúerit quis, & efféctus ut párvulus non possit ánimam dare pro Christo. Quòd in Béthlehem, & in ómnibus finibus ejus occisi sunt osténdit non solum in Judæa, unde Ecclésiæ cœpit orígo; sed & in ómnibus ejúsdem Ecclésiæ finibus, quacúmque per Orbem diffúsa est persecutiónem sævitúram perfidórum, & piórum patiéntiam esse coronándam. Qui à bimátu occísi sunt doctrína & operatióne perféctos indicant; qui verò infra símplices vel idiótas; fidei tamen non fictæ constántiâ fortes æquè denúnciant. ℟. Effudérunt sánguinem Sanctórum, velut aquam. * In circúitu Jerúsalem : & non erat qui sepelíret. ℣. Posuérunt mortália servórum tuórum escas volatílibus cœli. In circúitu.

Lectio viij.

QUòd illi quidem occísi sunt sed Christus qui quærebátur, vivens evásit; insínuat córpora quidem ab ímpiis posse périmi sed Christum, pro

quo persecútio tota sævit, nullátenus eis vel vivéntibus, vel occísis posse auférri; sed eos veráciter contestári, quia sive vívimus, Dómino vívimus: sive mórimur, Dómino mórimur. Sive enim vívimus, sive mórimur: Dómini sumus. Quod juxta vaticínium Jeremíæ, Vox in Rama, id est; in Excélso, audita est, plorátus, & ululátus; maniféstè denúntiat luctum sanctæ Ecclésiæ: quæ de iniústa membrórum suórum nece gemit; non ut hostes gárriunt in vácuum cédere: sed usque ad sólium ascéndere supérni Júdicis. Et sicut Protomártyris Abel: ita étiam sánguinem cæterórum Mártyrum de terra clamáre ad Dóminum. Juxta illud Viri Sapiéntis: Non despícies preces pupílli; nec víduam: si effúndat loquélam gémitûs.

℟. Anima nostra sicut passer erépta est. * De láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus est, & nos liberáti sumus. De láqueo.

Lectio ix.

QUòd Rachel plórasse dícitur filios suos; nec voluisse consolári, Quia non sunt: significat Ecclésiam ploráre quidem Sanctórum de hoc sæculo ablatiónem; sed non ita velle consolári, ut qui sæculum morte vicérunt, rursus ad sæculi certámina, secum toleránda rédeant: quia nimírum non sunt ultra revocándi in mundum; de cujus ærúmnis semel evasérunt: coronándi ad Christum. Rachel namque, quæ ovis, aut videns Deum dícitur; Ecclésiam figuráte demónstrat: cujus tota inténtio, ut vidére Deum mereátur, invígilat. Et ipsa est ovis centésima; quam Pastor bonus relíctis in cœlo nonaginta novem óvibus Angelicárum virtútum: ábiit quærere in terra; inventámque suis húmeris impósuit: & sic reportávit ad gregem.

℟. Laudáte gentes pópulum Dómini: quia sánguinem Sanctórum suórum ulciscétur. * Et propítius erit terræ pópuli sui. ℣. Et vindíctam retríbuet in hostes eórum. Et propítius.

Omittitur Glória Patri. *quia dicitur* Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Antiphona.

HEródes irátus occídit multos púeros in Béthlehem Judæ civitáte David. *Psalm.* Dóminus regnávit. *cum reliquis.*

Aña. Vox in Rama audíta est, plorátus & ululátus, Rachel plorans filios suos.

Aña. A bimátu & infra, occídit multos púeros Heródes propter Dóminum.

Aña. Sínite párvulos veníre ad me: tálium est enim regnum cœlórum.

Aña. Angeli eórum semper vident fáciem Patris.

Capitulum. Apoc. 14.

VIdi supra montem Sion Agnum stantem; & cum eo centum quadragínta quátuor míllia: habéntes nomen ejus, & nomen Patris ejus, scriptum in fróntibus suis.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Delectentur in lætítia.

Ad Benedictus, Aña. Sub ara Dei: Sancti clamant, víndica sánguinem nostrum, Deus noster. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus, cujus hodiérna die præcónium Innocéntes Mártyres non loquéndo, sed moriéndo conféssi sunt: ómnia in nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuam, quam lingua nostra lóquitur: étiam móribus & vita fateátur. Per Dóminum.

Ad Tertiã. Capitulum. Vidi supra montem. *ut sup.*

℟. Sancti tui, Dómine benedícent te.

℣. Glóriam regni tui dícerit, & poténtiam tuam loquéntur. Glória Patri.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei.

℟. Delectentur in lætítia.

Oratio. Deus, cujus hodiérna die. *ut suprà.*

Ad Sextam, Capitulum. Apoc. 14.

HI sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti; vírgines enim sunt: hi sequúntur Agnum, quocúmque íerit.

℟. Exúltent justi in conspéctu Dei.

℣. Delectentur in lætítia. Glória Patri.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui licet sis magnus in magnis, mirabília

bílis tamen gloriósiùs operáris in mínimis; da nobis, quæsumus, in eórum celebritáte gaudére: qui Fílio tuo Dómino nostro testimónium præbuérunt, étiam non loquéntes. Per eúndem, &c.

Ad Nonam, Capitulum.
Apoc. 14.

HI empti sunt ex homínibus primítiæ Deo & Agno; & in ore ipsórum non est invéntum mendácium: sine mácula enim sunt ante thronum Dei.

℟. Lætámini in Dómino, & exultáte justi.

℣. Et gloriámini omnes recti corde. Glória Patri.

℣. Justi in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Orémus, *Oratio.*

IPsi nobis, Dómine, quæsumus, póstulent méntium puritátem: quorum innocéntiam, hódiè solémniter celebrámus. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Antiphona.

Heródes irátus. *cum reliquis de Laudibus. Psal. de Dominica.* 148. *& loco ultimi Psalm.* Crédidi propter quod locútus sũ. 152.

Capitulum. Vidi supra montem. *ut suprà in Laudibus.*

℣. Justórum ánimæ in manu Dei sunt.

℟. Et non tanget illos torméntum malítiæ.

Ad Magnificat, Aña. Ambulábunt mecum in albis, quóniam digni sunt: & non delébo nómina eórum de libro vitæ. *Duplic.*

Oratio. Deus cujus hodiérna die. *ut suprà.*

Deinde fit j. Processio de Sancto Thoma Cantuariensi.

℟. *j.* Qui vicérit. *ut in Communi unius Martyris.* xxxij.

Orémus. *Oratio.*

DEus, pro cujus Ecclésia gloriósus Pontifex Thomas gládiis impiórum occúbuit: præsta, quæsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium: petitiónis suę salutárem consequántur effécttũ. Per Dñm.

Hæc Oratio dicitur ad Laudes Tertiã & Vesperas.

Ad ij. Processionem ℟. *ij.* Puer meus. xxxij.

Oratio. Infirmitátem. *de Cõmuni Mart. Pont.* xxxij.

Si Festum Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Ioan-

nis Evangelistæ, SS. Innocentium, & eorum dies Octavæ venerint in Dominica, ipso die nihil fit de Dominica, sed die proximo post Festum S. Thomæ Martyris fit Officium de ea, ut infra. Si vero Festũ S. Thomæ venerit in Dominica, fit de eo, & legitur nona Lectio de Homilia Dominicæ, de qua etiam fit commemoratio in Missa.

IN FESTO *Sancti Thomæ Episcopi & Mart. Semid. Majus.*

Omnia de Communi unius Martyris, præter Lectiones ij. & iij. Noctur. & Orationem.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura, in Communi unius Martyris. A mileto. xxxv.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

THomas gloriósus Christi Martyr, & Cantuáriæ digníssimus Præsul; ac Lugdunénsium Canonicórum Gémma * : Londíni in Anglia natus, Theobáldo succéssit in Episcopátu. Et qui ántea in administrándo Cancellá riæ múnere præcláre se géßerat : in Episcopáli officio fortis, & invíctus fuit. Cum enim Henrícus Secúndus Angliæ Rex, convocátis ad se Epíscopis & Procéribus regni; Leges ferret Libertáti ac Dignitáti Ecclesiásticæ repugnántes: ádeò constánter óbstitit régiæ cupiditáti; ut neque pollicitatiónibus, neque terróribus de Senténtia decédens, próximè conjiciéndus in cárcerem : clam recésserit. Inde propínqui ejus, omnis ætátis ejécti, & amíci omnes; iis quibus per ætátem licéret, jurejurándo adstríctis, univérsos Thomam aditúros : si fortásse miserábili suórum calamitátis aspéctu moverétur. Sed non respéxit carnem & Sánguinem; neque ullus in eo humanitatis sensus : Pastorális Officij constántiam labefactávit. ℟. Justus germinábit. xxxix.

Lectio ij.

COntulit ígitur se ad Alexándrum Tértium Pontíficem. A quo benígnè accéptus; & Mónachis Pontiniacénsis monastérij Cistertiénsis Ordinis commendátus est. Sed è Pontiniaco

* Ex antiquis Actis capit. Eccl. Lugd.

níaco Vir Sanctus; véritus ne sua causa mali áliquid Cistertiénsis família ab Henríco paterétur: sponte discéssit. Lugdunúmque confúgiens; ab Archiepíscopo & Capítulo Lugdunénsi: humaníssime excéptus est. * Ibi per annos áliquot commorátus; domum própriam in claustro, & terram, vocátam Aulam de Quinciaco infra Comitátum ejúsdem Ecclésiæ sitam, in donum gratúitum accépit: & Canonicórum ejúsdem Ecclésiæ número fuit aggregátus. Tandem Pontífice Máximo, & Ludovíco Séptimo Galliárum Rege; pro sancti Præsulis causa agéntibus: ab exílio, revocátur. Qui dum boni Pastóris Officium secúrus exéquitur; ecce calumniatóres ad Regem déferunt: eum multa contra regnum & públicam quiétem molíri; ut proptérea sæpius cõquereretúr Rex: se in suo Regno, cum uno Sacerdóte pacem habére non posse. ℟. Stola jocunditátis. xl.

Lectio vj.

EX qua Regis voce, nefárij Satéllites; sperántes gratum se Regi factúros, si Thomam è médio tóllerent: clam conveniéntes Cantuáriam; Epíscopum, in templo, Vespertínis Horis óperam dantem: aggrediúntur. Qui Cléricis, templi áditus præclúdere conántibus; adcúrrens, óstium apéruit: illis usus verbis ad suos. Non est Dei Ecclésia custodiénda more castrórum: & ego pro Ecclésia Dei, libénter mortem subíbo. Tum ad mílites; vos Dei jussu cavéte: ne cuípiam meórum noceátis. Deínde flexis génibus, Deo Ecclésiam, & se ipsum comméndans; Sacrum caput, ímpio ferro præcidēdum óbtulit, quarto Caléndas Januárii: Anno Dómini Millésimo Centésimo Septuagésimo Primo. * Cujus vitam Beátam memorántes, finémque beatiórem, Lugdunénses Canónici & Cómites; qui fratérnæ dilectiónis vínculis cum Sanctíssimo Mártyre tàm arctè fúerant conjúncti: post vigínti círciter annos sub ejúsdem Beáti Thomæ vocábulo; Ecclésiam Collegiátam

* *Ex iisdem Actis.*

* *Ex iisdem Actis.*

Decem Canonicórum dotárunt: Præpósitum suæ Ecclésiæ illi præficiéntes; in capitis & Præsidéntiæ Solámen: quæ huc usque Ecclésia S. Thomæ de Forvério nuncupátur.

℟. Cibávit. xl.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis. Ego sum Pastor Bonus; Bonus Pastor ánimam suam dat: pro óvibus suis. Mercenárius autem & qui non est Pastor; cujus non sunt oves própriæ: videt lupum veniéntem; & dimíttit oves: & fugit. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 59. in Ioannem.

MAgnum quiddam, Dilectíssimi: magnum, inquam, est Ecclésiæ prælatio; & quæ multa indiget sapiéntia & fortitúdine: qualem Christus propósuit. Ut ánimam pro óvibus ponámus; & nunquàm illas deserámus: ut lupo generósè resistámus. Hæc enim inter pastórem, & mercenárium est differéntia. Alter própriæ salútis, contémptis óvibus; alter, suâ contemptâ: óvium semper salúti invígilat. Pastóris ergò exémplo demonstráto, deceptóres duos méminit; furem mactántem, & rapiéntem oves: & mercenárium permitténtem, neque defendéntem commíssas.

℟. Probávit me Dóminus. xliij.

Lectio viij.

QUod superióri témpore Ezéchiel his verbis insectátus est: Væ pastóribus Israël. Nonne greges pascúntur à pastóribus? Sed illi contrárium faciébant; quod máximæ malítiæ genus est: & plurimórum causa malórum. Idcírco, inquit; Neque quod abjéctum erat, reducébant: neque quod períerat, quærébant; neque confráctum alligábant, neque infirmum consolidábant: quóniam se, non gregem pascébant. Idem & Paulus áliis verbis signíficat: Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.

℟. Beátus vir, qui post. xliij.

Lectio ix.

VErum ab utróque se diffidére ostēdit Christus: ab illis quidem qui in aliórum perníciem véniunt; cùm dicat, se proptéreà venísse, ut vitam habérent: & abundántiùs habérent. Ab his autem, qui oves à lupis rapi négligant; dicéndo, se propter eas ánimam pónere: ne oves perirent. Nam cùm Judæi ipsum interímere vellent: non proptéreà déstitit à Doctrína, neque credéntes trádidit; sed pérstitit: & pértulit mortem. Ideò frequénter inquit: Ego sum Pastor bonus. Quæ cùm nullo niti testimónio videréntur; (quòd enim póneret ánimam suā, non multò post, re monstrátum est: quòd autem vitam habérent, & abundántius habérent; post hujus vitæ migratiónem futúrum erat:) álterum ab áltero confirmat.

℟. Coróna aúrea. xliv.

Ad Vesperas, Añæ & Psalmi de Feria occurrente, ut in Psalterio, Capitulum & reliq. de Communi unius Martyris.

Oratio. Deus pro cujus Ecclésia, *ut suprà ad Laudes. Ad Completorium. Hymnus.* Christe redémptor ómnium. 165.

Si Festum S. Thomæ non venerit in Dominica, Officium Dominicæ fit die immediatè sequenti Festum ipsius, nisi fuerit Sabbatum, quia tunc de Dominica legitur tantum Homilia in die S. Silvestri, & in Sabbato fit Officium de Octava Nativitatis, ut inferiùs ponitur.

OFFICIUM

Dominicæ infra Oct. Nativitatis si fuerit Dñica.

Si verò non fuerit Dominica, Offic. fit trium Lectionum. Unica tantum Processio. ℟. Ecce jam venit. *Oratio.* Omnípotens semp. Deus, dirige. *Invitator.* Regem natum, *novem Antiphonæ & novem Psalmi de Nativitate.* ℣. In sole pósuit Tabernáculū suum. ℟. Et ipse tanquam sponsus, procédens de thálamo suo. *Duæ primæ Lectiones, de initio Epistolæ ad Romanos (ex tribus duæ.) Tertia de homilia Dominicæ ut infra in tertio Nocturno (ex tribus una.)* 1. *Resp.* Ecce jam. 2. Verbum. 3. Be-

nedictus. *Ad Laudes & Horas ut in Officio ejusdem Dominicæ ut infra.*

Post Vesperas S. Thomæ. Ad primam Processionem. ℟. 1. Ecce jam venit. *ut infrà.* in 1. Noct.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo; ut in nómine Dilécti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre. Per eúndem Dóminum.

Ad secundã Processionem. ℟. 2. Verbum caro.

Orémus. *Oratio.*

REspice nos, miséricors Deus, & méntibus cleménter humánis: nascénte Christo, summæ Veritátis lumen osténde. Per eúndem.

Ad Matutinum, Invitat. Regem natum Dóminum, Veníte adorémus. *Cætera dicuntur sicut in die Nativitatis, præter ea, quæ hic sunt Propria.*

Hác nocte ponitur Epistola Beati Pauli ad Romanos, & de ea, & aliis ejus Epistolis legitur usque ad Septuagesimam.

In primo Nocturno.

In Choro pro prima Lectione legitur Prologus S. Hieronymi, incipiens: Primum intellígere. *Pro sequente verò Lectione legitur initium Epistolæ ad Romanos, Duabus, quæ sequuntur, in unam junctis.*

Incipit Epístola B. Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Servus Jesu Christi, vocátus Apóstolus; segregátus in Evangélium Dei: quod antè promíserat per Prophétas suos in Scriptúris sanctis de Fílio suo; qui factus est ei ex sémine David: secúndum carnem. Qui prædestinátus est, Fílius Dei in virtúte; secúndum Spíritum sanctificatiónis, ex Resurrectióne mortuórum Jesu Christi Dómini nostri: per quem accépimus grátiam, & Apostolátum; ad obediéndum fidei in ómnibus géntibus, pro nómine ejus: in quibus estis & vos vocáti Jesu Christi. Omnibus qui sunt Romæ, diléctis Dei, vocátis Sanctis; Grátia vobis & pax à Deo Patre nostro: & Dómino Jesu Christo.

℟. Ecce jam venit plenitúdo témporis, in quo misit

sit Deus Filium suum in terras, natum de Vírgine, factum sub Lege. * Ut eos, qui sub Lege erant redímeret. ℣. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis. Ut eos, qui.

Lectio ij.

PRimùm quidem grátias ago Deo meo, per Jesum Christum; pro ómnibus vobis: quia fides vestra annunciátur in univérso mundo. Testis enim mihi est Deus, cui sérvio in Spíritu meo in Evangélio Filii ejus; quòd sine intermissióne memóriam vestri fácio semper in Oratiónibus meis: óbsecrans, si quo modo tandē aliquándo; prósperum iter hábeam in voluntáte Dei: veniéndi ad vos. Desidéro enim vidére vos: ut áliquid impértiar vobis grátiæ Spirituális; ad confirmándos vos: id est, simul consolári in vobis; per eam, quæ ínvicem est: fidem vestram, atque meam.

℟. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis. * Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi unigéniti à Patre, plenum grátiæ & veritátis. ℣. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et vídimus.

Lectio iij.

NOlo autem vos ignoráre, Fratres; quia sæpè propósui veníre ad vos (& prohíbitus sum usque adhuc:) ut áliquem fructum hábeam & in vobis, sicut & in cæteris géntibus. Græcis ac Bárbaris; Sapiéntibus & insipiéntibus: débitor sum. Ita (quod in me) promptum est & vobis: qui Romæ estis, evangelizáre. Non enim erubésco Evangélium. Virtus enim Dei est in salútem omni credénti: Judæo primùm, & Græco. Justítia enim Dei in eo revelátur ex fide in fidem; sicut scriptum est: Justus autem ex Fide vivit. Revelátur enim ira Dei de cœlo, super omnem impietátem & injustítiam hóminum eórum; qui veritátem Dei in injustítia détinent: quia quod notum est Dei, maniféstum est in illis. Deus enim illis manifestávit.

℟. Benedíctus qui venit in nómine Domini: * Deus Dóminus, & illúxit nobis.

℣. Lápidem

℣. Lápidem quem reprobáverunt ædificántes, hic factus est in caput Anguli. Deus. Glória Patri. Deus.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 9. de Nativ. Dom.

Lectio iv.

EXcédit quidem, Dilectíssimi, multúmque superéminet humáni elóquii facultátem Divíni óperis magnitúdo; & inde óritur difficúltas fandi: unde adest ratio non tacendi. Quia in Christo Jesu Fílio Dei non solùm ad Divínam Essséntiam; sed étiam ad humánam spectat natúram: quod dictum est per Prophétam. Generatiónem ejus quis enarrábit? Utrámque enim substántiam in unam convenísse Persónam; nisi fides credat: Sermo non éxplicat. Et ídeò nunquam matéria déficit Laudis: quia nunquam súfficit cópia laudatóris.

℟. In princípio Deus, ántequam terram fáceret, priúsquam abyssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum ántequam montes collocaréntur: * Ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Ego ex ore Altíssimi prodívi, Primogénita ante omnem creatúram. Ante omnes.

Lectio v.

GAudeámus ígitur; quòd ad eloquéndum tantæ misericórdiæ Sacraméntum ímpares sumus: & cùm salútis nostræ altitúdinem prómere non valeámus; sentiámus nobis bonum esse: quòd víncimur. Nemo enim ad cognitiónem veritátis magis propínquat: quam qui intélligit, in rebus Divínis; étiam si multum profíciat: semper sibi superésse, quod quærat. Nam qui se ad id, quo tendit, pervenísse præsúmit; non quæsíta répperit: sed in inquisitióne déficit.

℟. Natus est nobis, Admirábilis cōsiliárius, Deus, fortis, pater futúri sæculi, Princeps pacis: * Multiplicábitur ejus impérium, & pacis non erit finis. ℣. Super sólium David & super regnum ejus, sedébit, ut confírmet illud & corróboret in judício & justítia. Multiplicábitur.

Lectio

Lectio vj.

NE autem infirmitátis nostræ perturbémur angústiis; Evangélicæ nos & Prophéticæ ádjuvant voces: quibus ita accéndimur & docémur; ut nos Nativitátem Dómini, quâ Verbum caro factum est, non tàm prætéritam recólere, quám præséntem videámur inspícere. Quod enim Pastóribus, pro gregum suórum custódia vigilántibus, nunciávit Angelus: étiam nostrum implévit audítum. Et ídeò Domínicis óvibus præsúmus; quia verba Divinitùs édita cordis aure servámus: tanquam & in hodiérna Festivitáte dicátur. Ecce Evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo; quia natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus: in Civitáte David.

℞. Ante colles ego parturiébar, necdum erant abyssi, & ego jam concépta eram: quando præparábat cœlos áderam, quando appendébat fundaménta terræ: * Cum eo eram cuncta compónens. ℣. Quando æthera firmábat sursùm, quando librábat fontes aquárum. Cum eo. Glória Patri. Cum eo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore: Erant Joseph & María Mater Jesu, mirántes super his, quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Símeon: & dixit ad Maríam matrem ejus. Ecce pósitus est hic in ruínam; & in resurrectiónem multórum: in Israël. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

Lib. 2. in cap. 2. Lucæ.

VIdes úberem in omnes grátiam, Dómini generatióne diffúsam; & Prophetíam incrédulis negátam esse: non justis. Ecce, & Símeon Prophétat, in ruínam & resurrectiónem plurimórum venísse Dóminum Jesum Christum; ut justórum iniquorúmq; mérita discérnat: & pro nostrórum qualitáte factórum; Judex verus & justus, aut supplícia decérnat: aut præmia.

℞. Angelus ad Pastóres ait. Annúntio vobis gáudium

dium magnum quod erit omni pópulo ; quia natus est vobis Salvátor : * Qui est Christus Dóminus in civitáte David. ℣. Inveniétis infántem pannis invólutum & pósitum in præsépio. Qui est Christus.

Lectio vij.

ET tuam, inquit, ipsíus ánimam pertransíbit gládius. Nec líttera, nec históría docet; ex hac vita Maríam : corporális necis passióne migrásse. Non enim ánima, sed corpus : materiáli gládio transverberátur. Et ídeò prudéntiam Maríæ : haud ignárum mystérium cœléstis osténdit. Vivum enim Verbum Dei & válidum, & acútius omni gládio acutíssimo : pénetrans usque ad divisiónem ánimæ ac Spíritûs, ártuum quoque & medullárum, cogitatiónes cordis, & secréta scrutátur animórum; quia nuda & apérta sunt ómnia Dei Fílio : quem consciéntiæ secréta non fallunt.

℟. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccáta mundi. Ecce de quo dicébam vobis : * Qui post me venit, ante me factus est : cujus non sum dignus corrígiam calceaménti sólvere. ℣. Joánnes testimónium pérhibet de ipso, & clamat dicens. Qui post me.

Lectio ix.

PRophetávit ítaque Símeon ; prophetáverat copuláta conjúgio ; prophetáverat Virgo : débuit étiam vídua prophetáre ; ne qua aut proféssio deésset : aut sexus. Et ídeò Anna, & dispéndiis viduitátis, & móribus talis indúcitur; ut digna planè fuísse credátur : quæ Redemptórem ómnium veníſſe nunciáret. Cujus mérita cùm álibi descripsérimus ; cùm víduas hortarémur : hoc loco, quóniam ad ália properámus, non putámus iterándà.

℟. Natus est nobis párvulus, & vocábitur Deus, fortis, ipse sedébit super Thronum David patris sui, & imperábit : * Cujus potéstas super húmerum ejus. ℣. Multiplicábitur ejus impérium, & pacis non erit finis. Cujus potéstas.

AD LAUDES.

Antiphona.

Natus est nobis. *cum reliquis de Nativitate.* 282.

Capitul.

Capitulum. Galat. 4.

QUanto témpore hæres párvulus est, nihil differt á Servo, cùm sit Dóminus ómnium; sed sub tutóribus & actóribus est: usque ad præfinítum tempus à patre.

℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

℞. Deus Dóminus & illúxit nobis.

Ad Benedictus, Antiph. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbum, hoc erat in princípio apud Deum: ómnia per ipsum facta sunt.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Déus, dírige actus nostros in beneplácito tuo; ut in nómine Dilécti Fílii tui: mereámur bonis opéribus abundáre. Per eúndem Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Capitulum. Quanto témpore. *ut sup.*

℞. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis. ℣. Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre. Glória Patri. ℣. Notum fecit Dóminus salutáre suum. ℞. Ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui humánæ substántiæ dignitátem, & mirabíliter condidísti, & mirabílius reformásti; Da nobis, quæsumus, ejus Divinitátis esse consórtes: qui humanitátis nostræ fieri dignátus es párticeps. Qui tecum.

Ad Sextam, Capitulum. Galat. 4.

AT ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex Muliére, factum sub Lege; ut eos, qui sub Lege erãt redímeret: ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℞. Notum fecit Dóminus salutáre suum. ℣. Ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam. Glória Patri. ℣. Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. ℞. Jubiláte Dño omnis terra, cantáte, & exultáte, & psállite.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui in Fílii tui Dómini nostri Nativitáte, tribuísti totíus religiónis inítium, perfectionémque constáre; Da nobis, quæsumus, in ejus portione

tióne censéri: in quo totíus salútis humánæ summa consístit. Qui tecum.

Ad Nonam, Capitulum. Galat. 4.

ITaque jam non est servus, sed filius; quòd si filius: & hæres per Deum.

℟. Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei.

℣. Jubiláte Dño omnis terra, cantáte, & exultáte, & psállite. Glória Patri.

℣. Benedíctus qui venit, in nómine Dñi. ℟. Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus, Dómine pópulo tuo, inviolábilem fidei firmitátem: ut qui Unigénitum tuum, in tua tecum glória sempitérnum, in veritáte córporis nostri Natum de Matre Vírgine confitémur; & à præséntibus liberémur advérsis: & mansúris gaudiis inferámur. Per eúndem Dóminum.

Si Festum S.Thomæ venerit in Dominica; sequenti Feria ij. Offic. fit de Oct. Nativitatis, hoc modò.

Post secundas Vesperas S. Thomæ fiunt duæ Processiones. Si verò non ven. in Dom. fit tantum unica Processio. ℟. Ecce jam. *ut suprà.*

Orémus. *Oratio.*

LArgíre quæsumus Dñe fámulis tuis, fidei spei & charitátis augméntum; ut qui de Nativitáte Filij tui Dñi nostri gloriántur: & advérsa mundi, te gubernante non séntiant; & quæ temporáliter celebráre desíderant: sine fine percípiant. Per eundem.

Ad secundam Processionem. ℟. Verbum caro.

Oratio. Respice. *ut suprà.*

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem natum. *novem Antiph. & novem Psal. ut in Nat. Dñi.* ℣. In sole pósuit. *Duæ primæ Lect. de initio Epist. ad Romanos, ex tribus duæ. Tertia de Sermone Sancti Leonis.* Excédit quidem. *ex tribus una. ut in 1. & 2. Nocturno Dñicæ. 1. Resp.* Ecce jam venit. 2. Verbum. 3. Benedictus. *ut in 1. Nocturno ejusdem Dominicæ. Ad Laudes Antiphonæ, Psalmi Capitul. Versus ut in Nativitate. Ad Benedictus Aña.* Visitávit & fecit Redemptiónem Dóminus plebis suæ. *Oratio.* Largíre. *ut suprà.*

Ad

Ad Vesperas Capitulum & reliqua de S.Silvestro.

Si Festum S. Silvestri venerit in Dominica fit de Festo, & nona Lectio dicitur de Homilia Dominica, de qua etiam fit Commemoratio de Missa.

Hoc Festum S. Silvestri fit in Ecclesia S.Stephani propter reliquias, & in Ecclesia Sancta Crucis propter Sacellum ipsi dicatum, & in cateris quoque Ecclesiis. In majori verò Ecclesia, quia Majus Altare est consecratum in honorem Beata Columba Virginis & Martyris, Officium fit de sancta Columba.

IN FESTO
Sancti Sylvestri, Papa & Confess. Semid. Majus.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxxv.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus, omnípotens Deus; ut Beáti Silvéstri Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas : & devotiónem nobis aúgeat, & salútem. Per Dóminum.

Ad Processionem. ℟. Jurávit. lxxvj.

Ad ij.Magnificat, Aña. Similábo. lxxxix.

Oratio. Deus qui cónspicis. lxxv.

Ad Completorium Hymnus. Christe Redémptor ómnium.

Ad Matutinum omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxxvj. *præterquàm Lectiones.*

In primo Nocturno.

De Epístola ad Romános.

Lectio j. Cap. 2.

PRopter quod inexcusábilis es : ô homo omnis, qui júdicas. In quo enim júdicas álterum, te ipsum condémnas : éadem enim agis quæ júdicas, Scimus enim quóniam judícium Dei est secúndum veritátem : in eos, qui tália agunt. Exístimas autem hoc ô homo, qui júdicas eos, qui tália agunt, & facis ea : quia tu effúgies judícium Dei. An divítias bonitátis ejus; & patiéntiæ, & longanimitátis contémnis? ignóras quóniam benígnitas Dei; ad pœniténtiam te addúcit?

℟. Euge serve. lxxviij.

Lectio ij.

SEcúndùm autem durítiam tuam; & impœnitens cor : thesaurízas tibi iram in die iræ, & revelatiónis

tiónis justi judícij Dei. Qui reddet unicuíque secúndum ópera ejus; iis quidem, qui secúndum patiéntiam boni óperis, glóriam & honórem & incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam: iis autem, qui sunt ex contentióne; & qui non acquiéscunt veritáti, credunt autem iniquitáti: ira & indignátio.

℟. Jurávit Dñs. lxxix.

Lectio iij.

TRibulátio & angústia in omnem ánimam hóminis operántis malum; Judæi primùm & Græci: glória autem, & honor; & pax, omni operánti bonum: Judæo primùm & Græco. Non enim est accéptio personárum apud Deum. Quicúmque enim sine Lege peccavérunt; sine Lege períbunt: & quicúmque in Lege peccavérunt, per Legem judicabúntur. Non enim auditóres Legis justi sunt apud Deum: sed factóres Legis justificabúntur.

℟. Pósui adjutórium. lxxix.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SYlvéster Románus, Patre Rufino, à prima ætáte óperam dedit Cyríno Presbytero; cujus doctrínam & mores egrégiè imitátus: trigésimum annum agens, Présbyter sanctæ Románæ Ecclésiæ à Marcellíno Pontífice creátur. Quo in múnere cum omni laude se gessit; freméntibus licet Donatístis: à quibus ipse cum Marcellíno Pontífice & Marcéllo atque Melchíade, Compresbyteris; traditiónis Divinórum Códicum & Thurificatiónis: summa injúriâ est postulátus. Ea virtúte & integritáte præcélluit: ut post Melchíadem ad suprémum Ecclésiæ fastígium evéctus fúerit.

℟. Dñe quinque. lxxxij.

Lectio v.

HUjus tempóribus Cōcílium Areláte coáctum est è divérsis Gálliæ, Itáliæ, Africæ, Hispániæ, Britanniæque Provínciis; in quo de observándo Páschate actum est: statutúmque, ut uno eodémque die per Orbem univérsum peragerétur; & juxta consuetúdinem: litteras ad omnes Sylvéster ipse dirígeret. De non repeténdo Hæreticórum Baptísmo Lex deínde

sancita

ſancíta contra Donatíſtas; & Cæciliáni Carthaginénſis Epíſcopi causa dijudicáta. Sub ejus Pontificátu, Maximíno Licinióque devíctis; atque Orbi per Conſtantínum pace réddita: inſtaurátæ ſunt ubíque Basílicæ; quas Piíſſimus Imperátor Sylvéſtro auctóre Sacris imagínibus doníſque ac munéribus magnificentíſſimis exornávit.

℟. Juſtus germinábit lxxxij.

Lectio vj.

VErùm hac pace diu frui non lícuit. Nefárium enim Arij Dogma; qui Verbi Divinitátem auſus eſt impugnáre: Eccléſiam novâ tempeſtáte agitávit. Acceſsérunt váriæ de Páſchate diſséntiones: quæ in Oriénte recrudúerant. His compriméndis hábitum eſt Nicéæ in Bythínia Concílium trecentórum & octódecim Epiſcopórum; ubi præſidéntibus ejus Legátis: Præsénte Conſtantíno, proſcrípta Arij impíetas. Editum fidei Symbolum; & lata Lex de Páſchate in póſterum, Domínicâ poſt décimam quartam Lunam Mártij: ab ómnibus celebrándo. His felíciter peráctis, Sylvéſter Eccléſiam adhuc per decénnium gubernávit; multos Eccléſiæ Universáli sacros præſcrípſit ritus; & virtútum annorúmque plenus: óbiit Anno Dómini trecentéſimo trigéſimo quinto. Vixit in Pontificátu annos vigínti unum, menſes decem, diem unum; ſepúltus eſt in Cœmetério Priſcíllæ: Viâ Saláriâ.

℟. Stolâ jocũditátis. lxxxiij.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Evangélij: ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis. Vigiláte: quia neſcítis qua hora Dóminus veſter, ventúrus ſit. Illud autem ſcitóte; quóniam ſi ſciret Pater famílias qua hora fur ventúrus eſſet: vigiláret útique, & non ſíneret pérfodi domum ſuam. Et réliqua.

Homília ſancti Hilárij Epíſcopi.

Comment. in Math. cap. 26.

UT ignorántiam illam diéi ómnibus táciti non ſine útilis ſciéntiæ ratióne eſſe sciremus; vigiláre

re nos Dóminus propter Advéntum furis admónuit; & oratiónū assiduitáte deténtos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inherére. Furem enim esse osténdit Diábolum ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem; & corpórum nostrórum dómibus insidiántem; ut ea incuriósis nobis, & somno dedítis; consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos ígitur esse nos cónvenit; quia diei ignorátio; inténtam sollicitúdinem suspénsæ expectatiónis exágitat.

℟. Cibavit illum, lxxxvj.

Lectio viij.

QUisnam est fidélis servus & prudens; quem constituit Dóminus super famíliam suam? Quamquàm in commúne nos ad indefessam vigilántiæ curam adhortátur; speciálem tamen, pópuli princípibus id est Epíscopis; in expectatióne, Adventúque suo, sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudéntem; præpósitum famíliæ signíficat; cómmoda atque utilitátes, cōmíssi sibi pópuli curántem. Qui si dicto áudiens, & præcéptis obédiens erit; id est si doctrínæ opportunitáte, & veritáte ínfirma confirmat; disrúpta consólidet; deprávata convértat; & verbum vitæ, in æternitátis cibum alendæ famíliæ dispéndat; atque hæc agens, hisque ímmorans deprehendátur; glóriam à Dómino tanquàm dispensátor fidélis, & villícus útilis consequétur. Et super ómnia bona constituétur; id est in Dei glória collocábitur; quâ nihil sit ultra quod mélius sit.

℟. Justum dedúxit. lxxxvj.

Pro Sancta Columba.

Lectio ix.

COlúmba Virgo Senonénsis; imperánte Aureliáno, & apud Sénonas agénte; Christiánæ religiónis accusáta est. Hanc cùm, adhíbitis etiam verbis minácibus, â propósito dimovére non posset Imperátor; in una è fornícibus Amphitheátri inclúdi; & júveni ad stuprum jussit expóni. Secùs tamen evénit, quàm speráverat Tyránnus; Nam média è cáveâ erúmpens ursa, suæ oblita

oblíta feritátis : ad Colúmbam accéssit, eámque tutáta est. Quo stupefáctus júvenis; scelus ánimo concéptum damnávit : & ad veram fidem se convértit. Ad illud miráculum effervéscens Aureliánus; ignem juxta fornícem jussit accéndi : qui coórta plúvia statim extínctus est. Masis id ártibus tríbuens Imperátor, carnificibus necándam tradit; quibus cum Anabolárium suum esset largita : fácile tempus ab iis impetrávit, quoD ei ópem imploráret. Alácrior statim facta; & quasi novis aucta víribus : abscindéndam carnificibus cervícem præbúit.

℟. In medio. lxxxvij.

Hæc Lectio omittitur quando Festum S. Sylvestri occurrit in Dominicâ, quia ejus loco dicitur ix. Lectio de Homil. Dominicæ.

IN FESTO
Sanctæ Columbæ, Virg. & Martyris. In majori Eclesʃ.
Ad Vesperas.

Capitulum, ℣. *& Antiphona.* Ad Magníficat, *de Communi Virginum.* cix. *Oratio.* Indulgéntiam. cx. *Processio ad sanctam Crucem in Capella S. Sylvestri.* ℟. Jurávit. *ut suprà. Ad 2. Magnificat Antiph.* Similábo. *Oratio.* Deus qui cónspicis.

Ad Matutinum & cæteras horas omnia de Communi Virginis & Mart. præter Lectiones secundi Nocturni.

In secundo Nocturno.
Lectio iv.

Colúmba Virgo nobilíssima; pari córporis & ánimi florens decóre : sui sexûs fuit Protomártyr in Gállia Céltica. Hæc, quo témpore Aureliánus Imperátor Sénonas venit, Religiónis Christiánæ accusáta; Fidem, quam profitebátur, atque pudicítiam : in furéntis ipsius Príncipis conspéctu, vix tum séxdecim annos nata, constantíssime propugnávit. Quãobrem júveni procacíssimo ad stuprum trádita; sed divína virtúte, quæ ursam de Amphitheátro ad custódiam ejus edúxit, illæsa serváta : Ipsum adolescéntem & miráculi stupóre; & sua salutári admonitióne : ad Christi Divinitátis confessiónem, & horrórem peccáti mirabíliter pertráxit.

xit. Unde magis exacerbátus Aureliánus; in rogum Colúmbam jussit ínjici: qui túrbine repénte exórto divínitùs extínctus est. Quod cùm mágicis ártibus Tyránnus adscríberet: ense illam jubet pércuti.

Lectio v.

DEínde extra urbem uno ferè milliári ducta, súbstitit; sibique ad orándum moræ páululum quæsívit indulgéri. Renuētibus ímpiis milítibus: Anaboládium suum donávit. Quo múnere impetrátâ supplicándi licéntia; Christo Vírginum Sponso grátias egit: quòd ad optátum perveníisset agónem. Véniam deínde pro ipsis persecutóribus deprecáta: ad extrémum, súbdito percutiénti collo; abscissióne cápitis Colúmba nitóre Virginitátis, & Mártyrij púrpurâ fulgens: ad aquárum vitæ fluénta transvolávit. Ad cujus túmulum miráculis coruscántē Cœnobítica exstrúcta est Ecclésia; aliæque complúres in váriis Galliárum pártibus: sub ejus nómine sunt dedicátæ. Inter quas Cathedrális Basílica Lugdunénsis S. Joannis Baptístæ; majus Altáre suum in honórem ejúsdem sanctíssimæ Vírginis: habet consecrátum.

Sermo S. Petri Damiáni Epíscopi.

De S. Columba Virgine & Martyre.

Lectio vj.

DUm recéntem, imò præséntē adhuc Vírginis partum cólimus, Dilectíssimi; Ecce novus Vírginis triúmphus occúrrit, qui solemnem nobis lætítiam géminat: atque ut íterum gaudeámus invítat. Apóstolo nos excitánte, qui ait; Gaudéte in Dómino semper: íterum dico, gaudéte. Virgíneo pártui, Victória Virginális inséritur; & eréctis adhuc fidélium ánimis: rediviva gaudia reparántur. Nuper de Vírgine Dóminus humíliter pródiit: Hódie per Vírginem mirabíliter triumphávit. Tunc cœli conditor ad nos inviolάta úteri Virginális integritáte descéndit; Hódie inconcussâ Vírginis fide, Victóriæ títulos, ad cœlum cum glória

ria reportávit ʹ dicens illi, quam sóliis cœléstibus inferébat. Surge, própera, Amíca mea; Colúmba mea; Formósa mea ʹ & veni. Tunc Dei Génitrix Christum custodiébat in præsépio vagiéntem ʹ Hódie Beáta Colúmba réperit eum in Patérnæ Majestátis sólio coruscántem. Tunc ad Vírginis Partum exultavére pastóres ʹ nunc ad conspéctum Vírginis confúsi sunt Imperatóres.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum decem Virg. *ut in Comm. Virg.*

IN CIRCUMCISIONE *Domini, & Octava Nativitatis. Duplex.* Primæ Classis.

Ad Vesperas, Antiphona.

LEx per Moysen data est: grátia & véritas per Jesum Christum facta est. *Psal.* Dixit Dóminus. 148. *Aña.* Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum, & gaudia Matris habens cum Virginitátis honóre: nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, allelúia. *Psalm.* Laudáte púeri. 149. *Aña.* Spíritus Dómini super me, evangelizáre paupéribus misit me. *Psal.* Lætátus sum. 155. *Aña.* Ante lucíferum génitus: & ante sæcula Dóminus Salvátor noster hódie nasci dignátus est. *Psal.* Nisi Dñs. 157. *Aña.* Rubum, quem víderat Moyses incombústum, conservátam agnóvimus tuam laudábilem Virginitátem: Dei Génitrix intercéde pro nobis. *Psal.* Lauda Jerúsalem Dñm. 171.

Capitulum. Tit. 2.

APpáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus; erúdiens nos, ut abnegántes impietátem, & sæculária desidéria ʹ sóbriè, & justè, & piè vivámus in hoc sæculo.

℣. Verbum caro factũ est.
℟. Et habitávit in nobis, & vídimus glóriam ejus, glóriã quasi Unigéniti à Patre.

Ad Magnificat, Aña. Dum médium siléntium tenérent ómnia, & nox in suo cursu iter perágeret, omnípotens Sermo tuus Dómine à Regálibus sédibus venit, allelúia. *Duplic.*

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui salútis ætérnæ, Beátæ Maríæ Vir-

ginitáte fecúndâ, humáno géneri præmia præstitísti: tríbue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus: per quam merúimus, auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit.

Nulla fit Processio.

Ad Completorium, Hym. Christe Redémptor. 265.

Ad Matutinum, Invitat. Christus natus est nobis, veníte adorémus. *Duplic. Psalm.* Veníte. 2.

In primo Nocturno.

Aña. Dóminus dixit ad me.

Psalmus 2.

QUare fremuérũt gentes: * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsus Dóminum, & advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis, jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua: * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu: * Ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi gẽtes hæreditátem tuam: * & possessiónem tuam, términos terræ.

Reges eos in virga férrea: * & tanquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam: * nequándo irascátur Dóminus, & pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus: * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Glória Patri.

Aña. Dóminus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hódie génui te.

Aña. In sole pósuit.

Psalmus 18.

COeli enárrant glóriam Dei * & ópera mãnuum ejus annũciat firmaméntũ.

Dies diei erúctat verbum:

ibum: * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes: * quorum non audiántur voces eórũ.

In omnem terram exívit sonus eórum: * & in fines orbis terræ, verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tamquam sponsus, procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * à summo cœli egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanet in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum, * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei, in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, & redémptor meus.

Glória Patri.

Aña. In sole pósuit tabernáculum suum, & ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo.

Aña. Elevámini portæ.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innócens mánibus, & mundo corde, * qui non accépit in vanum ánimam suam, * nec jurávit in

dolo, próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ?* Dóminus fortis & potens:* Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ?* Dòminus virtútum, ipse est Rex glóriæ. Glória Patri.

Aña, Elevámini portæ æternáles, & introíbit Rex glóriæ.

℣. Tamquam sponsus.

℟. Dóminus procédens de thálamo suo.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 3. & 4.

QUid ergo ámplius Judæo est? aut quæ utílitas Circumcisiónis? Multum per omnem modum. Primùm quidem, quia crédita sunt illis elóquia Dei. Quid enim si quidam illórum non credidérunt? Numquid incredúlitas illórum fidem Dei evacuábit? Absit. Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Ut justificéris in Sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris. Si autem iníquitas nostra justítiam Dei commréndat; quid dicémus? Numquid iníquus est Deus, qui infert iram? (secúndùm hóminem dico) Absit. Alióquin, quómodo judicábit Deus hunc mundum?

Responsoria Duplicantur.

℟. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. * Hoc erat in princípio apud Deum. ℣. Sicut enim Pater habet vitam in semetípso: sic dedit & Fílio vitam habére in semetípso. Hoc erat. Glória Patri. Sicut erat in princípio & nunc & semper. In princípio.

Lectio ij.

AN Judæórum Deus tantum? nonne & Géntium? Immo & Géntium. Quóniam quidem Unus est Deus, qui justí-

ficat Circumcisiónem ex fide: & præpútium per fidem. Legem ergò destrúimus per fidem? Absit. Sed Legem statúimus. Quid ergò dicémus invenísse Abraham patrem nostrum secúndum carnem? Si enim Abraham ex opéribus justificátus est: habet glóriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptúra? Crédidit Abraham Deo: & reputátum est illi ad justítiam. Ei autem qui operátur; merces non imputátur secúndum grátiam: sed secúndùm débitum. Ei verò qui non operátur; credénti autem in eum qui justíficat ímpium: reputátur fides ejus ad justítiam, secúndùm propósitum grátiæ Dei. Sicut & David dicit beatitúdinem hóminis cui Deus accépto fert, justítiam sine opéribus. Beáti quorum remíssæ sunt iniquitátes: & quorum tecta sunt peccáta.

℟. Ecce jam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras: natum de Vírgine, factum sub Lege, * Ut eos, qui sub Lege erant, redímeret. ℣. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis. Ut eos, qui sub. Glória Patri. Ecce jam.

Lectio iij.

BEatitúdo ergò hæc in Circumcisióne tantùm manet; an étiam in præpútio? Dícimus enim quia reputáta est Abrahæ fides ad justítiam. Quómodo ergò reputáta est? in Circumcisióne; an in præpútio? Non in Circumcisióne: sed in præpútio. Et signum accépit Circumcisiónis, signáculum justítiæ fidei, quæ est in præpútio; ut sit Pater ómnium credéntium per præpútium, ut reputétur & illis ad justítiam: & sit Pater Circumcisiónis, non iis tantùm qui sunt ex Circumcisióne; sed & iis qui sectántur vestígia fidei: quæ est in præpútio Patris nostri Abrahæ.

℟. In própria venit, & sui eum non recepérunt: quotquot autem recepérunt eum dedit eis potestátem filios Dei fieri, his qui credunt in nómine ejus: * Qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt.

℟. Si autem filij, & hærédes, hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi. Qui non ex. Glória Patri. In própria.

In secundo Nocturno.

Ant. Speciósus formâ.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus Scribæ, velóciter scribéntis.

Speciósus formâ præ filiis hóminum,* diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus, in ætérnum.

Accíngere gládio tuo, super femur tuum, potentíssime.

Spécie tua, & pulchritúdine tua: * inténde, próspere procéde, & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: * Virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam & odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te filiæ regum, in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intùs:* in fimbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne: * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filij: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores

Mémores erunt nóminis tui:* in omni generatióne, & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * & in sæculum sæculi.

Glória Patri.

Añа. Speciósus forma præ filiis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Añа. Homo.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dñs portas Sion, super ómnia tabernácula Jacob.

Glorіósa dicta sunt de te, Cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiópum : * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, & homo natus est in ea : * & ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in Scriptúris populórum, & príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium, habitátio est in te. Glória.

Añа. Homo natus est in ea, & ipse fundávit eam Altíssimus.

Añа. Exultábunt ómnia.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annunciáte de die in diem salutáre ejus.

Annunciáte inter gentes glóriam ejus : * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes Deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia:* Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia & magnificéntia, in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium : * afférte Dómino glóriam & honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à facie ejus univérsa terra:* dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit Orbem terræ qui non commové-

bitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli, & exúltet terra: * commoveátur mare, & plenitúdo ejus:* gaudebunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terrã.

Judicábit orbemterræ in æquitáte : * & pópulos in veritáte sua. Glória Patri. *Aña.* Exultábunt ómnia ligna silvárum ante fáciem Dómini, quóniam venit. ℣. Speciósus formâ præ fíliis hóminum. ℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Sermo S. Leónis Papæ. *Serm. 7. de Nativ. Domini.*

Lectio iv.

FEstivitátis hodiérnæ, Dilectíssimi, verus venerátor est, & pius cultor; qui nec de Incarnatióne Dómini áliquid falsum: nec de Deitáte áliquid sentit indígnum. Paris enim perículi malum est, si illi aut naturæ nostræ véritas: aut patérnæ glóriæ negátur æquálitas. Cùm ergò ad intelligéndum sacraméntum Nativitátis Christi, quâ de Matre Vírgine est ortus, accédimus; abigátur procul terrenárum calígo ratiónum: & ab illumináto fidei óculo, mundánæ sapiéntiæ fumus abscédat.

℟. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis : * Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre plenum grátiæ & veritátis. ℣. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et vídimus. Glória Patri. Verbum.

Lectio v.

DIvína est enim auctóritas, cui crédimus: Divína est Doctrína, quam séquimur. Quóniam sive Legis testificatióni, sive Oráculis Prophetárum, sive Evangélicæ tubæ interiórem admoveámus audítũ; verum est, quòd B. Joánnes Spíritu sancto plenus intónuit: In princípio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum; Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Et similiter verum est, quod idem Prædicátor adjécit; Verbum caro factum est, &

& habitávit in nobis: & vídimus glóriam ejus, glóriã quasi Unigéniti à Patre.

℟. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini:* Deus Dóminus & illúxit nobis. ℣. Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. Deus. Glória Patri. Benedíctus.

Lectio vj.

IN utrâque ergò natúra idem est Dei Fílius, nostra suscípiens, & própria non amíttens; in hómine hóminem rénovans: in se incõmutábilis persevérans. Déitas enim quæ illi cum Patre cõmúnis est, nullum detriméntum Omnipoténtiæ súbiit; nec Dei formam servi forma violávit: quia summa & sempitérna Esséntia, quæ se ad humáni géneris inclinávit salútem; nos quidem in suam glóriam tránstulit: sed quod erat, esse non déstitit. Unde cùm Unigénitus Dei minórem se Patre confitétur, cui se dicit æquálem; veritátem in se formæ utriúsque demónstrat: ut & humánam probet imparílitas, & divínam decláret æquálitas.

℟. Ante colles ego parturiébar, nec dum erant abyssi, & ego jam concépta eram: quando præparábat cœlos, áderam: quando appẽdébat fundaménta terræ.* Cum eo eram cuncta compónens. ℣. Quando æthera firmábat sursũ, & librábat fontes aquárũ. Cum eo eram. Glória Patri. Ante colles.

In Tertio Nocturno.

Aña. In princípio.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra:* lætentur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus:* justítia & judíciũ corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet:* & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ:* vidit & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini:* à fácie Dómini omnis terra.

Annunciavérunt cœli justítiam ejus:* & vidérunt omnes pópuli glóriã ejus.

Confundántur omnes qui adórant Sculptília:* & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas Sanctórum suórum: * de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo: * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ sãctificatiónis ejus.

Glória Patri.

Aña. In princípio, & ante sæcula Deus erat Verbum, ipse natus est nobis Salvátor mundi. *Aña.* Ante Lucíferum génitus.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri: * jubiláte Dómino omnis terra: * cantáte & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cythara, in cythara & voce psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ corneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu simul: * montes exultábunt à cõspéctu Dómini: * quóniam venit judicáre terrã.

Judicábit orbem terrárũ in justítia: * & pópulos in æquitáte. Glória Patri.

Aña. Ante Lucíferum génitus, & ante sæcula, Dóminus Salvátor noster hódie nasci dignátus est.

Aña. Germinávit radix Jesse. *Psalm 98.*

DÓminus regnávit, irascántur pópuli: * qui sedet super Cherubin, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus: * & excélsus super omnes pópulos.

Con

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile, & sanctum est: * & honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deũ nostrum: * & adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam Sanctum est.

Móyses & Aaron in Sacerdótibus ejus: * & Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos: * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus: * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos: * Deus tu propítius fuísti eis: * & ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deũ nostrum: * & adoráte in monte sancto ejus: * quóniam Sanctus Dóminus Deus noster. Glória Patri.

Ant. Germinávit radix Jesse: orta est stella ex Jacob: Virgo péperit Salvatórem: te laudámus Deus noster.

℣. Notum fecit Dóminus salutáre suum.

℟. Ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore: Postquam consummáti sunt dies octo; ut circumciderétur Puer: vocátum est nomen ejus Jesus. Et reliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2, in cap. 2. Lucæ.

CIrcumcíditur ítaque Puer. Quis est iste Puer? nisi ille de quo dictum est: Puer natus est nobis; & Fílius datus est nobis. Factus est enim sub Lege; ut eos qui sub Lege essent: lucrifáceret. Sistitur autem in Jerúsalem. Quid sit autem in Jerúsalem sisti Dómino, dícerem: nisi in Isaíæ Commentáriis ante dixíssem. Circumcísus enim vítiis; Domínico dignus judicátur obtútu: quia óculi Dómini super justos. Vides omnem Legis Véteris sériem fuisse typum futúri: nam & Circumcísio purgatiónem significat delictórum.

℟. Angelus ad Pastóres ait: Annúncio vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo: quia natus est nobis Salvátor, * Qui est Christus Dóminus in civitáte David. ℣. Invenietis infántem pannis involútum, & pósitum in præsépio. Qui est. Glória Patri. Angelus.

Lectio vij.

SEd quóniam prona quadam cupiditáte peccándi, humána carnis & mentis fragílitas, inextricabílibus vítiis implicátur: eò per Octávum circumcisiónis diem; culpæ totíus futúra purgátio: Resurrectiónis præfigurabátur ætáte. Hoc est enim illud; Quia omne masculínum adapériens vulvam: Sanctum Dómino vocábitur. Verbis enim Legis promittebátur Vírginis partus. Et verè Sanctus: quia immaculátus. Dénique ipsum esse qui Lege signétur; in eúndem modum ab Angelo repetíta verba declárāt: Quia quod nascétur, inquit, Sanctum, vocábitur Fílius Dei.

℟. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccáta mundi. Ecce de quo dicébam vobis. * Qui post me venit, ante me factus est: cujus non sum dignus corrígiam calceaménti sólvere. ℣. Joánnes testimónium pérhibet de ipso, & clamat, dicens: Qui post me venit.

Lectio ix.

SOlus enim per omnia ex Natis de fœmina Sanctus Dóminus Jesus: qui terrénæ contágia corruptélæ; immaculáti partûs novitáte non sénserit: & cœlésti majestáte depúlerit. Nam si lítteram sequámur: quómodo Sanctus omnis másculus; cùm multos sceleratíssimos fuísse non láteat? Numquid sanctus Achab? Numquid sancti Pseudoprophétæ; quos ad Elíæ preces ultor cœléstis injúriæ ignis absúmpsit? Sed ille Sanctus; quem in figúra futúri mystérii, pia Legis Divínæ præscrípta signábant: eò quod solus sanctæ Ecclésiæ Vírginis; ad generándos pópulos Dei: immaculátæ fœcunditátis aperíret genitále secrétum.

℟. Natus est nobis Párvulus: & vocábitur Deus, fortis: Ipse sedébit super

thronum

thronum David Patris sui, & imperábit, * Cujus potéstas super húmerum ejus.
℣. Multiplicábitur ejus Impérium, & pacis non erit finis. Cujus. *Hoc ℞. non duplicatur, quia dicitur* Te Deum.

AD LAUDES.

Aña. Lex per Móysen data est: Grátia & Véritas per Jesum Christum facta est.
Ps. Dn̄s regnávit. *cum reliq.*
Aña. Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum, & gáudia Matris habens cum Virginitátis honóre: nec primā símilem visa est, nec habére sequéntem, allelúia. *Aña.* Spíritus Dómini super me, evangelizáre paupéribus misit me.
Ana. Dum médium siléntium tenérent ómnia; & nox in suo cursu iter perágeret, omnipotens sermo tuus Dómine à regálibus sédibus venit, allelúia.
Ana. Rubum quem víderat Móyses incombústum, conservátam agnóvimus tuam laudábilem Virginitátem: Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Capitulum. Tit. 2.

APpáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus; erúdiens nos, ut abnegántes impietátem, & sæculária desidéria, sóbriè, & justè, & piè vivámus in hoc sæculo.
℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
℞. Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Ad Benedictus, Aña. Quando natus es ineffabíliter ex Vírgine, tunc implétæ sunt Scriptúræ: Sicut plúvia in vellus descendísti, ut salvum fáceres genus humánum: Te laudámus Deus noster. *Dupl.*

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui salútis ætérnæ, Beátæ Maríæ Virginitáte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti: tríbue, quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus: per quam merúimus Auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; qui tecum vivit.

Ad Tertiam, Capitulum. Isaiæ 9.

POpulus qui ambulábat in ténebris vidit lucem magnam; habitántibus in regióne umbræ mortis: Lux orta est eis.
℞. Verbum caro factum est,

est, & habitávit in nobis, ℣. Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre. Glória Patri. ℣. Notum fecit Dóminus salutáre suum. ℟. Ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui per Beátæ Maríæ Vírginis partum sine humána concupiscéntia procreátum, in filii tui membra veniētes, patérnis fecísti præjudíciis non tenéri: præsta, quæsumus; ut hujus creatúræ novitáte suscépta: vetustátis antiquæ contágiis exuámur. Per eúndem.

Ad Sextam. Capitulum. Appáruit. *ut sup. ad Laud.* ℟. Notum fecit Dóminus salutáre suum. ℣. Ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam. Glória Patri. ℣. Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei. ℟. Jubiláte Dómino omnis terra, cantáte, & exultáte, & psállite.

Orémus. *Oratio.*

COncéde nobis, omnípotens Deus, ut salutáre tuum, nová cœlórum luce mirábile; quod ad salútem mundi hodiérna Festivitáte procéssit: nostris semper innovándis córdibus oriátur. Qui tecum.

Ad Nonam. Capitulum. Tit. 3.

APpáruit Benígnitas & Humánitas Salvatóris nostri Dei; non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos: sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit.

℟. Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei. ℣. Jubiláte Deo omnis terra, cantáte, & exultáte, & psállite. Glória Patri. ℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus & illúxit nobis.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui hunc diem per Incarnatiónem Verbi tui, & Partum Beátæ Maríæ Vírginis consecrásti: da pópulis tuis in hac celebritáte consórtium; ut qui tua grátiâ sunt redémpti: tua sint adoptióne secúri. Per eúndem.

Ad Vesperas, Aña. Lex per Móysen. *cum reliquis de Laudibus, Psalmi, Capitulum, & ℣. ut suprà in primis Vesperis.*

Ad Magnificat, Aña. Qui

de

de terra est, de terra lóquitur; qui de cælo venit super omnes est: & quod vidit, & audívit, hoc testátur, & testimónium ejus nemo áccipit; qui autem accéperit ejus testimónium, signávit, quia Deus verax est. *Duplicatur.*

Oratio. Deus, qui salútis. *ut suprà.*

Processio de Octava sancti Stephani.

Ad Primam Processionē. ℟. j. Stéphanus autem plenus grátia & fortitúdine, * Faciébat signa magna, & prodígia in pópulo.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui Primítias Mártyrum, in beáti Levítæ Stéphani sánguine dedicásti: tríbue, quæsumus; ut pro nobis intercéssor exístat: qui pro suis étiam persecutóribus exorávit Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, Qui tecum vivit.

Ad secundam Processionē. ℟. ij. Surrexérunt quidam de Synagóga, disputántes cum Stéphano. * Et non póterant resístere Sapiéntiæ & spirítui quo loquebátur.

Orémus. *Oratio.*

DA nobis, quæsumus Dómine, imitári quod cólimus: ut discámus & inimícos dilígere; quia ejus Natalítia celebrámus: qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, Qui tecum.

Ad Completorium Hymnus. Christe Redémptor. 265.

In quibusdam Ecclesiis die ij. Januarij fit Festum sancti Clari Confessoris. Semiduplex Majus. & tunc post Vesperas Festi Circumcisionis, fit Processio de sancto Claro. ℟. Euge serve. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.* xcvj

Ad ij. Magnificat, Aña. Justum dedúxit. xcvj.

Oratio. Deus, qui nos beáti. *ibidem.*

Ad Completor. Hymnus. Christe Redémptor. 265.

Ad Matutinum & alias Horas omnia de Communi Confess. non Pontificis. Lectiones primi Nocturni. Justus si morte xcvij.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CLarus in território Viennensi natus; ádmodùm

modum puer, assuétus erat cum matre ✓ ad memórias Mártyrum oratiónis causâ concúrrere. Ab ipsâ Cœnóbio monachórum, ad memóriam Beáti Ferréoli Mártyris tráditus est ✓ postmodùm autem insígni florens sanctimónia; íbidem Abbas à sancto Caldeóldo, Urbis illíus Pontífice constitútus ✓ Clarus nómine, sed virtútibus Clárior, omni religiónis obséquio Elúxit. Cum verò impósitam sibi curam, per Dei grátiam, summâ sanctitátis ac sapiéntiæ laude administrásset ✓ Divínitùs ad præmium evocátus; appropinquánte felicis sui exitûs horâ ✓ Psaltérium cum frátribus decantáre cœpit. Utque fratres finítis Psalmis ad hæc verba deveníssent; omnis Spíritus laudet Dóminum ✓ luce & odóre ineffábili cellam ubi jacébat perfundénte; Beáta ejus ánima ✓ Christo jungénda recéssit. Sepúltus autem in Ecclésia Beátæ Blandínæ Mártyris; ante Altáre ✓ innúmeris clarificátus est miráculis.

Cætera de Communi Confessoris non Pontificis.

IN OCTAVA S. Stephani. Semidup. Majus.

Omnia fiunt sicut in die Festi, præter Lectiones & Orationem. Non duplicantur Añæ. & ℟.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 7.

DUrâ cervíce, & incircumcísis córdibus & áuribus; vos semper Spirítui sancto resístitis ✓ sicut Patres vestri, ita & vos. Quem Prophetárum non sunt persecúti Patres vestri? & occidérunt eos, qui prænunciábant de Advéntu Justi; cujus vos nunc proditóres ✓ & homicídæ fuístis. Qui accepístis Legem in dispositióne Angelórum ✓ & non custodístis. Audiéntes autem hæc, dissecabántur córdibus suis ✓ & stridébant déntibus in eum.

℟. Stéphanus autem. 288.

Lectio ij.

CUm autem esset plenus Spíritu sancto; inténdens in cælum vidit glóriam Dei ✓ & Jesum stantem à dextris Dei. Et ait. Ecce vídeo cœlos apértos ✓ & Fílium hóminis stantem

à

à dextris Dei. Exclamántes autem voce magnâ; continuérunt aures suas: & ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extra Civitátem lapidábant; & testes deposuérant vestiménta sua secùs pedes adolescéntis: qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem, & dicéntem; Dómine Jesu: súscipe Spíritum meum.

℟. Surrexérunt quidam.

Lectio iij.

POsítis autem génibus: clamávit voce magnâ, dicens: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cùm hoc dixísset: obdormívit in Dómino. Saulus autem erat consén tiens neci ejus. Facta est autem in illâ die persecútio magna in Ecclésia, quæ erat Jerosólymis; & omnes dispérsi sunt per regiónes Judææ & Samáriæ: præter Apóstolos. Curavérunt autem Stéphanum viri timoráti: & fecérunt planctum magnum super eum.

℟. Vidébant omnes.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Ser. 95. de Diversis. in med.

Lectio iv.

QUid víderit Beatíssimus Martyr in illo agóne constitútus; recólitis sine dúbio verba ejus: quæ de Actuum Apostolórum Libro solétis audíre. Ecce, inquit, vídeo Cœlos apértos: & Christum stantem à dextris Dei. Jesum stantem vidébat; ideò stabat, & non cadébat: quia stans sursúm, & deórsùm Certántem désuper spectans; invíctas Míliti suo vires: ne cáderet, suggerébat. Ecce, inquit, vídeo Cœlos apértos. Beátus homo: cui cœli patébant. Sed quis Cœlum apéruit? Ille, de quo in Apocalypsi dícitur; Qui apérit, & nemo claudit: claudit & nemo áperit. Quando Adam de Paradíso ejectus est post illud primum nefandúmque peccátum; contra humánum genus clausum est cœlum: post Passiónem Christi; Latro primus intrávit: póstea Stéphanus apértum vidit.

℟. Vídeo cœlos apértos.

Lectio v.

QUid mirámur quod fidéliter vidit; fidéliter indicávit

indicávit & violénter invásit ' Eia Fratres, sequámur eum; Si enim séquimur Stéphanum ' coronábimur. Maximè autem sequéndus & imitándus est nobis ' in dilectióne inimicórum. Nostis enim quia frequéntium inimicórum congregatióne circúmdatus ' cùm crebris hinc & illinc Saxórum íctibus tunderétur; plácidus & intrépidus, mitis & lenis inter lápides, à quibus occidebátur ' íntuens illum, pro quo occidebátur. Non ait; Dómine, júdica óbitum meũ' sed áccipe Spíritum meum. Non ait; Dómine, víndica servum tuum, quem vides isto supplício morti addíctum ' sed ne státuas illis hoc peccátum.

℟. Impétum fecérunt.

Lectio vj.

PErsístens ergò Beatíssimus Martyr in testimónio veritátis & charitátis ' árdens Spíritu, sicut nostis pervénit ad gloriosíssimum finem; & qui vocátus usque in finem persevérávit, in fine, quòd vocabátur, adéptus est ' sui nóminis glória, Stéphanus perdúctus est ad Corónam. Quandò ergò Beátus Stéphanus pro Christo Primus sánguinem fudit ' quasi coróna procéssit de cœlo; ut eam súmerent sequéntes in præmio ' qui præcedéntis virtútem imitaréntur in prælio. Implevérunt póstmodum terram crebra Martyria. Quicúmque pósteà sánguinem pro Christi Confessióne fudérunt; imposuérunt corónam illam cápiti suo ' & eam secutúris íntegram servavérunt.

℟. Lapidábant Stéphanum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij ' secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 23.

IN illo témpore ' Dicébat Jesus Scribis & Pharisæis. Ecce ego mitto ad vos Prophétas; & sapiéntes & Scribas ' Et ex illis occidétis, & Crucifigétis. Et ex eis flagellabitis in Synagógis vestris; & persequémini ' de civitáte in civitátem. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 4. Comment. in c. 23. Matth.

JErúsalem, Jerúsalem ' quæ occídis Prophétas.

Jerúsalem, non saxa & ædificia Civitátis, sed habitatóres vocat; quam Patris plangit afféctu: sicut & in álio loco légimus, quòd videns eam, fléverit. In eo autem quòd dicit; quóties vólui congregáre filios tuos: Omnes retrò Prophétas à se missos esse testátur. Gallínæ quoque similitúdinem congregántis sub alas pullos suos; In Cántico Deuteronómij légimus: Sicut áquila prótegit nidum suum; & super pullos suos desiderávit, expándens alas suas: suscépit eos, & tulit super pennas suas.

℟. Intuens in cœlum.

Lectio viij.

ECce relinquétur vobis domus vestra desérta. Hoc ipsum ex persóna Jeremíæ jam ante díxerat: Relíqui domum meam, dimísi hæreditátem meam; facta est mihi hæréditas mea quasi spelúnca leænæ. Desértam Judæórum domum, id est, templum illud, quod fulgébat augústiùs, óculis comprobámus; quia habitatórem Christum pérdidit: & hæreditátem prærípere géstiens, occídit hærédem.

℟. Curavérunt Stéphanum.

Lectio ix.

DIco enim vobis; Non me vidébitis amodò, donec dicátis: Benedíctus qui venit in Nómine Dómini. Ad Jerúsalem lóquitur, & ad pópulum Judæórum. Versículum autem istum; quò & párvuli atque lacténtes, in Ingréssu Jerúsalem Dómini Salvatóris usi sunt, quando dixérunt: Benedíctus qui venit in Nómine Dómini, Hosánna in excélsis; Sumpsit de centésimo décimo séptimo Psalmo: qui maniféstè de Advéntu Dómini scriptus est.

℟. Coróna áurea.

Non dicitur Te Deum laudámus, *nisi in Dominica evenerit. Ad Laudes & Horas omnia ut in die Festi.*

Orémus. *Oratio.*

OMnipotens sempitérne Deus, qui Primítias Mártyrum in Beáti Levítæ Stéphani sánguine dedicásti; tríbue, quæsumus: ut pro nobis Intercéssor exístat: qui pro suis étiam persecutóribus exorávit Dómi

Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum; Qui tecum vivit.

Hæc Oratio dicitur ad Tertiam; Ad Sextam verò Oratio. Da nobis. *Ad Nonam Oratio* Grátias ágimus. *ut in die Festi* 294.

In secundis Vesp. Aña & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum. ℣. & Aña. ad Magnificat ut in die Festi. Oratio. Omnípotens, sempitérne Déus. *ut suprà.*

Deinde fit Processio de Sancto Ioanne.

Ad Primam Processionem

℟. In illa die suscípiam te servum meum, & ponam te sicut signáculum in conspéctu meo; quóniam ego elégi te dixit Dómin⁹.

Orémus. *Oratio.*

ECclésiam tuam, Dómine benígnus illústra; ut Beáti Joánnis Apóstoli tui & Evangelístæ illumináta doctrínis ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum nostrum.

Ad ij. Processionem.

℟. Puer meus nolitimére, quia ego sum tecum dixit Dóminus. Si transíeris per ignem, flamma non nocébit te, & odor ignis non erit in te.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui per os beáti Joánnis Apóstoli tui, Verbi nobis arcána reserásti: præsta quæsumus; ut quod ille nostris áuribus excellénter infúdit: intelligéntiæ competéntis eruditióne capiámus. Per eúndem Dóminum.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij.

I N O C T A V A
S. Ioannis Apostoli & Evangelistæ. Semid. Majus.

Omnia dicuntur sicut in die Festi, præter Lectiones. Non duplicantur Antiphonæ & ℟.

In primo Nocturno.

De Libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 4.

POst hæc vidi; & ecce óstium apértum in cœlo: & vox prima, quam audívi, tamquàm tubæ loquentis mecum, dicens. Ascénde hùc, & osténdam tibi: quæ opórtet fieri post hæc. Et statim fui in Spíritu; & ecce sedes pósita erat in cœlo: & supra sedem sedens. Et qui sedébat, símilis erat aspéctui lápidis Jáspidis & Sárdinis;

&

& Iris erat in circúitu sedis: símilis visióni Smarágdinæ. Et in circúitu sedis sedília vigínti quátuor: & super thronos, vigínti quátuor Senióres sedéntes; circumamícti vestiméntis albis: & in capítibus corónæ áureæ.

℟. In illa die. 295.

Lectio ij.

ET de throno procedébant fúlgura, & voces & tonítrua; & septem lámpades ardéntes ante thronum: qui sunt Septem Spíritûs Dei. Et in conspéctu sedis tamquam mare vítreum símile crystállo; & in médio sedis, & in circúitu sedis, quátuor animália: plena óculis ante & retrò. Et ánimal primum símile leóni; & secúndum ánimal símile vítulo; & tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis: & quartum ánimal, símile áquilæ volánti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas senas; & in circúitu, & intùs: plena sunt óculis.

℟. Puer meus.

Lectio iij.

ET réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia: Sanctus; Sanctus; Sanctus Dóminus Deus Omnípotens: qui erat, & qui est, & qui ventúrus est. Et cùm darent illa animália glóriam & honórem, & benedictiónem Sedénti super thronum, vivénti in sæcula sæculórum: procidébant vigínti quátuor Senióres ante Sedéntem in throno; & adorábant vivéntem in sæcula sæculórum: & mittébant corónas suas ante thronum, dicéntes. Dignus es, Dómine Deus noster accípere glóriam & honórem, & virtútem; quia tu creásti ómnia: & propter voluntátem tuam erant, & creáta sunt.

℟. Hic est Discípulus.

In secundo Nocturno.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi in Joánnem. *Tract. 36.*

Lectio iv.

IN quátuor Evangéliis, vel pótius quátuor Libris uníus Evangélij; sanctus Joánnes Apóstolus non immeritò, secúndùm intelligéntiam spiritálem Aquílæ comparátus: áltiùs multóque sublímiùs áliis tribus, eréxit prædicatiónem

nem suam; & in ejus eréctióne: étiam corda nostra érigi vóluit. Nam cæteri tres Evangelístæ tanquam cum hómine Dómino in terrâ ambulábant; de Divinitáte ejus pauca dixérunt: Istum autem, quasi piguérit in terrâ ambuláre; sicut ipso exórdio sui sermónis intónuit: eréxit se non solùm super terram, & super omnem ámbitum áëris & cœli; sed super omnem étiam exércitum Angelórum: omnémque constitutiónem invisibílium Potestátum. Et pervénit ad eum, per quem facta sunt ómnia: dicéndo. In Princípio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum.

℟. Iste est Joánnes.

Lectio v.

HUic tantæ sublimitáti princípij, étiam cætera cóngrua prædicávit; & de Dómini Divinitáte: quómodo nullus álius est lócutus. Hoc eructábat, quod bíberat. Non enim sine causâ die illo; in isto ipso Evangélio narrátur: quia & in convívio, super pectus Dómini discumbébat. De illo ergò péctore in secréto bíberat; sed quod in secréto bibit: in manifésto eructávit. Ut pervéniat ad omnes gentes non solùm Incarnátio Fílij Dei, Pássio & Resurréctio; sed étiam quod erat ante Incarnatiónem: Unicus Patri; Verbum Patris; Coætérnus Generánti: Æquális ei, à quo missus est.

℟. Nimis honoráti.

Lectio vj.

AQuíla, ipse est Joánnes; Sublímium Prædicátor: & lucis intérnæ, atque ætérnæ, fixis óculis contemplátor. Dicúntur enim & pulli aquilárum à paréntibus sic probári; patris scílicet ungue suspéndi, & rádiis solis oppóni: qui firmè contemplátus fúerit, fílius agnóscitur. Si ácie palpitáverit: tanquam adulterínus, ab ungue dimíttitur. Jam ergo vidéte, quàm sublímia loqui débuit, qui est Aquilæ comparátus: & tamen étiam nos humi repéntes; infirmi; & vix ullíus moménti inter hómines: audémus tractáre ista, & ista expónere; & putámus nos aut cápere posse cùm cogitámus:

gitámus? aut capi dum dícimus.

℟. Qui vícerit.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore: Dixit Jesus Petro, Séquere me. Convérsus Petrus; vidit illum Discípulum, quem diligébat Jesus sequéntem qui & recúbuit in cœna super pectus ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 87. in Ioann. circa med.

CUm magna Christus Petro communicásset; orbis terrárum curam demandásset; Martyriũ prædixísset; & majórem erga eum dilectiónem testátus esset: cúm vellet Petrus, Joánnem sócium & collégam, inquit. Hic autem quid? Numquid eámdem viam aggrediétur? Et quemádmodum in Cœna interrogáre non ausus, Joánnem suffécit; ita nunc vicem reddit: arbitrátus eum velle, sed non audére de se scíscitári. Tum Christus; si eum volo manére donec veniam, quid ad te?

℟. Cibávit illum.

Lectio viij.

NAm cum nímia id charitáte díceret Petrus, nec ab eo dívidi vellet; osténdens Christus, quòd quantávis eum dilectióne prosequerétur, suam ássequi non posset: inquit. Si eum volo manére, quid ad te? His verbis nos erúdiens; neque doléndum: neque curiósiùs præter divínam voluntátem investigándum. Nam cùm Petrus semper in hujúsmodi interrogatiónes ferventiùs prosilíret; íterum ejus fervórem retúndens: quod non sit ultériùs inquiréndum, in hunc modum respõdit.

℟. Stolâ jocunditátis.

Lectio ix.

EXiit ergo sermo iste inter Fratres, quód Discípulus ille non móritur; & non dixit ei Jesus, quia non móritur: sed, si eum volo manére donec veniã, quid ad te? Noli arbitrári, inquit: eodem modó me de vobis disposuísse. Hoc autem dixit; ut intempestívum affectum: & consuetúdinis desidérium tólleret. Cum enim essent

orbis

orbis terrárum curam suscептúri; simul ámpliùs esse non oportébat: magnum enim fuísset mundo detriméntum. Idcírcò inquit, opus suscepísti; id considera: Pérfice; labora: & te certamínibus expone. Quid ad te, si volo eum manére hîc? tu officium tuum cura: & exéquere.

℟. In médio.

Non dicitur Te Deum laudámus. *nisi occurrerit in Dominica.*

Ad Laudes & Horas omnia ut in die Festi.

Ad Vesperas Aña & Psal. de Feria occurrente.

Cætera ut in die Festi. Deinde fit Processio de SS. Innocentibus.

Ad primam Processionem.

℟. 1. Sub altári Dei audívi voces occisórum, dicéntium; Quare non deféndis sánguinem nostrum? Et accepérunt divínum respónsum; adhuc sustinéte módicum tempus: donec impleátur númerus fratrum vestrórum.

Orémus. *Oratio.*

DEus, cujus hodiérna die præcónium Innocéntes Mártyres non loquéndo, sed moriéndo confésſi sunt: ómnia in nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuã, quam lingua nostra lóquitur: étiam móribus & vita fateátur. Per Dóminum.

Ad 2. Processionem.

℟. 2. Vidi Agnum stantem super montem Sion, & cum eo Sanctórum míllia, habentes Nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in fróntibus suis.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui licet sis magnus in magnis, mirabília tamen gloriósius operáris in mínimis; da nobis, quæsumus, in eórum celebritáte gaudére: qui Fílio tuo Dño nostro testimóniũ præbuérunt, étiam non loquéntes. Per eúndẽ Dñm.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij.

IN OCTAVA SS. *Innocentium. Semiduplex minus.*

Omnia dicuntur sicut in Festo, præter Lectiones, & non duplicantur Antiphonæ & ℟.

In primo Nocturno.

De Epístola ad Romános.

Lectio j. Cap. 5.

JUstificáti ergo ex fide, pacem habeám⁹ ad Deũ per

per Dóminum nostrū Jesum Christum; per quem & habémus accéssum per fidem in grátiam istam, in qua stamus: & gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei. Non solum autem; sed & gloriámur in tribulatiónibus: sciéntes, quod tribulátio patiéntiam operátur; patiéntia autem probatiónem; probátio verò spem: spes autem non confúndit; quia Cháritas Dei diffúsa est in córdibus nostris: per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

℟. Sub altári Dei. 301.

Lectio ij.

UT quid enim Christus, cùm adhuc infírmi essémus; secúndum tempus pro ímpiis mórtuus est? Vix enim pro justo quis móritur; Nam pro bono fórsitan quis aúdeat mori. Comméndat autem charitátem suā Deus in nobis; quóniam cùm adhuc peccatóres essémus, secúndum tempus Christus pro nobis mórtuus est: multò ígitur magis nunc justificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab irâ per ipsum.

℟. Vidi Agnum stantem.

Lectio iij.

SI enim cùm inimíci essémus; reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus: multò magis reconciliáti, salvi erimus in vitâ ipsíus. Non solùm autem; sed & gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum: per quē nunc reconciliatiónem accépimus. Proptérea sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit; & per peccátum mors: & ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes peccavérunt.

℟. Ado avérunt vivéntem.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Euchérii Lugdunénsis Epíscopi.

Hom. I. de Epiph. & de SS. Innocentib. post init.

Lectio iv.

NAscénte Dómino conturbabátur Heródes: & omnis Jerosólyma cum illo. Quid mirum; si pietáte nascénte perturbétur impíetas? velit nolit; Christum Regem fatétur: quādo se à regno putat esse pelléndum. Ecce jacéntem in præsépio pertiméscit armátus; contremíscit húmilem Rex supérbus: &

abjectam infántiam, ac vagiéntem expavéscit ætátem. Obvolútum in pannis : métuit purpurátus. Cum simulatióne allóquitur Magos ; Ite, inquit, requírite de púero, & cùm invenéritis, renunciáte mihi : ut & ego véniens adórem eum. Simulábat adoráre se velle ; quem conabátur occídere : Sed non timet Véritas, falsitátis insídias.

℟. Isti sunt Sancti.

Lectio v.

QUàm cœca féritas : Credébat quòd comprehéndere Deum fraúdibus posset. Ecce cujus terra & cœlum ostendebat advéntum ; qui Pastórum non latébat simplicitátem; quem Magi de extréma veniéntes Æthiópiæ parte cognóscunt : solus ad illum non potest Rex sacrílegus perveníre. Fállitur ergo stulti furor Tyránni : Christum non potest inveníre perfídia.] Deus non crudelitáte ; sed credulitáte quærendus est : munéribus promeréndus est, oratiónibus inquiréndus.

℟. Centum quadragínta.

Lectio vj.

OCcidúntur pro Christo párvuli : pro Justitia móritur innocéntia. Quàm Beáta ætas : nec dum Christum potest éloqui, & jam pro Christo merétur intérfici ; nondum opportúna vúlneri : & jam idónea Passióni. Quàm felíciter nati ; quibus in primo nascéndi límine : ætérna vita óbviam venit. Incurrunt quidem inter ipsa princípia, accéptæ lucis perículum, & finem salútis ; sed de ipso prótinùs fine : cápiunt princípia æternitátis. Immatúri quidem vidéntur ad mortem : sed felíciter moriúntur ad vitam ; vix dum degustáverant præséntem : statim tránseunt ad futúrã. Nondũ ingréssi infántiæ cunas : jam perveniũt ad corónas; rapiuntur quidẽ à compléxibus matrum : sed réddũtur grémiis Angelórum. Nihil ergo próficis ferocíssimæ impietátis audácia ; potes Mártyres fácere : Christũ nõ potes inveníre.

℟. Abstérsit Deus.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij : secúndùm Matthæum.

Lectio

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore : Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens; Surge, & áccipe Púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum : & esto ibi, usque dum dicam tibi. Futúrum est enim; ut Heródes quærat Púerum : ad perdéndū eum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homil. 8. in Matth.

QUæ cùm audísset Joseph : nequáquam passus est scándalum, neque dixit. Incérta ista res est, ac prorsùs ambígua; Tu paulò antè dicébas : Quia salvábit pópulum suum; & nunc seípsum quidem non potest de perículis liberáre : sed fuga nobis necessária & peregrinátio, ac transmigrátio longínqua. Contrária omníno sunt facta promíssis. Sed horum nihil prorsùs oppónit; Vir enim erat fidélis : Neque reversiónis tempus curiósè inquírit; quod útique ab Angelo non signátè fúerat expréssum : sed, esto ibi, inquit, usquequò dicam tibi.

℞. Effudérunt.

Lectio viij.

VErùm ille nec per ista quidem factus est ségnior; sed obedívit libénter, & crédidit : omnes prorsùs tribulatiónes cum gáudio sustinéndo. Enimverò misericors Deus : mœstis rebus, quædam étiam jocúnda permíscuit. Quod certè in Sanctis ómnibus facit; quos neque tribulatiónes, neque jocunditátes sinit habére contínuas : sed tùm de advérsis, tum ex prósperis, justórum vitam, quasi admirábili varietáte contéxuit. Quod hic quoque eum fecisse consídera.

℞. Anima nostra.

Lectio ix.

VIdéndo quippe sanctus Joseph grávidā Sponsam : in conturbatiónem íncidit máximam; sed ádfuit repéntè Angelus : timórē prorsùs extínguens. Deínde videns Púerum natum, máxima exultatióne replétus est : sed rursùs huic étiam gaudio perículum grande succéssit; cùm tota ítaque Cívitas turbarétur : ipse Rex fúreret, & ad necem Púerum quæreret. Sed & hunc tumúltum ália rur-

sùs lætítia subsecúta est. Apparítio vidélicet stellæ: & adorátio Magórum. Post hanc quóque jocunditátem; íterum perículum: iterúmque formído. Quærit, inquit, Heródes ánimam púeri; & fúgere necésse est: & in longínqua transíre. Hóminis instar; nondum quippe opportúnum erat: ut signórum mirácula coruscárent.

℟. Laudáte gentes.

Non dicitur Te Deum laudámus. *nisi in Dominica evenerit. Ad Laudes & Horas omnia ut in die Festi. Ad Vesperas Añæ & Psal. de Feria occurrente. Process. de Officio sequentis diei.* ℟. In princípio. *ut infrà.*

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo; ut in Nómine dilécti Fílij tui: mereámur bonis opéribus abundáre. Per eúmdem Dóminum.

Si verò Vigilia Epiphaniæ venerit in Dominica.

Ad primam Processioñ. ℟. Ecce jam venit. *ut in Circumcisione in j. Noct.* *Oratio.* Omnípotens sempitérne Deus diríge. *ut sup.*

Ad secundam Processioñ. ℟. Verbum caro. *ut in eod. j. Noct. Oratio.* Deus, qui per Beátæ Maríæ. *ut infrà ad Tertiam. 357.*

Ad Completorium Hymnus Ferialis.

IN VIGILIA *Epiphaniæ.*

Quando non venerit in Dominica, iij. Lectionum.

Ad Matutinum, Invitat. Regem natum Dóminum. veníte adorémus.

Novem Añæ, cum novem Psalmis, ut in Octava Nativitatis Domini. 325.

℣. Tanquam Sponsus.

℟. Dóminus procédens de thálamo suo.

De Epístola ad Romános.

Lectio j. Cap 6.

QUid ergò dicémus? permanébimus in peccáto ut grátia abúndet? Absit. Qui enim mórtui sumus peccáto; quómodo adhuc vivémus in illo? An ignorátis quia quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus: Consepúlti enim sumus cum illo per Baptísmum in mortem; ut quómodò Christus surréxit à mórtuis per glóriam Patris:

tris:´ ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus, similitúdini mortis ejus:´ simul & Resurrectiónis érimus.

℟. In princípio Deus, ántequam terram fáceret, priúsquam abyssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum, ántequam montes collocaréntur: * Ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem Creatúram. Ante omnes.

Lectio ij.

HOc sciéntes; quia vetus homo noster simul crucifixus est:´ ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est:´ justificátus est à peccáto. Si autem mórtui sumus cum Christo:´ crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo; sciéntes, quòd Christus resúrgens ex mórtuis jam non morítur:´ mors illi ultrà non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel; quòd autem vivit:´ vivit Deo. Ita & vos existimáte, vos mórtuos quidem esse peccáto; vivéntes autem Deo:´ in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Natus est nobis Admirábilis, Consiliárius, Deus, fortis, Pater futúri sæculi. Princeps Pacis, * Multiplicábitur ejus impérium, & pacis non erit finis. ℣. Super sólium David & super regnum ejus sedébit, ut confirmet illud, & corróboret, in judício & justítia. Multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélij:´ secúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 2.

IN illo témpore:´ Defúncto Heróde; ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto:´ dicens. Surge, & áccipe Púerum & Matrem ejus; & vade in terram Israël:´ defúncti sunt enim, qui quærébant ánimam púeri. Et réliqua.

Homilía sáncti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. Comment. in Cap. 2. Matth.

EX hoc loco intellígimus, non solùm Heródem; sed & Sacerdótes & Scribas:´ eódem témpore necem Dómini fuisse me-

ditátos. Qui surgens accépit Púerum, & Matrem ejus. Non dixit; Accépit Filium suum, & uxórem suam: sed Púerum & Matrem ejus; quasi Nutrítius, non quasi Marítus. Aúdiens autem, quòd Archelaüs regnáret in Judæa pro Heróde patre suo: tímuit illò ire. Multi labúntur erróre, propter ignorántiam Históriæ; putántes eúndem esse Heródem, à quo in Passióne suâ Dóminus irridétur, & qui nunc mórtuus esse refértur. Ergò Heródes ille, qui cum Piláto póstea amicítias fecit; hujus Heródis filius est: frater Archélai.

℟. Verbum Caro factum est, & habitávit in nobis: * Et vidimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre, plenum grátiæ & veritátis. ℣. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et vídimus.

Laudes & cætera Horæ ut infrà in Officio Dominica. Si Vigilia Epiphaniæ venerit in Dñica; Ad Matutinũ Invitat. Regē natũ *Antiphonæ, Psalmi & Versiculi Nocturnorum, ut in Octava Nativitatis Domini.*

In primo Nocturno.

De Epístola ad Romános.

Lectio j. Cap. 7.

AN ignorátis, Fratres, [sciéntibus enim Legem loquor;] quia Lex in hómine dominátur quanto témpore vivit? Nam, quæ sub viro est múlier, vivénte viro alligáta est Legi; si autem mórtuus fúerit vir ejus: solúta est à Lege viri. Igitur vivénte viro vocábitur adúltera, si fúerit cum álio viro; si autem mórtuus fúerit vir ejus, liberáta est à Lege viri: ut non sit adúltera, si fúerit cum álio viro.

℟. Ecce jam venit. *ut in Circumcisione Domini.*

Lectio ij.

ITaque, Fratres mei, & vos mortificáti estis legi per Corpus Christi; ut sitis altérius, qui ex mórtuis resurréxit: ut fructificémus Deo. Cùm enim essémus in carne; passiónes peccatórum, quæ per Legem erant, operabántur in membris nostris: ut fructificárent morti. Nunc autem solúti sumus à Lege mortis, in quâ detinebámur;

mur; ita ut serviámus in novitáte Spíritûs: & non in vetustáte litteræ.

℟. Verbum Caro.

Lectio iij.

QUid ergò dicémus? Lex peccátum est? Absit. Sed peccátum non cognóvi, nisi per Legem. Nam concupiscéntiam nesciebam; nisi Lex díceret: Non concupísces. Occasióne autem acceptâ; peccátum per mandátum: operátum est in me, omnem concupiscéntiam. Sine Lege enim peccátum mórtuum erat; Ego autem vivébam sine Lege aliquándo: Sed cùm venísset mandátum, peccátum revíxit.

℟. Benedíctus.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustini Epíscopi.

De Serm. SS. de Diversis, ante med. *Lectio iv.*

MOrtáles erámus; peccátis opprimebámur: pœnas nostras portabámus. Omnis homo, quandò náscitur: à miséria ínchoat. Noli quærere Prophetántem; interroga nascéntem: vide flentem. Cùm hæc esset in terrâ Dei indignátio; qualis sub isto facta est dignátio? Véritas de terra orta est. Creávit ómnia: creátus est inter ómnia. Fecit diem: venit in diem. Dóminus Christus in ætérnum; sine inítio apud Patrem: habet & Natálem. In princípio Verbum; qui nisi habéret humánam generatiónem: nos ad divínam non perveniremus regeneratiónem. Natus est: ut renascerémur.

℟. In princípio Deus ántequàm.

Lectio v.

CHristus natus est: nemo dúbitet renásci. Generátus est non Regenerándus. Cui enim necessária erat regenerátio; nisi cujus damnáta est generátio? Fiat ítaque in córdibus nostris misericórdia ejus. Portávit eum Mater in útero: portávit & nos in corde. Gravidáta est Virgo Incarnatióne Christi: grávidentur péctora nostra fide Christi. Péperit Virgo Salvatórem; páriat ánima nostra salútem: pariámus & laudem. Non simus stériles: ánimæ nostræ, sint Deo fœcúndæ.

℟. Natus est.

Lectio vj.

GEnerátio Christi à Patre sine Matre, & à Matre sine Patre: Ambæ mirábiles; Prima Ætérna' Secúnda Temporális. Natus est Ætérnus de Ætérno; Quid miráris? Deus est. Sit considerátio Divinitátis: & perit causa Admiratiónis. Tránseat Admirátio: ascéndat Laudátio. Fides adsit: crede quod factum est. Parúmne, pro te humiliátus est Deus? Qui Deus erat: Factus est. Angústum erat diversórium; involútus pannis: in Præsépe pósitus est. Quis non admirétur? Ille, qui Mundum implet: in diversório locum non invénit. In præsépio pósitus? Cibus noster est factus.

℟. Ante colles.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij' secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore: Defúncto Heróde; ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto: dicens. Surge, & áccipe Púerum & Matrem ejus; & vade in terram Israël: Defúncti sunt enim: qui quærébant, ánimam púeri. Et réliqua.

Homilía sancti Hieronymi Presbytéri.

Libr. 1. Comment. in cap. 2. Matth.

EX hoc loco intellígimus, non solùm Heródem; sed & Sacerdótes, & Scribas: eódem témpore necem Dómini fuisse meditátos. Qui consúrgens accépit Púerum, & Matrem ejus. Non dixit; Accépit Fílium suum, & uxórem suam: sed Púerum & Matrem ejus; quasi Nutrítius: non quasi Marítus.

℟. Angelus. *Lectio viij.*

AUdiens autem quòd Archeláüs regnáret in Judæa pro Heróde Patre suo: tímuit illò ire. Multi propter ignorántiam Históriæ, labúntur erróre; putántes eúmdem esse Heródem, à quo in Passióne suâ Dóminus irridétur: & qui nunc mórtuus esse refértur. Ergò Heródes ille, qui cum Piláto póstea inimicítias fecit; hujus Heródis Fílius est: frater Archélai.

℟. Ecce Agnus Dei.

Lectio ix.

QUóniam Nazaræus vocábitur. Si fixum de

de Scriptúris posuísset exémplum: numquam díceret; Quod dictum est per Prophétas: sed simplíciter, Quod dictum est per Prophetam. Nunc autem pluráliter Prophétas vocans; osténdit se non verba de Scriptúris sumpsísse: sed sensum. Nazaræus, Sanctus interpretátur; Sanctum autem Dóminum futúrum: omnis Scriptúra commémorat.

℟. Natus est nobis párvulus.

Ad Laudes, Antiphona.
Lex per Moysen data est. *cum reliquis. Añis, & Psalmis, ut in Circumcisione.*

Capitulum. Gal. 4.

QUanto témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit Dóminus ómnium; sed sub tutóribus & actóribus est: usque ad præfinítum tempus à Patre.

℣. Benedíctus, qui venit in Nómine Dómini.

℟. Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Ad Benedictus, Aña.
Erat Lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum: in mundo erat, & mundus per ipsum factus est; & mundus eū non cognóvit.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo; ut in Nómine dilécti Fílij tui: mereámur bonis opéribus abundáre. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Capitulum.
Quanto témpore. *ut sup.*

℟. Verbum Caro factum est, & habitávit in nobis.

℣. Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre. Glória Patri.

℣. Notum fecit Dóminus salutáre suum.

℣. Ante conspéctum Géntium revelávit justítiam suam.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui per Beátæ Maríæ Vírginis Partum, sine humána concupiscéntia procreátum; in Fílij tui membra veniéntes, Patérnis fecísti præjudíciis non tenéri: præsta, quæsumus, ut hujus Creatúræ novitáte suscépta, vetustátis antíquæ contágiis exuámur. Per eúmdem.

Ad Sextam, Capit. Gal. 4.

AT ubi venit plenitúdo témporis, misit

Deus Fílium suum, factum ex Múliere, factum sub lege; ut eos, qui sub lege erant, redímeret: ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. Notum fecit Dóminus salutáre suum. ℣. Ante conspéctum géntium, revelávit justítiam suam. Glória Patri. ℣. Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei. ℟. Jubiláte Dómino omnis terra; cantáte & exultáte, & psállite.

Orémus. *Oratio.*

CONcéde nobis, omnípotens Deus, ut salutáre tuum novâ cœlórum luce mirábile; quod ad salútem mundi hodiérna festivitáte procéssit: nostris semper innovándis córdibus oriátur. Qui tecum vivit.

Ad Nonam. Capit. Gal. 4.

ITaque jam non est servus, sed filius; quòd si filius: & hæres per Deum. ℟. Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei.

℣. Jubiláte Dómino omnis terra, cantáte & exultáte, & psállite. Glória Patri. ℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dñi. ℟. Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui hunc diem per Incarnatiónem Verbi tui, & partum B. Maríæ Vírginis consecrásti: da pópulis tuis in hac celebritáte consórtium; ut qui tuâ grátiâ sunt redémpti: tuâ sint adoptióne secúri. Per Eúmdem.

Vespera de Epiphania.

IN EPIPHANIA
Domini. Duplex.
Primæ Classis.

Ad Vesperas. Ana. Venit lumen tuum. *cum reliquis de Laudib. ut infrà. Psal.* Dixit Dóminus. *cum reliq. de Dominica.* 148. *& loco ultimi, Psalmus* Laudáte Dóminum omnes gentes. 153.

Capitulum. Isaiæ 60.

SUrge, illumináre Jerúsalem, quia venit lumen tuum: & glória Dómini super te orta est.

℣. Omnes de Saba vénient.

℟. Aurum & thus deferéntes, & laudem Dómino annunciántes.

Ad Magnificat, Ana. Vidéntes Stellam Magi, gavísi sunt gáudio magno; & intrántes domum, obtulérunt

lérunt Dño Aurum, Thus & Myrrham. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui hodiérna die Unigénitum tuum Géntibus, Stellâ Duce, revelásti: concéde propitius; ut qui jam te ex fide cognóvimus: usque ad contemplándam spéciem, tuæ celsitúdinis, perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Ad primam Processionem.

℞. 1. Omnes de Saba vénient, aurũ & thus deferẽtes, & laudẽ Dño annũciántes.

Orémus. *Oratio.*

DEus, illuminátor ómnium géntium, da pópulis tuis perpétua pace gaudére; & illud Lumen spléndidum infúnde córdibus nostris: quod trium Magórum méntibus aspirásti, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum; Qui tecum.

Ad secundã Processionem.

℞. 2. Oriétur Stella ex Jacob, & consúrget Homo de Israël; & confrínget omnes duces alienigenárum, & erit omnis terra posséssio ejus.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, fidélium spléndor animárum; qui hanc solemnitátem electiónis géntium primítiis consecrásti: imple mundum tuâ glóriâ; & súbditis tibi pópulis, per lúminis tui, appáre claritátem. Qui tecum vivit & regnat.

Ad Completor. Hymnus.

HOstis Heródes ímpie,
Christum veníre quid times?
Non éripit mortália,
Qui regna dat cœléstia.

Ibant Magi, quam víderant,
Stellam sequéntes præviã:
Lumen requírunt lúmine,
Deum faténtur múnere.

Lavácra puri gúrgitis
Cæléstis Agnus áttigit:
Peccáta quæ non détulit,
Nos abluéndo sústulit.

Novum genus poténtiæ,
Aquæ rubéscunt hydriæ;
Vinúmque jussa fúndere,
Mutávit unda oríginem.

Glória tibi, Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cũ Patre & sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.

AD MATUTINUM.

Hodiè & in die octavâ ad Matutinum dicitur ℣. Dómine lábia. *&* ℣. Deus in adjutórium. *ut consuetum est; omissoque Invita-*

torio, cum Psalmo Veníte. *incipitur ab Aña* Afférte Dómino. *Infrà Octavam verò dicitur Invitator.* Regem magnum Dóminum, veníte adorémus. *Psalm.* Veníte. 2.

In primo Nocturno.

Aña. Afférte Dómino.

Psalm. 28.

AFférte Dómino, filii Dei: * afférte Dómino filios aríetum.

Afferte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino gloriā nómini ejus:* adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dñi super aquas: * Deus Majestátis intónuit:* Dóminus super aquás multas.

Vox Dómini in virtúte:* vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis Cedros: * & confrínget Dóminus Cedros Líbani.

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani: * & diléctus quemádmodum filius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: * vox Dómini cōcutiéntis desértum:* & commovébit Dóminus desértū Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa: * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: * & sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace. Glória Patri.

Aña. Afférte Dómino Fílii Dei, adoráte Dóminum in aulâ sanctâ ejus.

Aña. Flúminis ímpetus lætíficat.

Psalmus 45.

DEus nostrum refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra.* & transferéntur montes, in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat Civitátem Dei:* Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvâbit eam Deus, manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuférens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma: * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte; quóniã Ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terrâ.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob. Glória Patri.

Aña. Flúminis ímpetus lætíficat, allelúia: Civitátem Dei, allelúia.

Aña. Psállite Deo nostro.

Psalmus 46.

OMnes gentes pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus terríbilis: * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis: * & gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátẽ suam: * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo: * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite. * Psállite Regi nostro psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus: * Psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum cõgregáti sunt cum Deo Abraham: * quóniam dii fortes terræ, veheménter eleváti sunt. Glória Patri.

Aña. Psállite Deo nostro, psállite: Psállite Regi nostro, psállite sapiénter.

℟. Reges Tharsis & Insulæ múnera ófferent,

℟. Reges Arabum, & Saba dona addúcent.

De Isaïa Prophéta.

Lectio j. Isaiæ 55.

OMnes sitiéntes veníte ad aquas; & qui non habétis argéntum, properáte, émite & comédite: veníte, emíte absque argénto; & absque ulla commutatióne: vinum & lac. Quare appénditis argéntum non in pánibus; & laborem

bórem vestrum non in saturitáte? Audíte audiéntes me, & comédite bonum: & delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram; & veníte ad me: audíte, & vivet ánima vestra. Et fériam vobíscum pactum sempitérnum: misericórdias David fidéles. Ecce testem pópulis dedi eum: Ducem ac Præceptórem Géntibus.

Responsoria duplicantur. Omnes de Sabâ venient, * Aurum & thus deferéntes, & laudem Dómino annuntiãtes. ℣. Reges Tharsis & Insulæ munera óffe- rent, Reges Arabum, & Saba dona addúcent. Aurum & thus. Glória Patri & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio & nunc & semper. *& repetit.* ℟. Omnes de Sabâ. *usque ad* ℣.

Lectio ij. Isaiæ 60.

Surge, illumináre Jerúsalem, quia venit lumen tuum: & glória Dómini super te orta est. Quia ecce ténebræ opérient terram, & calígo pópulos; super te autem oriétur Dóminus: & glória ejus in te vidébitur. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo: & Reges in splendóre ortûs tui. Leva in circúitu, óculos tuos, & vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi; filii tui de longè vénient: & filiæ tuæ de látere surgent. Tunc vidébis, & áfflues, & mirábitur, & dilatábitur cor tuum; quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris: fortitúdo gentium vénerit tibi. Inundátio Camelórũ opériet te, dromedárii Madian & Epha: Omnes de Sabâ vénient; Aurum & thus deferéntes: & laudem Dño annunciántes.

℟. Oriétur Stella ex Jacob, & consúrget homo de Israël; & confrínget omnes duces alienigenárum: * Et erit omnis terra posséssio ejus.
℣. De Jacob erit qui dominétur, & perdat relíquias Civitátis. Et erit omnis. Glória Patri. Oriétur.

Lectio iij. Isa. 61. & 62.

Gaudens gaudébo in Dómino, & exultábit ánima mea in Deo meo; quia índuit me vestiméntis salútis, & induménto justítiæ

justítiæ circúmdedit me: quasi sponsum decorátum coróna; & quasi sponsam ornátam monílibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum gérminat: sic Dóminus Deus germinábit justítiam, & laudem coram univérsis géntibus. Propter Sion non tacébo, & propter Jerúsalem non quiéscam; donec egrediátur, ut spléndor, justus ejus: & Salvátor ejus ut lampas accendátur.

℟. Stella, quam víderant Magi in Oriénte, antecedébat eos; donec venírent ad locum, ubi Puer erat: v idéntes autem eam;* Gavísi sunt gaudio magno. ℣. Et intrántes domum invenérunt Púerum cum María Matre ejus; & procidéntes adoravérunt eum. Gavísi sunt. Glória Patri. Stella, quam.

In secundo Nocturno.

Antiph. Omnis terra.

Psalmus 65.

JUbiláte Deo omnis terra:* psálmum dícite nómini ejus: * date glóriam, laudi ejus.

Dícite Deo; quàm terribília sunt ópera tua, Dómine:* in multitúdine virtútis tuæ, mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & psallat tibi: * psalmum dicat, nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis, super filios hóminum.

Qui convértit mare in áridam: * in flúmine pertránsibunt pede, ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte suâ in ætérnum: * óculi ejus super gentes respíciunt: * qui exásperant, non exalténtur in semetípsis.

Benedícite gentes Deum nostrum: * & audítam fácite, vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meã ad vitam: * & non dedit, in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos Deus: * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueũ,* posuísti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuísti hómines, super cápita nostra,

Transívimus per ignem & aquam; * & eduxísti nos,

nos, in refrigérium.

Introíbo in domum tuā in holocáustis: * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, in tribulatióne meâ.

Holocaústa medulláta offeram tibi cum incénso aríetum: * ófferam tibi, boves cum hircis.

Veníte, audíte, * & narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi: * & exultávi, sub linguâ meâ.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo:* non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit De⁹:* & atténdit voci, depreca-tiónis meæ.

Benedíctus Deus: * qui non amóvit oratiónem meam, & misericórdiam suam à me. Glória Patri.

Añā. Omnis terra adóret te, & psallat tibi: Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Añā. Reges Tharsis.

Psalmus 71.

DEus judícium tuum regi da: * & justítiam tuam filio regis.

Judicáre pópulum tuum in justítia: * & pauperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * & colles justítiā.

Judicábit pauperes pópuli, & salvos fáciet filios paúperum: * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum Sole, & ante Lunam, * in generatióne, & generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus: * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia & abundántia pacis:* donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare: * & à flúmine, usque ad términos, orbis terrárum.

Coram illo procídent Æthíopes: * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, & Insulæ múnera ófferent: * Reges Arabum, & Saba, dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes Reges: * omnes gentes sérvient ei.

Quia liberábit paúperem à poténte: * & pauperem, cui non erat adjútor.

Parcet pauperi & ínopi:* & ánimas pauperum salvas fáciet.

Ex

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum: * & honorábile nomen eórum, coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, * & adorábunt de ipſo ſemper: * totá die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra, in ſummis móntiū,* ſuperextollétur ſuper Líbanum fructus ejus: * & florébunt de civitáte ſicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in ſæcula: * ante ſolem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipſo omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dñs Deus Iſraël: * qui facit mirabília ſolus.

Et benedíctum nomen Majeſtátis ejus in ætérnum: * & replébitur Majeſtáte ejus omnis terra: Fiat, fiat. Glória Patri.

Aña. Reges Tharſis,& Inſulæ múnera ófferent regi Dómino.

Aña. Omnes gentes.

Pſalmus 85.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaudi me: * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam Sanctus ſum: * ſalvum fac ſervum tuum Deus meus, ſperántē in te.

Miſerére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam ſervi tui, * quóniam ad te Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam, tu, Dómine, ſuavis & mitis: * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe,Dómine, oratiónem meam: * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te:* quia exaudiſti me.

Non eſt símilis tui in diis, Dómine: * & non eſt ſecúndum ópera tua.

Omnes gentes, quaſcúnque fecíſti, vénient,& adorábunt coram te, Dñe: * & glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília: * tu es Deus ſolus.

Deduc me, Dómine, in viâ tuâ, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum

meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me: * & eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus iníqui insurrexérunt super me, * & Synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam: * & non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine Deus miserátor & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me, & miserére mei, * da impérium tuum Púero tuo: * & salvum fac filium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, * ut vídeant qui odérunt me, & confundántur: * quóniam tu, Dómine adjuvísti me, & consolátus es me. Glória Patri.

Aña. Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient, & adorábunt coram te, Dñe.

℣. Adoráte Dóminum in aulâ sanctâ ejus.

℟. Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 2. de Epiphania.

Lectio iv.

GAudéte in Dómino, dilectíssimi, íterum dico, Gaudéte: quóniam brevi intervállo témporis, post Solemnitátem Nativitátis Christi, Festívitas Declaratiónis ejus illúxit; & quem in illo die Virgo pepérit: in hoc Mundus agnóvit. Verbum enim Caro factum, sic susceptiónis nostræ temperávit exórdia; ut natus Jesus & credéntibus maniféstus: & persequéntibus esset occúltus. Jam tunc ergò Cœli enarravérunt glóriam Dei; & in omnem terram sonus veritátis exívit: quando & Pastóribus exércitus Angelórum, Salvatóris éditi annunciátor appáruit; & Magos ad eum adorándum: prævià Stellâ perdúxit. Ut à Solis ortu usque ad occásum veri Regis generátio corruscáret; cùm veram fidem, & regna Oriéntis per Magos díscerent: & Románorum Impérium non latéret.

℟. Vidéntes Stellam Magi, gavísi sunt gáudio magno: & intrántes Domum invené

invenérunt Púerum cum María Matre ejus; & procidéntes adoravérunt eum: * Et apértis thesáuris suis, obtulérunt ei múnera, Aurum, Thus & Myrrham. ℣. Stella, quam víderant Magi in Oriénte antecedébat eos, usque dum véniens staret suprà, ubi erat Puer. Et apértis. Glória Patri. Vidéntes stellam.

Lectio v.

NAm & Sævítia Heródis volens primórdia suspécti sibi Regis extínguere, huic dispensatióni nésciens serviébat; ut dum atróci inténtus facínori, ignótum sibi Púerum indiscréta infántium cæde perséquitur: annunciátum cælitùs Dominatóris Ortum, insígnior ubíque fama loquerétur; quam promptiórem ad narrándum, diligentiorémque faciébat: & supérnæ significatiónis nóvitas, & cruentíssimi persecutóris impíetas. Tunc autem étiam Ægypto Salvator illátus est: ut gens antíquis erróribus dédita jam ad vicínam salútem per occúltam grátiam signarétur; & quæ nondum ejécerat ab ánimo superstitiónem: jam hospítio recíperet veritátem.

℟. Illumináre, illumináre Jerúsalem, venit Lux tua: * Et glória Dómini super te orta est. ℣. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, & Reges in splendóre ortûs tui. Et glória Dómini. Glória Patri. Illumináre.

Lectio vj.

AGnoscámus ergò, Dilectíssimi, in Magis Adoratóribus Christi; vocatiónis nostræ, fideíque Primítias: & exultántibus ánimis beátæ spei inítia celebrémus. Exínde enim in ætérnam hæreditátem cœpimus introíre; exínde nobis Christum loquéntia Scripturárum Arcána patuérunt: Et véritas, quam Judæórum obcœcátio non recépit; ómnibus natiónibus: lumen suum invéxit. Honorétur ítaque à nobis Sacratíssimus dies, in quo salútis nostræ Auctor appáruit; & quem Magi Infántem veneráti sunt in cunábulis: nos omnipoténtem adorémus in cælis. Ac sicut illi de thesáuris suis mysticas Dómino múnerum spécies obtulérunt;

runt; ita & nos de córdibus nostris quæ Deo sunt digna, promámus.

℟. Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * Adoráte Dóminum in aulâ sanctâ ejus. ℣. Afférte Dómino pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem. Adoráte. Glória Patri. Tóllite hóstias.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Veníte.

Psalmus 94.

VEníte, exultémus Dómino: * jubilémus Deo salutári nostro.

Præoccupémus fáciem ejus in confessióne: * & in Psalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus: * & Rex magnus super omnes Deos.

Quia in manu ejus omnes fines terræ: * & altitúdines móntium ipsíus sunt.

Quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud: * & siccam manus ejus formavérunt.

Veníte, adorémus, & procidámus, & plorémus ante Dóminum, qui fecit nos: * quia ipse est Deus noster.

Et nos pópulus páscuæ ejus, & oves manûs ejus: * hódie si vocem ejus audiéritis: * nolíte obduráre corda vestra.

Sicut in irritatióne secúndum diem tentatiónis in desérto: * ubi tentavérunt me Patres vestri, * probavérunt & vidérunt ópera mea.

Quadragínta annis offénsus fui generatióni illi, * & dixi: semper errãt corde.

Et isti non cognovérunt vias meas: * ut jurávi in irâ meâ, si intrábunt in réquiem meam. Glória Patri.

Aña. Veníte, adorémus Deum, quia ipse est Dóminus Deus noster.

Antiphona prædicta cum suo Psalmo dicitur tantùm hac nocte, & in die Octava; per Octavam verò loco hujus dicitur Aña. Homo natus est. *Cum sequente Psalmo.* *Psalmus* 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion, super ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta sunt de te, Cívitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babylónis, sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiópum; * hi fuérunt illic.

Numquid

Numquid Sion dicet; homo, & homo natus est in eâ, * & ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in Scriptúris populórum, & príncipum: * horum qui fuérunt in eâ.

Sicut lætántium ómnium, habitátio est in te.

Glória Patri.

Aña. Homo natus est in eâ, & ipse fundávit eam Altíssimus.

Aña. Adoráte Dóminum.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra,

Cantáte Dómino, & benedícite Nómini ejus:* annunciáte de die in diem salutáre ejus.

Annunciáte inter gentes glóriam ejus: * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes Deos.

Quóniam omnes dij géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium,* afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino, glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, & exúltet terra, * commoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini quia venit; * quóniam venit judicáre terrã.

Judicábit orbem terræ in æquitáte: * & pópulos in veritáte suâ.

Glória Patri.

Aña. Adoráte Dóminum, Allelúia: in aulâ sanctâ ejus, Allelúia.

Aña. Adoráte Dóminum.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra: * læténsur

tur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus: * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu, inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annunciavérunt cæli justitiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriã ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * & qui gloriántur in simulachris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas Sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo: * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dño: * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Glória Patri.

Añа. Adoráte Dóminum, allelúia; Omnes Angeli ejus, allelúia.

℣. Omnis terra adóret te, Deus, & psallat tibi.

℟. Psalmum dicat Nómini tuo, Dómine.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

CUm natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in diébus Heródis Regis; ecce, Magi ab Oriénte venérunt Jerosólymam, dicéntes: Ubi est, qui natus est Rex Judæórum? Vídimus enim Stellam ejus in Oriénte: & vénimus adoráre eum. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

Homil. 10. in Evang.

SIcut ex Lectióne Evangélica, Fratres charíssimi, audístis; cœli Rege nato, Rex terræ turbátus est: quia nimírum terréna altitúdo confúnditur, cum celsitúdo cœléstis aperítur. Sed quæréndum nobis est: quidnam sit, quòd Redemptóre nato, Pastóribus in Judæa Angelus appáruit;

atque

atque ad adorándum hunc ab Oriénte, Magos nō Angelus, sed Stella perdúxit? Quia vidélicet Judæis tanquam ratióne uténtibus; rationále animal, id est, Angelus prædicáre débuit: Gentíles verò, quia uti ratióne nesciébant; ad cognoscéndum Dóminum, non per vocem: sed per signa perducúntur. Unde & per Paulum dícitur; Prophetiæ fidélibus datæ sunt: non infidélibus; Et istis signa tamquam infidélibus: non fidélibus data sunt.

℟. Veníte, adorémus Deū, & procidámus ante Dóminum; plorémus ante eum, qui fecit nos: * Quia ipse est Dóminus, Deus noster. ℣. Præoccupémus fáciem ejus in confessióne & in Psalmis jubilémus ei. Quia ipse est. Glória Patri, Veníte, adorémus.

Lectio viij.

ET notándum, quòd Redemptórem nostrū, cùm jam perféctæ esset ætátis: eísdem gentílibus Apóstoli prædicant; eúmque Párvulum, nec dum per Humáni Córporis offícium loquéntem: Stella Géntibus denúnciat. Quia nimírum ratiónis ordo poscébat; ut & loquéntem jam Dóminum loquéntes nobis Prædicatóres innotéscerent: & nec dum loquéntem, Eleménta muta prædicárent. Sed in ómnibus signis, quæ vel Nascénte Dómino, vel moriénte eo monstráta sunt: considerándum nobis est, quanta fúerit in quorúndam Judæórum corde durítia; qui hunc nec per Prophétiæ donum: nec per mirácula agnovérunt.

℟. Hodiè in Jordáne Baptizáto Dómino apérti sunt cœli, & sicut Colúmba super eum Spíritus mansit, & vox Patris intónuit: * Hic est Fílius meus Diléctus; in quo mihi complácui. ℣. Vox Dómini super aquas, Deus Majestátis intónuit: Hic est Fílius meus. Glória Patri. Hódie in Jordáne.

Lectio ix.

OMnia quippe Eleménta: Auctórem suum venísse testáti sunt. Ut enim de eis quiddam usu humáno loquar; Deum hunc Cœli esse cognovérunt quia prótinus Stellam misérunt.

misérunt. Mare cognóvit: quia sub plantis ejus se calcábile præbuit. Terra cognóvit: quia eo moriénte, contrémuit. Sol cognóvit: quia lucis suæ rádios abscóndit. Saxa & paríetes cognovérunt: quia témpore mortis ejus scissa sũt. Inférnus agnóvit: quia hos, quos tenébat mórtuos, réddidit. Et tamen hunc, quẽ Dóminum ómnia insensibília Eleménta sensérunt; adhuc infidélium Judæórum corda Deum esse mínimè cognóscunt: & durióra saxis scindi ad pœniténdum nolunt; eúmque confitéri ábnegant: quem Eleménta, ut díximus, aut signis, aut scissiónibus Deum clamant.

℟. In Colúmbæ spécie Spíritus sanctus visus est:* Patérna vox audíta est: Hic est Fílius meus, in quo mihi complácui.

℣. Vox Dómini in virtúte; vox Dómini in magnificéntia. Patérna vox.

Hoc ℟. *non duplicatur, quia dicitur*, Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Antiphona. Venit lumen tuum, Jerúsalem, & glória Dómini super te orta est; & ambulábunt gentes in lúmine tuo, allelúia. *Psal.* Dñs regnávit. *cum reliq.*

Aña. Ante lucíferum génitus, & ante sæcula Salvátor noster hódie mundo appáruit. *Antiph.* Apértis thesaúris suis obtulérunt Magi Dómino Aurum, Thus & Myrrham, allel.

Aña. María & flúmina benedícite Dómino; Hymnum dícite fontes, Dómino, allelúia. *Aña.* Tria sunt múnera, quæ obtulérunt Magi Dómino, Aurum, Thus & Myrrham, Fílio Dei, Regi magno, allelúia.

Capitulum. Isa. 60.

SUrge, illumináre Jerúsalem, quia venit lumen tuum: & glória Dómini super te orta est.

℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

℟. Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Ad Benedictus, Antiph. Cœli apérti sunt super eum, & vox facta est de cœlo dicens; Hic est Fílius meus Diléctus, in quo mihi complácui. *Duplicatur.*

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui hodiérna die Unigénitum tuum Géntibus Stellâ duce reveláſti: concéde propítius; ut qui jam te ex fide cognóvimus: uſque ad contemplándam ſpéciem tuæ celſitúdinis perducámur. Per eúmdem Dóminum noſtrum.

Ad Tertiam, Capitulum. Surge, illumináre, *ut ſup.*

℟. Omnes de Saba vénient, Aurum & Thus deferéntes. ℣. Et laudem Dómino annunciántes. Glória Patri. ℣. Reges Tharſis, & Inſulæ múnera ófferent. ℟. Reges Arabum & Saba, dona addúcent.

Orémus. *Oratio.*

DEus, illuminátor ómnium Géntium, da pópulis tuis perpétua pace gaudére; & illud lumen ſpléndidum infúnde córdibus noſtris: quod trium Magórum méntibus aſpiráſti, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, Fílium tuum; Qui tecum.

Ad Sextam. Capit. Iſa. 60.

LEva in circúitu óculos tuos, & vide, omnes iſti congregáti ſunt, venérunt tibi; Fílii tui de longè vénient: & filiæ tuæ de látere ſurgent.

℟. Reges Tharſis, & Inſulæ múnera ófferent. ℣. Reges Arabum & Saba dona addúcent. Glória Patri. ℣. Omnis terra adóret te, Deus; & pſallat tibi. ℟. Pſalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus. *Oratio.*

ILlúmina, quæſumus, Dómine, pópulum tuum: & ſplendóre glóriæ tuæ cor ejus ſemper accénde; ut Salvatórem ſuum & inceſſánter agnóſcat: & veráciter apprehéndat, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum.

Ad Nonam. Capit. Iſa. 60.

OMnes de Saba véniẽt; Aurum & Thus deferéntes: & laudem Dómino annunciántes.

℟. Omnis terra adóret te, & pſallat tibi, Deus. ℣. Pſalmum dicat nómini tuo Dómine. Glória Patri. ℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dñi. ℟. Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, ſempitérne Deus, fidéliũ ſplen-

dor animárum ‘ qui hanc solemnitátem Electiónis Géntium Primítiis consecrásti; imple mundum tuâ gloria ‘ & súbditis tibi pópulis, per lúminis tui appáre claritátẽ. Qui tecum.

Ad Vesperas. Ana. Venit lumen tuum. *cum reliquis de Laudibus. Psalm.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.* 148.

Capitulum. Isa. 60.

SUrge illumináre Jerúsalem, quia venit lumen tuum ‘ & glória Domini super te orta est.

℣. Omnes de Sabâ vénient. ℟. Aurum & Thus deferéntes, & laudem Dómino annunciántes.

Ad Magnificat, Aña. Ab Oriénte venérunt Magi in Bethleem adoráre Dóminum; * Et apértis thesauris suis pretiósa múnera obtulérunt: * Aurum, sicut Regi magno, Thus, sicut Deo vero; Myrrham, sepultúræ ejus, allelúia. *Duplicatur, & in Choro dicitur alternatim per partes Asteriscis distinctas.*

Oratio. Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum. *ut suprà.*

Ad Processionem.

℟. Hodie in Jordáne baptizáto Dómino, apérti sunt cœli, & sicut Colúmba super eum Spíritus mã-sit, & vox Patris intónuit: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui.

Orémus. *Oratio.*

ILlúmina quæsumus Dómine, pópulum tuum ‘ & splendóre glóriæ tuæ, cor ejus semper accénde; ut Salvatórem suum, & incessanter agnóscat ‘ & veráciter apprehéndat Dóminum nostrum Jesum Christum filium tuum; Qui tecum.

Si Epiphania occurrat in Dominica;

Ad secundam Processionem. ℟. Vidébunt Gentes justum tuum, & cuncti Reges ínclytum tuum; & vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominávit.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut Salvatóris mundi Stellâ duce manifestáta Natívitas ‘ méntibus nostris semper revelétur & créscat. Per.

Si verò occurrat in Sabbato; Ad 2. Processionem.

℟. Omnes

℟. Omnes de Sabâ vénient, Aurum & Thus deferéntes, & laudem Dómino annunciántes.

Orémus. *Oratio.*

VOta, quæsumus, Dómine, supplicántis pópuli cœléſti pietáte proſéquere; ut & quæ agénda ſunt vídeant; & ad impléndá, quæ víderint, conveléſcant. Per Dóminum.

Ad Completorium, Hymnus. Hoſtis Heródes, impie. *& dicitur per totam Octavam.*

Infra octavam Epiphaniæ, ſi occurrat Feſtum duplex vel ſemidupl. transfertur poſt octavam, niſi fuerit Patroni vel Titularis Eccleſiæ, vel Dedicatio ejuſdem, ut dicitur in Rubrica de octavis. De ſimplicibus verò ſive trium Lectionum, dicitur tantùm Oratio ad Miſſam.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regẽ magnum Dóminum, veníte adorémus. *ut in rubrica Feſti ponitur. Aña.* Afférte Dómino. *cum reliquis Antiphonis & Pſalmis, ut in die Epiphaniæ, prætermiſſa ſeptima Aña cum ſuo Pſalmo, cujus loco dicitur Aña.* Homo natus eſt. *& Pſalm.* Fundamenta ejus. *ut ibidem notatur. Verſus. Lectiones, Reſponſoria & Aña ad Bened. & Magnif. ſingulis diebus notantur. Cætera ad Laud. & horas ut in die feſti. De Dñica infra octavã, in quamcumq; diem octavæ inciderit fit Officiũ ut infrà ordinatur; & in ea ponitur Epiſt. 1. ad Corinth. omiſſis Lectionibus de Epiſt. ad Romanos. Poſt Dominicam verò continuantur dies Octavæ eodem numero quo notãtur, perindè ac ſi Dominica non intercessiſſet, exempli gratiâ. Si Dominica evenerit tertia die infra octavam. 1. die poſt Dominicam tres Lectiones, ℟ia & Aña. ad Bened. & Magnif. dicuntur de tertia die infra Oct. & ſic deinceps de aliis. Lect. tamen de Epiſt. ad Romanos omittũtur & pro iis ſumuntur de Epiſt. 1. ad Cor. quæ ſequũtur poſt Dominicam; Et de eâ legitur etiam per Octavam uſque ad Dominicam ſequentem.*

Notandum eſt, quòd infra octavam, licet duæ primæ Lectiones de Script. occurrente mutentur juxta ſuperiorem rubricam,

tertia tamen semper propria dicitur, ut singulis diebus notatur.

SECUNDA DIE.
Infra octavam Epiphaniæ.
Ad Nocturnum.

℣. Reges Tharsis & Insulæ múnera ófferent.
℟. Reges Arabum & Saba dona addúcent.

De Epístola ad Romános.
Lectio j. Cap. 9.

VEritátē dico in Christo, non méntior; testimónium mihi perhibénte consciéntia meâ in Spíritu sancto: quóniam tristítia mihi magna est, & cōtínuus dolor cordi meo. Optábam enim ego ipse Anáthema esse à Christo pro Frátribus meis, qui sunt cognati mei secúndū carnem; qui sunt Israëlitæ quorum adóptio est filiórū, & glória, & testaméntū, & Legislátio & obséquiū, & promíssa: quorum Patres, & ex quibus est Christus, secúndum carnem, qui est super ómnia Deus Benedíctus in sæcula. Amen.
℟. j. Omnes de Saba vénient. *ut in* 1. *Nocturno. Epiph. Lectio ij.*

NOn autem quòd excíderit Verbum Dei. Non enim omnes, qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocábitur tibi semen. Id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissiónis: æstimántur in sémine. Promissiónis enim Verbum hoc est: Secúndum hoc tempus véniam, & erit Saræ filius. Non solùm autem illa: sed & Rebécca ex uno concúbitu habens, Isaac Patris nostri. Cùm enim nondum nati fuíssent, aut áliquid boni egíssent, aut mali; [ut secúndum electiónem propósitum Dei manéret:] non ex opéribus séd ex vocánte dictum est ei. Quia major sérviet minóri; sicut scriptum est: Jacob diléxi, Esáu autem ódio hábui. Quid ergo dicémus; numquid iníquitas apud Deū? Absit. Moysi enim dicit: Miserébor cujus miséreor; & misericórdiam præstábo: cujus miserébor. Igitur nō voléntis neque curréntis: sed miseréntis est Dei.
℟. ij. Oriétur Stella.

Sermo S Irenæi Epíscopi Lugdunénsis, & Martyris.

Adversus

Ad verſ. hæreſes l.3.c.10.
Lectio iij.

MAtthæus Magos ab Oriente, ait, dixíſſe: Vídimus enim Stellã ejus in Oriénte, & vénimus adoráre eum; deductóſque à Stellâ in domum Jacob ad Emánuel: per ea, quæ obtulérunt múnera oſtendíſſe, quid erat, qui adorábátur. Myrrha quidem; quòd ipſe erat, qui pro mortáli humáno género morerétur: & ſepelirétur. Aurum verò; quóniam Rex: cujus Regni non eſt finis. Thus verò; quóniam Deus, qui & notus in Judæâ factus eſt: & manifeſtus eis, qui non quærébant eum. Adhuc ait, in baptíſmate Matthæus. Apérti ſunt ei cœli, & vidit Spíritum Dei, quaſi Colúmbam veniéntem ſuper eum; Et ecce vox de cœlo dicens: Hic eſt Fílius meus diléctus, in quo mihi benè complácui. Non enim Chriſtus tunc deſcéndit in Jeſum, neque álius quidem Chriſtus, álius verò Jeſus: Sed Verbum Dei, qui eſt Salvátor ómnium, Dominátor cœli & terræ; qui eſt Jeſus, quemádmodum ante oſténdimus: qui & aſſúmpſit carnem, & unctus eſt à Patre Spíritu; Jeſus Chriſtus factus eſt: ſicut Iſaías ait. Exiet Virga de radíce Jeſſe; & flos de radíce ejus aſcéndet: & quiéſcet ſuper eum Spíritus Dómini.

℟. iij. Stella quã víderant.

Ad Benedictus, Aña.

Vox de cœlo ſónuit, & vox Patris audíta eſt; Hic eſt Fílius meus, in quo mihi complácui.

Ad Magnificat, Antiph.

Deſcéndit Spíritus corporáli ſpécie, ſicut Colúmba in ipſum. Et vox de cœlo facta eſt; Hic eſt Filius meus diléctus, allelúia.

TERTIA DIE.

Infra octavam Epiphaniæ.

℣. Reges Tharſis & Inſulæ múnera ófferent.

℟. Reges Arabum & Saba dona addúcent.

De Epíſtola ad Romános.

Lectio j. Cap. 12.

OBſecro ítaque vos, Fratres, per miſericórdiam Dei; ut exhibeátis córpora veſtra hóſtiam vivéntem, ſanctam, Deo placéntem: rationábile obſéquium veſtrum. Et nolíte conformári huic ſæculo;

ſed reformámini in novitáte ſenſus veſtri ˊ ut probétis quæ ſit volúntas Dei bona, & beneplacens, & perfécta. Dico enim per grátiam, quæ data eſt mihi, ómnibus qui ſunt inter vos ˊ Non plus ſápere quàm opórtet ſápere; ſed ſápere ad ſobrietátem ˊ & unicuíque ſicut Deus divíſit mensúram fidei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus; ómnia autem membra non eúndem actum habent ˊ ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſínguli autem alter alrérius membra,

℟. Vidénres Stellam. *ut in ſecundo Nocturno.*

Lectio iij.

HAbéntes autem donatiónes ſecúndum grátiam, quæ data eſt nobis, differéntes ˊ ſive Prophétiam ſecúndum ratiónem fidei; ſive miniſtérium in miniſtrándo; ſive qui docet in doctrína; qui exhortátur in exhortándo; qui tríbuit in ſimplicitáte; qui præeſt in ſolicitúdine ˊ qui miſerétur in hilaritáte. Diléctio ſine ſimulatióne ˊ odiéntes malum, adhæréntes bono; Charitáte fraternitátis ínvicem diligéntes; honóre ínvicem præveniéntes; Sollicitúdine non pigri; Spíritu fervéntes; Dómino ſerviéntes; ſpe gaudéntes; in tribulatióne patiéntes; oratióni inſtántes; Neceſſitátibus Sanctórum communicántes ˊ Hoſpitalitátem ſectántes. Benedícite perſequéntibus vos ˊ Benedícite, & nolíte maledícere.

℟. Illumináre, illumináre Jerúſalem.

Sermo S. Ambróſij Epíſc. *Comment. in Luc. cap. 2. poſt initium.*

Lectio iij.

QUæ ſunt iſta veræ fidei múnera ˊ Aurum Regi; Thus Deo ˊ Myrrha Defúncto. Aliud enim Regis insígne ˊ áliud Divínæ Sacraméntum poteſtátis; áliud eſt honor ſepultúræ ˊ quæ non corrúmpat corpus mórtui, ſed resérvet. Nos quoque, qui hæc audímus & légimus; de theſáuris noſtris tália múnera ˊ Fratres, proferámus. Habémus enim theſáurum in vaſis fictílibus. Si ígitur in te ipſo, quod es ˊ non ex te debes æſtimáre, ſed ex Chriſto;

Christo; quantò magis in Christo non tua debes æstimáre? sed Christi. Ergò Magi de thesáuris suis ófferunt múnera. Vultis scire, quàm bonum méritum hábeant? Stella ab his vidétur? & ubi Heródes est non vidétur; ubi Christus est, rursùs vidétur? & viam demōstrat. Ergò Stella hæc via est? & via Christus; quia secúndùm Incarnatiónis mystérium? Christus est Stella. Oriétur enim Stella ex Jacob? & exúrget Homo ex Israël. Dénique ubi Christus est, & Stella est? Ipse enim est Stella spléndida, & matutína? suâ ígitur ipse Luce se signat.
℟. Tóllite hóstias.

Ad Benedictus, Aña.

In Colúmbæ spécie Spíritus Sanctus visus est; Patérna vox audíta est: Hic est Filius meus.

Ad Magnificat, Aña.

Vénient ad te qui detrahébant tibi, & adorábunt vestígia pedum tuórum.

QUARTA DIE

Infra octavam Epiphaniæ.

De Epístola ad Romános.

Lectio j. Cap. 13.

OMnis ánima Potestátibus sublimióribus súbdita sit? Non est enim Potéstas nisi à Deo; quæ autem sunt? à Deo ordinátæ sunt. Itaque qui resistit Potestáti, Dei Ordinatióni resístit; Qui autem resístunt? ipsi sibi damnatiónem acquírunt. Nam príncipes non sunt timóri boni óperis? sed mali. Vis autem non timére Potestátem; Bonum fac, & habébis laudem ex illâ? Dei enim miníster est tibi in bonum. Si autem malum féceris, time? Non enim sine causâ gládium portat; Dei enim miníster est? vindex in iram, ei qui malè agit.
℟. Veníte, adorémus. *ut in tertio Nocturno.*

Lectio ij.

IDeò necessitáte súbditi estóte; non solùm propter iram? sed étiam propter consciéntiam. Ideò enim & tribúta præstátis; Minístri enim Dei sunt? in hoc ipsum serviéntes. Rédite ergò ómnibus débita? Cui tribútum, tribútum; Cui vectígal, vectígal; Cui timórem, timórem? Cui honórem, honórem. Némini quicquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis;

Qui enim díligit próximum : Legem implévit. Nam, non Adulterábis; Non occídes; Non furáberis; Non falsum testimónium dices; Non concupísces; Et si quod est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur : Díliges próximum tuum, sicut te ipsum. Diléctio próximi malum non operátur' Plenitúdo ergò Legis est diléctio.

℟. Hódie in Jordáne.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 2. de Epiph. Domini, qui est 30. de Tempore.

Lectio iij.

AD Partum Vírginis adorándum Magi ab Oriénte venérunt; Hanc diem hódie celebrámus : huic débitam Solemnitátem sermonémque persólvimus. Illis Dies iste primus illúxit : anniversária nobis Festivitáte rédiit. Illi erant Primítiæ Géntium : nos pópulus Géntium. Nobis hoc lingua nunciávit Apostolórum; Stella illis tanquàm lingua cœlórum : & nobis iidem Apóstoli, tanquam Cœli enarravérunt glóriam Dei. Magnum Sacraméntum. In Præsépi tunc jacébat : & Magos ab Oriénte ducébat. Abscondebátur in stábulo; & agnoscebátur in Cœlo : ut ágnitus in Cœlo manifestarétur in stábulo. Et appellarétur Epiphánia dies iste : quod Latinè Manifestátio dici potest. Simul ejus Altitúdinem Humilitatémque comméndans; ut qui in apérto cœlo, signis sidéreis monstrabátur : magnus in angústo diversório quæsitus, invenirétur inválidus. Infantílibus in membris natus; infantilibúsque pannis involútus, adorarétur à Magis : timerétur à malis.

℟. In Colúmbæ spécie.

Ad Benedictus, Aña. Vidébunt Gentes justum tuum, & cuncti Reges Inclytum tuum; & vocábitur tibi Nomen novum, quod os Dómini nominávit. Allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Vidéntes Stellam Magi gavísi sunt gáudio magno; & intrántes Domum obtulérunt Dómino Aurum, Thus & Myrrham.

QUINTA DIE
Infra octavam Epiphaniæ.

℣. Re

℣. Reges Tharsis.
℞. Reges Arabum.
De Epístola ad Romános.
Lectio j. Cap. 14.

INfirmum autem in Fide assúmite: non in disceptatiónibus cogitatiónum. Alius enim credit se manducáre ómnia; qui autem infirmus est: olus mandúcet. Is, qui mandúcat; non manducántem non spernat: & qui non mandúcat, manducántem non júdicet. Deus enim illum assúmpsit. Tu quis es, qui júdicas aliénum servum? Dómino suo stat, aut cadit; stabit autem: Potens est enim Deus statúere illum. Nam álius júdicat diem inter diem; álius autem júdicat omnem diem: unusquísque in suo sensu abúndet.

℞. Omnes de Sabâ. *ut in primo Nocturno.*

Lectio ij.

QUi sapit diem, Dómino sapit; & qui mandúcat, Dómino mandúcat: Grátias enim agit Deo. Et qui non mandúcat; Dómino non mandúcat: & grátias agit Deo. Nemo enim nostrûm sibi vivit: & nemo sibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus; sive mórimur, Dómino mórimur: sive ergò vívimus, sive mórimur, Dómini sumus. In hoc enim Christus mórtuus est, & resurréxit: ut & mortuórum & vivórum dominétur. Tu autem quid júdicas fratrem tuum? aut tu, quare spernis fratrem tuũ? Omnes enim stábimus ante tribúnal Christi.

℞. Oriétur Stella.

Sermo sancti Fulgéntij Epíscopi.

Ex Serm. 5. qui est de Epiphania sub initium.

Lectio iij.

IPse Deus, qui sibi in véteri Testaménto Primítias offérri mandávit; Homo natus: Géntium Primítias suo cúltui dedicávit. Pastóres fuérunt Primítiæ Judæórum: Magi facti sunt Primítiæ Géntium. Illi de próximo addúcti: isti de longínquo redúcti. Ubi est, ínquiunt, qui natus est Rex Judæórum? De Heróde Rege Judæórum filij jam fúerant nati; Archélaüs natus est in Palátio: Christus in Diversório. Archélaüs natus est in lecto argénteo pósitus; Christus

autem natus in præsépio brevíssimo est collocátus. Et tamen ille natus in Palátio contémnitur: Iste natus in Diversório quæritur. Ille à Magis nullátenùs nominátur: Iste inventus supplíciter adorátur. Quis est iste Rex Judæórum? Pauper & Dives: Húmilis & Sublímis. Quis est iste Rex Judæórum; qui portátur ut Párvulus, adorátur ut Deus? Parvus in Præsépio: Imménsus in Cœlo. Vilis in Pannis: pretiósus in Stellis. Quid est, quod turbáris Heródes? Non venit Reges pugnándo superáre; sed moriéndo: mirabíliter subjugáre. Nec ídeo natus est, ut tibi succédat: sed ut in eum Mundus fidéliter credat. Venit ergò; non ut pugnet vivus: sed ut triúmphet occísus.

℟. Stella, quam víderant.

Ad Benedictus, Aña.

Vox de Cœlo sónuit, & vox Patris audíta est: Hic est Fílius meus, in quo mihi complácui.

Ad Magnificat, Aña.

Descéndit Spíritus sanctus Corporáli spécie, sicut Colúmba in ipsum; Et vox de cœlo facta est: Hic est Fílius meus Diléctus, Allelúia.

SEXTA DIE

Infra octavam Epiphaniæ.

℣. Reges Tharsis.

℟. Reges Arabum.

De Epistola ad Romános.

Lectio j. Cap. 15.

DEbémus autem nos firmióres; imbecillitátes infirmórum sustinére: & non nobis placére. Unusquísque vestrûm próximo suo pláceat in bonum: ad ædificatiónem. Etenim Christus non sibi plácuit; sed, sicut scriptum est: Impropéria improperantium tibi, cecidérunt super me. Quæcúnque enim scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt: ut per patiéntiam & consolatiónem Scripturárum, spem habeámus. Deus autem patiéntiæ & solátij det vobis id ipsum sápere in altérutrum; secúndum Jesum Christum: ut unánimes uno ore honorificétis Deum, & Patrem Dómini nostri Jesu Christi.

℟. Vidéntes Stellam. *ut in secundo Nocturno Epiph.*

Lectio ij.

PRopter quod suscípite ínvicem: sicut & Christus

ſtus ſuſcépit vos; in honórem Dei. Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuíſſe Circumciſiónis propter veritátem Dei ad confirmándas Promiſſiónes Patrum; Gentes autem ſuper miſericórdia honoráre Deum; ſicut ſcriptum eſt. Proptérea confitébor tibi in Géntibus, Dómine; & Nómini tuo cantábo. Et íterum dicit; Lætámini Gentes; cum plebe ejus. Et íterum; Laudáte omnes Gentes Dóminum; & magnificáte eum omnes pópuli. Et rursùs Iſaías ait; Erit radix Jeſſe, & qui exúrget régere Gentes; in eum Gentes ſperábunt. Deus autem ſpei répleat vos omni gáudio & pace in credéndo; ut abundétis in ſpe; & virtúte Spíritus ſancti. ℟. Illumináre.

Sermo S. Maximi Epíſcopi.

Homilia 1. de Epiph.

Lectio iij.

IN hac, dilectíſſimi, celebritáte; ſicut Relátu Patérnæ tradítiónis inſtrúimur; multíplici nobis eſt Feſtivitáte lætándum. Ferunt enim hódie Chriſtum Dóminum noſtrum vel Stella duce à Géntibus adorátum; vel invitátum ad núptias, aquas in vinum vertíſſe; vel ſuſcépto à Joánne Baptíſmate; conſecráſſe fluénta Jordánis; ſuúmque purificáſſe Baptíſtam. Sed quid potíſſimùm præſénti hoc die factum ſit; nóverit ipſe qui fecit. Nos tamen crédere, nec dubitáre debémus; quidquid illud eſt; factum eſſe pro nobis. Nam quod cum fulgentióris Stellæ rádiis incitáti; adoravére Chaldæi, Deum verum; Géntibus ſpes data eſt adorándi. Quòd aquæ, novo ſunt órdine, in vina mutátæ; Novi nobis Póculi; prælibátum eſt Sacraméntum. Quòd autem Baptizátus eſt Agnus Dei; regenerántis Baptíſmi; ſalutáre nobis munus eſt dedicátum.

℟. Tóllite hóſtias.

Ad Benedictus, Aña.

In Colúmbæ ſpécie Spíritus ſanctus viſus eſt: Patérna vox audíta eſt; Hic eſt Fílius meus.

SABBATO,

Infra octavam Epiphaniæ.

AD VESPERAS,

Capitulum. Rom. 12.

OBſecro vos per miſericórdiam Dei; ut exhi-

beátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem: rationábile obséquium vestrum.

℣. Omnes de Saba vénient, Aurum & Thus deferéntes.

℞. Et laudem Dómino annunciántes.

Ad Magnificat, Aña.

Fili, quid fecísti nobis sic? Ego & Pater tuus doléntes quærebámus te. Quid est, quòd me quærebátis? Nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse.

Orémus. *Oratio.*

VOta, quæsumus, Dómine, supplicántis pópuli Cœlésti Pietáte proséquere; ut & quæ agénda sunt, vídeant: & ad impléndda, quæ viderint, conveléscant. Per Dóminum nostrum.

Ad primam Processionem.

℞. j. Omnes de Saba vénient, Aurum & Thus deferéntes, & laudem Dómino annunciántes.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut Salvatóris Mundi, Stellâ Duce, manifestáta Natívitas: méntibus nostris semper revelétur & crescat. Per eúmdem Dóminum.

Ad secundam Processionẽ.

℞. ij. Orietur Stella ex Jacob, & consúrget homo de Israël, & confrínget omnes Duces alienigenárum, & erit omnis terra posséssio ejus.

Orémus. *Oratio.*

ILlúmina, quæsumus Dómine, pópulum tuum: & splendóre glóriæ tuæ cor ejus semper accénde; ut Salvatórem suum, & incessánter agnóscat: & veráciter apprehéndat, Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum; Qui tecum.

DOMINICA

Infra octavam Epiphaniæ.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem magnum. *Et totum Officium dicitur de Epiphania, præter Lectiones, Capitula, Antiphonas ad Bened. & Magnif. & Orationes.*

Quando Epiphania in Dominica venerit, Sabbato sequenti fit Officium de Dominica, ut sequitur.

Ad Matutinum, omnia sicut infrà Octavam; tres verò Lectiones, leguntur de Homilia in Evangelium

Domi-

Dominica infrà Oct. Epiphaniæ, cum tribus Respõsoriis sequentibus, 386. & non dicitur Te Deum.

Ad Laudes verò & Horas omnia de Dominica infra Octavam, & eo anno Lectiones de Epistola prima ad Corinthios, incipiunt in die Octava Epiphaniæ.

In primo Nocturno ponitur Epistola prima ad Corinthios, quæ inferiùs habetur 391. & legitur de ea sequentibus diebus.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm 4. de Epiph

Lectio iv.

JUstum & rationábile, dilectíssimi, veræ Pietátis obséquium est: in diébus, qui divínæ ópera misericórdię protestántur; toto corde gaudére: & honorificè ea, quæ ad salútem nostram gesta sunt, celebráre. Vocánte nos ad hanc devotiónem ipsâ recurréntium témporum Lege; quæ nobis post diem, quo coætérnus Patri Fílius Dei, natus ex Vírgine est: brevi intervállo Epipháníæ íntulit Festum, ex Apparitióne Dñi cõsecrátum.

℟. Vidéntes Stellam. *ut in secundo Noct. Epiph.*

Lectio v.

IN quo Fídei nostræ magnum præsídium Providéntia divína constítuit: ut dum solémni veneratióne recólitur adoráta in exórdiis suis Salvatóris Infántia; per ipsa originália documénta: probarétur veri Hóminis in Christo orta Natúra. Hoc enim est, quod justíficat ímpios: Hoc est, quod ex peccatóribus facit sanctos; si in uno eodémque Dómino nostro Jesu Christo & vera Déitas: & vera credátur Humánitas. Déitas, quâ ante ómnia sæcula in formâ Dei Æquális est Patri; Humánitas, quâ novíssimis diébus in formâ servi: Unítus est Hómini.

℟. Illumináre.

Lectio vj.

AD roborándum ergò hanc fidem, quæ contra omnes præmuniebátur erróres; ex magnâ gestum est Divíni pietáte consílij: ut Gens in longínqua Orientális plagæ Regióne consístens; quæ spectandórum Síderum arte pollébat: signum Nati Púeri, qui

qui supra omne Israël esset regnatúrus, accíperet. Nova étenim cláritas apud Magos stellæ illustrióris appáruit: & intuéntium ánimos ita admiratióne sui splendóris implévit; ut nequáquam sibi créderent negligéndum: quod tantò nunciabátur indício.

℟. Tollite hóstias.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

CUm factus esset Jesus annórum duódecim; ascendéntibus illis Jerosólymam secúndùm consuetúdinem diéi Festi: Consummatísque diébus, cùm redírent; remánsit puer Jesus in Jerúsalem: & non cognovérunt parẽtes ejus. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Exposit. in c. 2. Lucæ.

QUi à nativitáte, immo à conceptióne humána, maniféstis miraculórum (quia Deus sit) est adprobátus indíciis; ipse etiã mox ubi tempus ætátis congruébat: utrámque suam reverénter pándere cœpit, atque aperíre substántiam. Et quid vidélicet Patri juxta veritátem Divínæ Majestátis; & quid juxta assumptiónẽ humánæ fragilitátis: debeat matri. Nec absque providéntia, duodénnis prima suæ fidei rudiménta revelábat; quæ duódecim Apostolórum ministério: cúnctum erant reveláanda, & elucidanda per orbem.

℟. Veníte. *ut in ij. Noct.*

Lectio viij.

ET factum est, post tríduum invenérunt illum. Quasi fons sapiéntiæ Doctórum médius sedet; sed quasi exémplar humilitátis: audíre priùs, & interrogáre Doctóres, quam instruére quærit indóctos. Ne étenim parvuli à senióribus erubéscant díscere; & ipse ob ætátis humánæ congruéntiam: homínibus obauscultáre non erubéscit Deus. Ne infirmus docere quis áudeat; & ille puer docéri interrogándo vóluit: qui per Divinitátis poténtiã, Verbum sciẽtiæ, ipsis suis Doctóribus ministravit. ℟. Hodie in Jordáne. *Lectio ix.*

STupébant qui eum audiébant: & vidéntes admiráti

miráti sunt. Et eò ampliùs stupébant super prudéntia responsiónum: quò paucitátem vidéntes contemnébant annórum. Divínam lingua sapiéntiam prodébat: sed infirmitátem ætas, protendébat humánã. Verùm hæc Doctóres Judæórum quasi nova stúpeant; interque alta quæ áudiunt, & infírma quæ vident, dúbia admiratióne turbéntur: Nos autem sciéntes hunc esse de quo olìm prophéta gratulábundus exultábat; párvulus natus est nobis, & Fílius datus est nobis: & vocábitur nomen ejus admirábilis, consiliárius, Deus, fortis; nequáquam mirémur eum: qui sic párvulus factus est homo; ut nihilóminùs quod semper erat: Deus, ac fortis permanéret. ℟. In Colúmbæ spécie. Te Deum.

AD LAUDES.

Capitulum. Rom. 12.

OBsecro vos per misericórdiam Dei; ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem: rationábile obséquium vestrum.

℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

℟. Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Ad Benedictus. Aña. Fili, quid fecísti nobis sic? Ego & Pater tuus doléntes quærebámus te. Quid est, quod me quærebátis? Nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse.

Orémus. *Oratio.*

VOta, quæsumus Dómine, supplicántis pópuli, cœlésti pietáte proséquere; ut & quæ agénda sunt, vídeant: & ad impléndа, quæ víderint, convaléscant. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam. Capitulum. Obsecro vos. *ut suprà.*

℟. Omnes de Saba. *ut in die Epiph* 373. *Oratio.* Deus, illuminátor. 373.

Ad Sext. Capit. Rom. 12.

DIco enim per grátiã, quæ data est mihi; ómnibus, qui sunt inter vos, non plus sápere, quam opórtet sápere: sed sápere ad sobrietátem. ℟. Reges Tharsis. *Oratio.* Illúmina, quæsumus Dómine. 373.

Ad Nonã. Capit. Rom. 12.

SIcut enim in uno córpore multa membra habémus,

mus, ómnia autem membra non eúmdem actum habent; Ita multi unum corpus sumus in Christo: Sínguli autem, alter altérius membra. ℟. Omnis terra adóret te.

Oratio. Omnípotens, sempitérne Deus, fidéliũ. 373.

Ad Vesperas. Aña. Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, ut in Psalterio.* 148. *Capitulum.* Obsecro vos. *ut suprà,*

℣. Omnes de Sabâ vénient, Aurum & Thus deferéntes. ℟. Et laudem Dómino annunciántes.

Ad Magnificat. Aña. Puer Jesus proficiébat ætáte & sapiéntia, coram Deo & homínibus. *Oratio.* Vota, quæsumus, Dñe. *ut suprà.*

Ad primam Processionem.

℟. j. Omnes de Saba vénient Aurum & Thus deferéntes, & laudem Dómino annunciántes.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui hodiérna die Unigénitum tuum Géntibus, Stellâ duce, revelásti: concéde propítius; ut qui jam te ex Fide cognóvimus: usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad secundã Processionem.

℟. ij. Oriétur Stella ex Jacob, & consúrget homo de Israël; & confrínget omnes duces alienigenárum, & erit omnis terra posséssio ejus.

Orémus. *Oratio.*

DEus, illuminátor ómnium Géntium: da pópulis tuis perpétua pace gaudére; & illud lumen spléndidum infúnde córdibus nostris: quod trium Magórum méntibus aspirásti, Dominum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum; Qui tecum,

Si Octava Epiphaniæ venerit in Dominica nihil fit de Dominica in ipsa die octava, sed tantùm fit de eâ Sabbato præcedenti juxta superiorem Rubricam.

IN DIE OCTAVA Epiphaniæ.

Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente ut in Psalterio.

Capitulum. Isa. 60.

SUrge, illumináre Jerúsalem, quia venit lumen tuum: & glória Dómini super te orta est.

℣. Omnes de Sabâ vénient.

nient. ℟. Aurum & Thus deferéntes, & laudem Dómino annunciántes.

Ad Magnificat, Ana. Vidéntes Stellam Magi, gavísi sunt gaudio magno; & intrántes domum, obtulérunt Dómino, Aurum, Thus & Myrrham.

Orémus. *Oratio.*

DEus, cujus Unigénitus in substántia nostræ carnis appáruit: præsta, quǽsumus; ut per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus: intùs reformári mereámur. Qui tecum vivit.

Ad primam Processionem, ℟. j. Omnes de Sabâ. *ut in primis Vesperis Festi.* *Oratio.* Deus, illuminator.

Ad secundā Processionem. ℟. ij. Oriétur stella. *Oratio.* Omnípotens, sempitérne Deus, fidéliū. 373.

Ad Matutinum. Invitatorium omittitur, & fit Officium ut in die Epiphaniæ, præter Lectiones.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Epist. 1. ad Corinthios, quæ occurrunt secundum superiorem Rubricam,

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni Epíscopi.

Orat. in sancta Lumina.

Lectio iv.

NOn possum cohibére lætítiæ voluptátem, sed mente extóllor & afficior; & própriæ pusillitátis oblítus: officium magni Joánnis, imò potiùs famulátum subíre conténdo, ac géstio. Et licet non sim Præcúrsor: de Erémo tamen vénio. Christus ergò illuminátur; imò pótiùs fulgóre suo nos illúminat: Christus baptizátur; simul & nos descendámus: ut cum ipso páriter ascendámus.

℟. Vidéntes. *ut in ij. Noct. Epiphaniæ.*

Lectio v.

JOánnes Baptízat, & accédit Jesus: Sanctíficans quidem, & ipsum qui baptízat; præcípuè tamen ut & véterem Adam sepéliat in aquis: & ante ómnia, ut per hæc sanctificētur aquæ Jordánis. Vt sicut erat spíritus & caro; ita & his, qui baptizándi erant: in spíritu & aqua sanctificatiónis, succéssio traderétur. Non súscipit Baptísta; conténdit Jesus: Ego, inquit, opus habeo

hábeo à te baptizári; Lucérna dicit ad Solem: & vox lóquitur ad Verbum. ℟. Illumináre.

Lectio vj.

ASeéndit Jesus de Aquâ: secum quodámmodò demérsum edúcens & élevans mundum. Et vidit, non dívidi cœlum, sed aperíri; quod sibi ac nobis post se aliquándo Adam ille conclúserat: sicut & in igneo gládio Paradísus fúerat conclúsus. Spíritus sanctus testimónium pérhibet: simília namque sibi ipsa concúrrunt. De cœlo testimónium defértur; inde enim erat ille: cui testimóniū perhibetur. ℟. Tóllite hóstias.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii: secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo témpore: Vidit Joánnes Jesum veniéntem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei: ecce qui tollit peccátum Mundi. Hic est de quo dixi; post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 6. in Ioan. ante med.

ANtequàm venísset Dóminus, ut baptizarétur à Joánne in Jordáne; nóverat eum illis vocibus: ubi ait. Tu ad me venis baptizári? Ego à te débeo baptizári. Sed ecce Dóminum nóverat: nóverat Fílium Dei. Undè probámus, quòd jam nóverat? quia ipse baptizáret in Spíritu sancto. Antequàm veníret ad flúviū; cùm multi ad Joánnem cōcúrrerent baptizári: ait illis. Ego quidem baptízo vos in Aqua; qui autem post me venit, Major me est: cujus non sum dignus corrígiam calceaménti sólvere. Ipse vos baptizábit in Spíritu sancto & Igni: Jam & hoc nóverat. ℟. Veníte, adorémus. *ut in iij. Noct.*

Lectio viij.

QUid ergo per Colúmbam dídicit; ne mendax postea invenirétur: [quod avértat à nobis Deus opinári;] nisi quandam proprietátem in Christo talem futúram: ut quamvis multi miníſtri baptizatúri essent, sive justi, sive injústi; non tribueré-

tur

tur sánctitas Baptísmi: nisi illi, super quem descéndit Colúmba, de quo dictum est: Hic est, qui baptízat in Spíritu sancto. Petrus baptízet: hic est, qui baptízat. Paulus baptízet: Hic est, qui baptízat. Nam, si pro diversitáte meritórum, Baptísma sanctum est: Quia divérsa sunt mérita, divérsa erunt baptísmata; & tantò quisque áliquid mélius putátur accípere: quantò à melióre vidétur accepísse.

℟. Hódie in Jordáne.

Lectio ix.

IPsi Spiritáles sancti; [intellígite, Fratres mei:] boni pertinéntes ad Colúmbam; pertinéntes ad sortem Civitátis illíus Jerúsalem: ipsi boni in Ecclésia, de quibus dicit Apóstolus; novit Dóminus qui sunt ejus: diversárum gratiárum sunt, non omnes pária mérita habent. Sunt álii áliis Sanctióres: sunt álii, áliis melióres. Quare ergò si unus ab illo, verbi grátia, Justo, sancto baptizarétur; alius ab alio inferióris meriti apud Deū; inferióris gradûs, inferióris continéntiæ, inferióris vitæ; unum tam & par, & æquále est, quod accepérunt? nisi, quia hic est, qui baptízat. ℟. In Colúmbæ spécie.

Te Deum, laudámus.

Ad Laudes omnia dicuntur sicut in die Epiphaniæ, excepta Oratione.

Orémus. *Oratio.*

DEus, cujus Unigénitus in substántia nostræ carnis appáruit; præsta, quæsumus, ut per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus: intùs reformári mereámur. Qui tecum vivit.

Ad Horas, sicut in die. Ad Vesperas Añæ & Psalmi de Feria occurrente, cætera ut in die. Processio de officio sequente, ut in Proprio Sactorum.

DOMINICA PRIMA *post Epiphaniam, quæ est infra Octavam.*

In primo Nocturno, legitur Episto. 1. ad Corinth. secundùm superiorem Rubricam.

Incipit Epístola prima B. Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus vocátus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem

luntátem Dei, & Sósthenes frater; Ecclésiæ Dei, quæ est Corínthi: sanctificátis in Christo Jesu, vocátis Sanctis; cum ómnibus, qui ínvocant Nomen Dómini nostri Jesu Christi: in omni loco ipsórum, & nostro. Grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro & Dómino Jesu Christo.

℟. Omnes de Sabâ. *ut in j. Noct. Epiph.* *Lectio ij.*

GRatias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei; quæ data est vobis in Christo Jesu: quòd in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni sciéntia; Sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis; ita ut nihil vobis desit in ullâ grátia: expectántibus revelatiónem Dómini nostri Jesu Christi; qui & confirmábit vos usque in finem sine crímine: in die Advéntûs Dómini nostri Jesu Christi. Fidélis Deus: per quem vocáti estis in societátem Fílij ejus Jesu Christi, Dómini nostri.

℟. Oriétur Stella.

Lectio iij.

OBsecro autem vos, Fratres, per Nomen Dómini nostri Jesu Christi; ut id ipsum dicátis omnes, & non sint in vobis Schismáta: Sitis autem perfécti in eódem sensu, & in eádem senténtia. Significátum est enim mihi de vobis, Fratres mei; ab iis, qui sunt Chloes: quia contentiónes sunt inter vos. Hoc autem dico, quòd unusquísque vestrûm dicit: Ego quidem sum Pauli; ego autem Apóllo; ego verò Cephæ: ego autem Christi. Divísus est Christus? Numquid Paulus Crucifixus est pro vobis? Aut in Nómine Pauli Baptizáti estis?

℟. Stella, quam víderant.

In secundo & tertio Nocturno leguntur Lectiones Dominicæ infra Octavam.

Si Septuagesima venerit in secunda Dominica post Epiphaniam, tunc in primo Sabbato post Octavam, non impedito Festo novem vel trium Lectionum, alioquin Feria Sexta, vel alia similiter non impedita, fit Officium de Feria, in qua ponuntur Responsoria primi Nocturni Dominicæ Secundæ post Epiphaniam, duæ primæ Lectiones leguntur

guntur de Scriptura occurrente, tertia verò de Homilia ejusdem Dominicæ, cum ejus Antiphona ad Benedictus, & Oratione. Quod si tota Hebdomada impedita sit aliquo Festo vel die infra Octavam. Tunc in Sàbbato pro ultima Lectione legitur Homilia ejusdem Dominicæ (ex tribus una) & si fuerit Festum Simplex, vel dies infra octavam prima Lectio erit de Scriptura ij. d. Festo, vel de die infra oct. iij. de Homil. Dominicæ.

Similiter, quandò contigerit, ut Dominica tertia, vel Quarta, vel Quinta, vel Sexta post Epiphaniam supersit, nec possit poni etiam post Vigesimam tertiam à Pentecoste, consule Rubricam de Dominicis. num. 5.

FERIA SECUNDA.

De Epístola Prima ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 2.

ET ego, cùm veníssem ad vos, Fratres; veni non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntiæ : annúncians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum : & hunc Crucifixum. Et ego in infirmitáte, & timóre, & tremóre multo fui apud vos : & sermo meus, & prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis; sed in ostensióne Spíritûs & virtútis : ut fides vestra non sit in Sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

Lectio ij.

SApiéntiam autem lóquimur inter perféctos: Sapiéntiam verò non hujus sæculi, neque Príncipum hujus sæculi, qui destruúntur; sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est : quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram. Quam nemo Príncipum hujus sæculi cognóvit; Si enim cognovíssent: nunquam Dóminum glóriæ Crucifixíssent. Sed sicut scriptum est : Quod óculus non vidit, nec auris audívit; nec in cor hóminis ascéndit : quæ præparávit Deus iis, qui díligunt illum.

Lectio iij.

NObis autem revelávit Deus per Spíritum suum.

ſuum. Spiritus enim ómnia ſcrutátur: étiam profúnda Dei. Quis enim hóminum ſcit, quæ ſunt hóminis; niſi Spíritus hóminis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt: nemo cognóvit, niſi Spíritus Dei. Nos autem non Spíritum hujus mundi accépimus; ſed Spíritum, qui ex Deo eſt: ut ſciámus, quæ à Deo donáta ſunt nobis. Quæ & lóquimur non in doctis humánæ ſapiéntiæ verbis; ſed in doctrína Spíritûs: Spirituálibus ſpirituália cōparántes.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola prima ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 5.

OMnínò audítur inter vos fornicátio; & talis fornicátio, qualis nec inter Gentes: ita, ut uxórem Patris ſui áliquis hábeat. Et vos infláti eſtis; & non magis luctum habuíſtis, ut tollátur de médio veſtrûm: qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens córpore, præſens autem Spíritu; jam judicávi ut præſens, eum, qui ſic operátus eſt: in Nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, congregátis vobis & meo Spíritu; cum virtúte Dómini noſtri Jeſu: trádere hujúſmodi Sátanæ in intéritum carnis; ut Spíritus ſalvus ſit: in die Dómini noſtri Jeſu Chriſti.

Lectio ij.

NOn eſt bona gloriátio veſtra. Neſcítis quia módicum ferméntum; totam maſſam corrúmpit? Expurgáte vetus ferméntum; ut ſitis nova conſpérſio: ſicut eſtis ázymi. Etenim Paſcha noſtrum immolátus eſt Chriſtus. Itaque epulémur, non in ferménto véteri; neque in ferménto malítiæ & nequítiæ: ſed in ázymis ſinceritátis & veritátis.

Lectio iij.

SCripſi vobis in Epíſtola: Ne commiſceámini fornicáriis. Non útique fornicáriis hujus mundi; aut aváris, aut rapácibus, aut idólis ſerviéntibus: alióquin debuerátis de hoc mundo exiiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſcéri; Si is, qui frater nominátur, eſt fornicátor, aut avárus, aut idólis sérviens, aut malédicus, aut ebriósus, aut rapax: cū hujúſmodi nec cibum súmere.

FERIA

FERIA QUARTA.

De Epistola prima ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 6.

AUdet áliquis vestrûm habens negótium advérsus álterum ; judicári apud iníquos, & non apud Sanctos ? An nescítis; quóniam Sancti de hoc mundo judicábunt ? Et si in vobis judicábitur mundus; indígni estis qui de mínimis judicétis ? Nescítis quóniam Angelos judicábimus ; quantò magis Sæculária ? Sæculária ígitur judícia si habuéritis ; contemptíbiles, qui sunt in Ecclésia ; illos constitúite ad judicándum. Ad verecúndiam vestram dico. Sic non est inter vos sápiens quísquam ; qui possit judicáre inter fratrem suum ? Sed frater cum fratre judício conténdit ; & hoc apud infidéles.

Lectio ij.

JAm quidem omníno delíctum est in vobis ; quòd judícia habétis inter vos. Quare non magis injúriam accípitis ? quare non magis fraudem patímini ? Sed vos injúriam fácitis ; & fraudátis ; & hoc frátribus. An nescítis , quia iníqui Regnum Dei non possidébunt ? Nolíte erráre ; Neque fornicárii ; neque idólis serviéntes ; neque adúlteri ; neque molles ; neque masculórum concubitóres; neque fures ; neque avári ; neque ebriósi ; neque malédici; neque rapáces ; Regnum Dei possidébunt. Et hæc quidam fuístis ; sed ablúti estis; sed sanctificáti estis ; sed justificáti estis ; in Nómine Dómini nostri Jesu Christi , & in Spíritu Dei nostri.

Lectio iij.

OMnia mihi licent ; sed non ómnia expédiũt. Omnia mihi licent ; sed ego sub nullíus rédigar potestáte. Esca ventri ; & venter escis ; Deus autem & hunc, & has destruet. Corpus autem non fornicatióni ; sed Dómino ; & Dóminus córpori. Deus verò & Dóminum suscitávit ; & nos suscitábit per virtútem suam. Nescítis quóniam corpora vestra mẽbra sunt Christi ? Tollens ergò mẽbra Christi ; fáciam membra meretrícis ? Absit. An nescítis, quóniam qui adhæret meretríci; unum corpus

pus efficitur? Erunt enim [inquit] duo in carne uná. Qui autem adhæret Dómino: unus Spíritus est. Fúgite fornicatiónem.

FERIA QUINTA.

De Epistola 1. ad Corinth.

Lectio j. Cap. 7.

DE quibus autem scripsístis mihi: Bonum est hómini mulíerem non tángere; propter fornicatiónem autē unusquísque suam uxórem hábeat: & unaquæque suum virum hábeat. Uxóri vir débitum reddat: Simíliter autem & uxor viro. Mulier sui córporis potestátem non habet: sed vir. Simíliter autem & vir sui córporis potestátem non habet: sed múlier. *Lectio ij.*

NOlite fraudáre ínvicē, nisi fortè ex consénsu ad tempus, ut vacétis Oratióni; Et íterum revertímini in ídipsum: ne tentet vos Sátanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secúndùm indulgéntiam: non secúndùm impériū. Volo enim ómnes vos esse sicut me ipsum. Sed unusquísque próprium donum habet ex Deo; Alius quidem sic: álius verò sic. Dico autem non nuptis, & víduis; Bonum est illis: si sic permáneant sicut & ego. Quód si non se cóntinent: nubant. Meliùs est enim núbere: quàm uri.

Lectio iij.

IIs autem, qui matrimónio juncti sunt: præcípio non ego, sed Dóminus uxórem à viro non discédere; quod si discésserit, manére innúptam: aut viro suo reconciliári. Et vir uxórem non dimíttat: Nam cæteris ego dico, nò Dóminus. Si quis frater uxórem habet infidélem; & hæc conséntit habitáre cum illo: non dimittat illam. Et si qua múlier fidélis, habet virum infidélem, & hic consèntit habitáre cum illâ: non dimíttat virum. Sanctificátus est enim vir infidélis per mulíerem fidélem: & sanctificáta est mulier infidélis per virum fidélem; alióquin filii vestri immúndi essent: nunc autem sancti sunt.

FERIA SEXTA.

De Epístola 1. ad Corinth.

Lectio j. Cap. 13.

SI linguis hóminum loquar & Angelórū; charitátem

ritátem autem non hábeā: factus sum velùt æs sonans, aut cymbalū tínniens. Et si habúero Prophétiam, & nóverim mystéria ómnia, & omnem sciéntiam; & si habuéro omnem fidem, ita ut montes tránsferam; charitátem autem non habúero: nihil sum. Et si distribúero in cibos páuperum omnes facultátes meas; & si tradídero corpus meum ita ut árdeam; charitátem autem non habúero: nihil mihi prodest. *Lectio ij.*

CHaritas pátiens est, benígna est: Charitas non æmulátur; non agit pérperam; non inflátur; non est ambitiósa; non quærit quæ sua sunt: non irritátur. Non cógitat malum; non gaudet super iniquitáte; congáudet autem veritáti: Omnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Charitas numquam éxcidit, sive Prophétiæ evacuabúntur; sive linguæ cessábunt: sive sciéntia destruétur. Ex parte enim cognóscimus & ex parte Prophetámus; cùm autem vénerit quod perfectum est: evacuábitur quod ex parte est.

Lectio iij.

CUm essem párvulus, loquébar ut párvulus; sapiébam ut párvulus; cogitábā ut párvulus: quandò autem factus sum vir, evacuávi quæ erāt párvuli. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate: tunc autem fácie ad fáciem. Nunc cognósco ex parte: tunc autem cognóscam, sicut & cógnitus sum. Nunc autem manent Fides, Spes, Cháritas; tria hæc: Major autem horum est Cháritas.

SABBATO.

De Epístola prima ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 16.

DE colléctis autem, quę fiunt in Sanctos; sicut ordinávi Ecclésiis Galátiæ: ita & vos fácite. Per unam Sábbati unusquísque vestrum apud se sepónat; recóndens, quod ei beneplacúerit: Ut non, cùm vénero, tunc colléctæ fiant. Cùm autem præsens fúero; quos probavéritis per Epístolas: hos mittam perférre grátiam vestram in Jerúsalem. Quod si dignum fúerit, ut & ego eam: mecum ibunt.

Lectio ij.

VEniã autẽ ad vos, cùm Macedóniam pertransíero: Nam Macedóniam pertransíbo. Apud vos autem fórsitan manébo; vel étiam hyemábo: ut vos me deducátis quocúmque íero. Nolo enim vos modò in tránsitu vidére; Spero enim me aliquántulum tẽporis manére apud vos: si Dóminus permíserit. Permanébo autem Ephési usque ad Pentecósten. Ostiũ enim mihi apértum est, magnum, & évidens: Et adversárii multi.

Lectio iij.

SI autem vénerit Timótheus; vidéte ut sine timóre sit apud vos: Opus enim Dómini operátur sicut & ego. Ne quis ergò illum spernat; dedúcite autem illũ in pace, ut véniat ad me: Expécto enim illũ cum Frátribus. De Apóllo autem Fratre, vobis notũ fácio, quóniam multùm rogávi eum, ut veníret ad vos cum Frátribus; & útique non fuit volúntas, ut nunc veníret: Véniet autem, cùm ei vácuum fúerit. Vigiláte; state in fide; viríliter ágite, & confortámini: Omnia vestra in charitáte fiant.

SABBATO

Ante Dominicam secundam post Epiphaniam.

Ad Vesperas, omnia, præter Orationem, ut in Psalterio. 168. Quod servatur in aliis Sabbatis usque ad Septuagesimam.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui cœléstia simul & terréna moderáris; supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi: Et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Post Orationem fiunt duæ Processiones.

Ad primam Processionem.

℟. j. Dómine, ne in irâ. *ut infrà in 1. Noct.*

Orémus. *Oratio.*

DEus, innocéntiæ restitútor & amátor; dírige ad te tuórum corda servórum: Ut Spíritûs tui fervóre concépto; & in Fide inveniántur stábiles: & in ópere efficáces. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Ad 2. Processionem.

℟. ij. Deus, qui sedes, *ut infrà.*

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

DA nobis, Dómine quæsumus, perseverántem in tuâ voluntáte famulátum; Ut in diébus nostris, & mérito, & número ʼ pópulus tibi sérviens augeátur, Per Dóminum.

Duæ prædictæ Orationes dicuntur ad Processiones etiam in aliis Sabbatis & Dominicis, usque ad Dominicam primam Septuagesimæ, & quando Oratio Dominicæ dici non potest in Vesperis, dicitur in prima Processione, omissâ aliâ quæ ibi occurrit.

DOMINICA SECUNDA
post Epiphaniam.

Omnia ut in Psalterio, præter ea, quæ hîc sunt propria.

In primo Nocturno.

Incipit Epístola secúnda B. Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timótheus Frater; Ecclésiæ Dei, quæ est Corínthi, cum ómnibus Sanctis ʼ qui sunt in univérsa Achája. Grátia vobis, & pax, à Deo Patre nostro ʼ & Dño Jesu Christo. Benedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi; Pater misericordiárum, & Deus totíus consolatiónis ʼ qui consolátur nos in omni tribulatióne nostrâ; ut possímus & ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt ʼ per exhortatiónem, quâ exhortámur & ipsi à Deo. Quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis ʼ Ita & per Christum abúndat consolátio nostra.

℟. Domine, ne in irâ tuâ árguas me, neque in furóre tuo corrípias me: * Miserére mei, Dómine, quóniam infirmus sum.

℣. Timor & tremor venérunt super me, & contexérunt me ténebræ, & dixi; Miserére.

Lectio ij.

SIve autem tribulámur, pro vestra exhortatióne & salúte; sive consolámur, pro vestrâ consolatióne; sive exhortámur, pro vestrâ exhortatióne & salúte, quæ operátur tolerántiam earúmdem passiónum, quas & nos pátimur ʼ ut spes nostra firma sit pro vobis. Sciéntes, quòd sicut sócii passiónum estis ʼ sic éritis & consolatiónis.

℟. Deus qui sedes super Thronum, & júdicas æquitátem, esto refúgium páuperum. * In tribulatióne: Quia tu solus labórem & dolórem consíderas.

℣. Tibi derelíctus est pauper, pupíllo tu eris adjutor. In tribulatióne.

Lectio iij.

NOn enim vólumus ignoráre vos, Fratres: de tribulatióne nostrâ, quæ facta est in Asia; Quóniam supra modum graváti sumus, supra virtútem: ita ut tædéret nos étiam vívere. Sed ipsi in nobismetípsis respónsum mortis habúimus; ut non simus fidéntes in nobis: sed in Deo, qui súscitat mórtuos. Qui de tantis perículis nos erípuit, & éruit; in quem sperámus, quóniam & adhuc erípiet: adjuvántibus & vobis in Oratióne pro nobis; ut ex multórum persónis, ejus quæ in nobis est donatiónis: per multos grátiæ agántur pro nobis.

℟. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear: * Propter hoc delectátum est cor meum, & exultávit lingua mea.

℣. Consérva me, Dómine, quóniã in te sperávi: Dixi Dómino, Deus meus es tu. Propter. Glória Patri. Propter.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi.

Ex Præfat. in Epistolas Beati Pauli.

Lectio iv.

BEáti Pauli Epistolárum Lectiónem dum assíduè auscúlto; pérque Hebdómadas síngulas bis sæpè, & ter, & quater, quotiescúmque sanctórũ Mártyrum memórias celebrámus: gaudio exúlto, Tubâ illâ spirituáli pérfruens; & éxcitor, ac desidério incaléſco, vocem mihi amícam agnóscens: & ferè præséntem ipsum intuéri, & disseréntem audíre vídeor. Sed tamen dóleo, & moléstè fero: quòd virum hunc non omnes, sicut par est, cognóscunt. Verùm ita illum nonnúlli ignórant: ut ne Epistolárum quidẽ ejus númerum planè sciant. Hoc verò non imperítia facit; sed quod nolint Beáti hujus viri Scripta: assíduè in mánibus habére.

℟. Notas

℟. Notas mihi fecísti, Dómine, vias vitæ: * Adimplébis me lætítia cum vultu tuo: delectatiónes in dextera tuâ usque in finē.
℣. Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei: tu es, qui restituísti hæreditátem meam mihi. Adimplébis.

Lectio v.

NEque enim nos, quæ scimus, si quid scimus, ab ingénii bonitáte atque acúmine scimus; sed quod erga hunc virum impénsè affécti: ab illius lectióne numquam discédimus. Síquidem qui amant; ii plus quàm cæteri omnes eórum facta norunt, quos amant: ut qui de iis ipsis sint sollíciti. Id quod Beátus hic véluti osténdens, ad Philippénses ait: Sicut est mihi justum, ut hoc de vobis ómnibus séntiam; eò quòd hábeam vos in corde, & in vínculis meis: & in defensióne & confirmatióne Evangélii.

℟. Díligam te, Dómine, virtus mea:* Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum.
℣. Laudans invocábo Dóminum; & ab inimícis meis salvus ero. Dóminus.

Lectio vj.

QUaprópter si & vos quoque Lectióni diligénter atténdere voluéritis: nihil aliud vobis erit requiréndum. Verax est enim Christi sermo, dicéntis; Quærite, & inveniétis: pulsáte & aperiétur vobis. Cæterùm, quandóquidem complúres ex iis, qui hûc nobiscum convéniunt; & liberórum educatiónem, & uxóris curam, & famíliæ providéntiam suscepére: ob idque totos sese huic labóri dare non sústinent; At certè ipsi vos excitáte ad ea saltem capiénda: quæ álii collégerint; stúdii tantúmdem, iis quæ dicta fúerint, auscultãdis: quantùm pecúniis colligéndis impertiéntes. Nam, etsi turpe sit, non nisi tantùm stúdii à vobis exígere; Optábile tamen erit: si tantùm saltem tribuátis.

℟. Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus: * Deus meus adjútor meus.
℣. Protéctor meus, & cornu salútis meæ, & suscéptor meus, Deus meus.

Glória Patri. Deus meus.

In Tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore Núptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ, & erat Mater Jesu ibi. Vocátus est autem & Jesus & Discípuli ejus ad Nuptias. Et deficiénte vino; dicit Mater Jesu ad eum vinum non habent. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tractat. 9. in Ioannem post initium.

QUòd Dóminus invitátus vénerit ad Núptias; étiam excépta mystica significatióne confirmáre vóluit, quòd ipse fecit Núptias. Futúri enim erant de quibus dixit Apóstolus; Prohibéntes núbere & dicéntes; quòd malæ essent Núptiæ & quòd Diabolus eas fecísset. Cùm idem Dóminus in Evangélio, interrogátus, Utrùm líceat hómini dimíttere uxórem suam ex quálibet causâ; Respónderit, Non licére Exceptâ causâ fornicatiónis. In qua responsióne, si meminístis, hoc ait; quod Deus conjúnxit homo non séparet.

℟. Dómini est terra, & plenitúdo ejus: * Orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.

℣. Quia in manu ejus omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipsius sunt. Orbis.

Lectio viij.

ET qui benè erudíti sunt in Fide Cathólica novérunt, quòd Deus fécerit Núptias; Et sicut conjúgium à Deo ita divórtium à Diábolo fit. Sed proptérea in causâ fornicatiónis licet uxórem dimíttere; Quia ipsa esse uxor prior nóluit quæ fidem conjugálem maríto non servávit. Nec illæ, quæ Virginitátem Deo vovent; quamquàm ampliórem gradum honóris & sanctitátis in Ecclésiâ teneant sine núptiis sunt. Nam & ipsæ pértinent ad Núptias cum totâ Ecclésiâ in quibus Núptiis Sponsus est Christus.

℟. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus in te confido, non erubéscam. ℣. Dírige me in veritáte tuâ, & doce me: Quia.

Quia tu es Deus Salvátor meus, & te sustínui totâ die. Deus meus.

Lectio ix.

AC per hoc ergò Dóminus invitátus venit ad Núptias; ut conjugális Cástitas firmarétur: & osténderétur Sacraméntum Nuptiárum. Quia & illárum Nuptiárum Sponsus persónam Dómini figurábat; cui dictum est: servásti vinum bonum usque adhuc. Bonum enim vinum Christus servávit usque adhuc: id est, Evangélium suum.

℟. Aúdiam, Dómine, vocem laudis tuæ: * Ut enárrem univérsa mirabília tua. ℣. Lavábo inter innocéntes manus meas, & circúmdabo altáre tuum Dómine. Ut enárrem.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, Omnia ut in Psalterio.

Ad Benedictus, Aña. Nuptiæ factæ sunt in Caná Galilææ, & erat ibi Jesus cum María Matre suâ.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui cœléstia simul & terréna moderáris; Supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi: Et pacem tuam nostris concede tempóribus. Per Dóminum nostrum.

Ad Horas & Vesperas. Omnia ut in Psalterio de Dominica.

Ad Magnificat, Aña. Deficiénte vino, jussit Jesus impléri hydrias aquâ, quæ in vinum conversa est, Allelúia.

Oratio. Omnípotens. *ut suprà.*

Ad Primam Processionē. ℟. j. Quàm magna.

Ad secundā Processionē. ℟. ij. Benedícam. *ut infrà.*

Orationes ut in Sabbato præcedenti. 398.

Post Octavam Epiphaniæ usque ad Quadragesimam, quandò occurrit fieri de Feria, fit Officium ut in Psalterio, exceptis iis, quæ sunt Propria. Oratio verò dicitur de Dominica præcedenti.

FERIA SECUNDA.

De Epístola secúnda ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 3.

INcípimus íterum nosmetípsos commendáre? Aut numquid egémus [sicut quidam] commendatítiis Epístolis; ad vos, aut

ex vobis? Epístola nostra vos estis, scripta in córdibus nostris; quæ scitur & légitur ab ómnibus homínibus ´ manifestáti quòd Epistola estis Christi; ministráta à nobis, & scripta non atraménto ´ sed Spíritu Dei vivi. Non in tábulis lapídeis ´ sed in tábulis cordis carnálibus.

℟. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine: * Quam abscondísti timéntibus te. ℣. Perfecísti autem sperántibus in te, in conspéctu filiórum hóminum, Quàm.

Lectio ij.

FIdúciam autem talem habémus per Christum ad Deum; non quòd sufficiéntes simus cogitáre áliquid ex nobis, quasi ex nobis ´ sed sufficéntia nostra ex Deo est. Qui & idóneos nos fecit minístros Novi Testaménti; non líttera, sed Spíritu ´ Líttera enim occídit, Spíritus autem vivíficat. Quòd si ministrátio mortis lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória; ita ut non possent inténdere filij Israël in fáciem Móysi propter glóriam vultus ejus, quæ evacuátur ´ quómodo non magis ministrátio Spíritùs erit in glória.

℟. Benedícam Dómino in omni témpore: * Semper laus ejus in ore meo.

℣. Magnificáte Dóminum mecum, & exaltémus nomen ejus in ínvicem. Semper laus.

Lectio iij.

NAm si ministrátio dãnatiónis glória est ´ Multò magis abúndat ministérium justitiæ in glória. Nam, nec glorificátum est, quod cláruit in hac parte ´ propter excelléntem glóriam. Si enim quod evacuátur, per glóriam est ´ Multò magis quod manet, in glória est. Habéntes ígitur talem spem, multa fidúcia útimur; & non sicut Móyses ponébat velámen super fáciem suam, ut non inténderent Filij Israël in fáciem ejus, quod evacuátur ´ sed obtúsi sunt sensus eórum. Usque in hodiérnum enim diem; idípsum velámen in lectióne Véteris Testaménti manet non revelátum ´ quóniam in Christo evacuátur,

℟. Delectáre in Dómino, & dabit tibi * Petitiónes cordis

cordis tui. ℣. Revéla Dómino viam tuam, & ipse fáciet. Petitiónes. Glória Patri. Petitiónes cordis tui.

Responsoria in hac, & sequentibus Feriis posita, repetuntur in Feriis sequentium Hebdomadarum usque ad Septuagesimam.

FERIA TERTIA.

De Epístola secúnda ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 5.

SCimus enim, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur; quòd ædificatiónem ex Deo habémus: domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus; habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupiéntes: Si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam, & qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus, graváti; eò quòd nólumus expoliári, sed super vestíri: ut absorbeátur quod mortále est à vita.

℟. Auribus pércipe, Dómine, láchrymas meas: * Ne síleas à me, remítte mihi; quóniam íncola ego sum apud te, & peregrínus. ℣. Exáudi oratiónē meam, Dómine, & deprecatiónem meam. Ne síleas à me.

Lectio ij.

AUdéntes ígitur semper; sciéntes quóniam dùm sumus in córpore, peregrinámur à Dómino: [per fidem enim ambulámus, & non per spéciem.] Audémus autem; & bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore: & præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus sive abséntes, sive præséntes: placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante Tribúnal Christi; ut réferat unusquísque própria córporis: prout gessit, sive bonum, sive malum.

℟. Státuit Dóminus supra petram pedes meos, & diréxit gressus meos Deus meus: * Et immísit in os meum cánticum novum. ℣. Expéctans expectávi Dóminum, & respéxit me & exaudívit deprecatiónem meam. Et immísit.

Lectio iij.

SCiéntes ergò, timórem Dómini; homínibus suadémus: Deo autem manifésti sumus. Spero autem & in consciéntiis vestris:

manifestátos nos esse. Non íterum commendámus nos vobis; sed occasiónem damus vobis gloriándi pro nobis: Ut habeátis ad eos, qui in fácie gloriántur, & non in corde. Sive enim mente excédimus, Deo; sive sóbrij sumus: vobis. Cháritas enim Christi urget nos. Æstimántes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est: ergò omnes mórtui sunt, & pro ómnibus mórtuus est Christus. Ut & qui vivunt, jam non sibi vivant: sed ei, qui pro ipsis mórtuus est, & resurréxit.

℟. Ego dixi, Dómine, miserére mei, * Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me. Sana ánimam. Glória Patri. Sana.

FERIA QUARTA.

De Epístola secúnda ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 7.

HAs ergò habéntes promissiónes, charíssimi; mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & Spíritus, perficiéntes sanctificatiónem in timóre Dei. Cápite nos. Néminem læsimus; néminem corrúpimus: néminem circumvénimus. Non ad condemnatiónem vestram dico; Prædíximus enim, quòd in córdibus nostris estis ad commoriéndum: & ad convivéndum.

℟. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * Cantábo, & Psalmum dicam Dómino. ℣. Exúrge glória mea, exúrge psaltérium & cíthara, exúrgam dilúculo. Cantabo, & psalmum.

Lectio ij.

MUlta mihi fidúcia est apud vos, multa mihi gloriátio pro vobis; replétus sum consolatióne: superabúndo gáudio in omni tribulatióne nostra. Nam & cùm venissémus in Macedóniam; nullam réquiem hábuit caro nostra: sed omnem tribulatiónem passi sumus. Foris pugnæ: intùs timóres. Sed qui consolátur húmiles; consolátus est nos Deus: in advéntu Titi. Non solùm autem in advéntu ejus; sed étiam in consolatióne, qua consolátus est in vobis: réferens nobis vestrum desidérium; vestrum fletum;

tum ; vestram æmulatiónem pro me : ita ut magis gaudérem.

℟. Adjútor meus tibi psallam : quia Deus suscéptor meus es : * Deus meus misericórdia mea. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus, & ab insurgéntibus in me libera me. Deus meus.

Lectio iij.

QUoniam etsi contristávi vos in Epístola, non me pœnitet ; & si pœnitéret, videns, quòd Epístola illa [etsi ad horam] vos contristávit : nunc gáudeo, non quia contristáti estis, sed quia contristáti estis ad pœniténtiam. Contristáti enim estis secúndum Deum : ut in nullo detriméntum patiámini ex nobis. Quæ enim secúndum Deum tristítia est : pœniténtiam in salútem stábilem operátur ; sæculi autem tristítia : mortem operátur.

℟. Exáudi, Deus, deprecatiónem meam, inténde oratióni meæ, * A finibus terræ ad te clamávi, Dómine. ℣. Quóniam tu, Deus, exaudísti oratiónem meam; dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum. A finibus. Glória Patri. A finibus.

FERIA QUINTA, De Epístola secúnda ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 10.

IPse autem ego Paulus óbsecro vos per mansuetúdinem & modéstiam Christi ; qui in fácie quidem húmilis sum inter vos : absens autem confido in vobis. Rogo autem vos, ne præsens áudeam per eam confidéntiam ; qua exístimor audére in quosdam : qui arbitrántur nos tamquam secúndum carnem ambulémus. In carne enim ambulántes : non secúndum carnem militámus.

℟. Deus, in te sperávi; Dómine, non confúndar in ætérnum : * In tua justítia líbera me, & éripe me. ℣. Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine : Dómine spes mea à juventúte mea. In tua.

Lectio ij.

NAm arma milítiæ nostræ non carnália sunt : sed poténtia Deo ad destructiónem munitiónum ; consília destruéntes : & omnem altitúdinem extolléntem se advérsus scién-

tiam Dei. Et in captivitátem redigéntes omnem intelléctum in obséquium Christi; & in promptu habéntes ulcísci omnem inobediéntiam: cùm impléta fúerit vestra obediéntia. Quæ secúndùm fáciem sunt, vidéte. Si quis confídit sibi, Christi se esse; hoc cógitet íterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita & nos.

℟. Repleátur os meum laude: ut hymnum dicam glóriæ tuæ, totâ die magnificéntiæ tuæ: noli me projícere in tempus senectútis, cùm defécerit virtus mea. * Deus, ne derelínquas me. ℣. Donec annúnciem bráchium tuum generatióni omni, quæ ventúra est. Deus.

Lectio iij.

NAm, & si ámpliùs áliquid gloriátus fúero de potestáte nostra; quam dedit nobis Dóminus in ædificatiónem, & non in destructiónem vestram: non erubéscam. Ut autem non exístimer tamquam terrére vos per Epístolas quóniam quidem Epístolæ, ínquiunt, graves sunt & fortes: præséntia autem córporis infirma, & sermo contemptíbilis. Hoc cógitet, qui ejúsmodi est, quia quales sumus verbo per Epístolas absèntes: tales & præséntes in facto. Non enim audémus insérere, aut comparáre nos quibúsdam; qui seípsos comméndant: Sed ipsi in nobis nosmetípsos metiéntes, & comparántes nosmetípsos nobis.

℟. Gaudébunt lábia mea, cùm cantávero tibi: * Et ánima mea, quam redemísti, Dómine. ℣. Sed & lingua mea meditábitur justítiam tuam, tota die laudem tuam. Et ánima. Glória Patri. Et ánima mea.

FERIA SEXTA.

De Epístola secúnda ad Coríntháos.

Lectio j. Cap. 12.

SI gloriári opórtet, non éxpedit quidem: véniam autem ad visiónes & revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim; [Sive in córpore néscio, sive extra corpus néscio, Deus scit:] raptum hujúsmodi usque ad tértium cœlum. Et scio hujúsmodi hóminem; [sive in córpore, sive

extra

extra corpus néscio, Deus scit :] quóniam raptus est in Paradísum; Et audívit arcána verba : quæ non licet hómini loqui.

℞. Confitébor tibi, Dómine Deus, in toto corde meo: & honorificábo nomen tuum in ætérnum. * Quia misericórdia tua, Dómine, magna est super me. ℣. Et eripuísti ánimam meam ex inférno inferióri. Quia misericórdia.

Lectio ij.

PRo hujúsmodi gloriábor; pro me autem nihil gloriábor : nisi in infirmitátibus meis. Nam etsi volúero gloriári, non ero insípiens; veritátem enim dicam : Parco autem ne quis me exístimet supra id, quod videt in me, aut áliquid audit ex me. Et ne magnitúdo revelatiónum extóllat me : datus est mihi stímulus carnis meæ; ángelus Satanæ : qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi, ut discéderet à me : & dixit mihi; Sufficit tibi grátia mea : nam virtus in infirmitáte perfícitur.

℞. Misericórdia tua, Dómine, magna est super me. * Et liberásti ánimam meam ex inférno inferióri. ℣. In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, quia exaudísti me. Et liberásti.

Lectio iij.

LIbénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis : ut inhábitet in me virtus Christi. Propter quod pláceo mihi in infirmitátibus meis; in contuméliis; in necessitátibus; in persecutiónibus : in angústiis pro Christo. Cùm enim infirmor, tunc potens sum. Factus sum insípiens : vos me coëgístis. Ego enim à vobis débui commendári. Nihil enim minùs fui ab iis, qui sunt supra modum Apóstoli : Tametsi nihil sum.

℞. Factus est mihi Dóminus in refúgium, * Et Deus meus in auxílium spei meæ. ℣. Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem. Et Deus meus. Glória Patri. Et Deus meus.

SABBATO.

De Epístola secúnda ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 13.

ECce tértio hoc vénio ad vos : In ore duórum, vel

vel trium téstium stabit omne verbum. Prædixi, & prædico, ut præsens, & nunc absens, iis, qui ante peccavérunt; & cæteris ómnibus: quóniam si vénero íterum, non parcam. An experiméntum quæritis ejus, qui in me lóquitur Christus; qui in vobis non infirmátur, sed potens est in vobis? Nam etsi Crucifixus est ex infirmitáte: sed vivit ex virtúte Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo: sed vivémus cum eo ex virtúte Dei in vobis.

℟. Misericórdiam & judícium cantábo tibi Dómine; psallam & intélligam: * In via immaculáta quando vénies ad me. ℣. Perambulábam in innocéntia cordis mei, in médio domus meæ. In via.

Lectio ij.

VOsmetípsos tentáte, si estis in fide: ipsi vos probáte. An non cognóscitis vosmetípsos quia Christus Jesus in vobis est: nisi fortè réprobi estis. Spero autem quòd cognoscétis: quia nos non sumus réprobi. Orámus autem Deum, ut nihil mali faciátis: Non ut nos probáti appareámus; sed ut vos, quod bonum est faciátis: nos autem ut réprobi simus. Non enim possumus áliquid advérsus veritátem: sed pro veritáte. Gaudémus enim; quóniam nos infirmi sumus, vos autem poténtes estis. Hoc & orámus: vestram consummatiónem.

℟. Dómine exáudi oratiónem meam & clamor meus ad te pervéniat: * Quia non spernis Deus, preces páuperum. ℣. Non avértas fáciem tuam à me, in quacúmque die tríbulor inclína ad me aurem tuam. Quia.

Lectio iij.

IDeò hæc absens scribo; ut non præsens dúriùs agam secúndùm potestátem, quam Dóminus dedit mihi in ædificatiónem: & non in destructiónem. De cætero Fratres, gaudéte; perfécti estóte; exhortámini: idem sápite. Pacem habéte: & Deus pacis & dilectiónis erit vobíscum. Salutáte ínvicem in ósculo sancto. Salútant vos omnes Sancti. Grátia Dómini nostri Jesu Christi; & Cháritas Dei, & communicátio Sancti Spíritûs sit cum ómnibus

ómnibus vobis, Amen.

℟. Velóciter exáudi me Dómine.*Quia defecérunt sicut fumus diei mei.

℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt, & ego sicut fœnum árui. Quia defecérunt. Glória Patri. Quia defecérunt.

AD VESPERAS.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus; infirmitátem nostram propítius réspice: atque ad protegéndum nos, déxteram tuæ majestátis exténde. Per Dóminum.

Ad primam Processionem.

℟. j. Dómine, ne in irâ. 399.

Orémus. *Oratio.*

DEus, innocéntiæ Restitútor & Amátor; dírige ad te tuórum corda servórum: ut Spíritûs tui fervóre concépto; & in fide inveniántur stábiles: & in ópere efficáces. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Ad secundam Processionẽ.

℟. ij. Deus, qui sedes. 400.

Orémus, *Oratio.*

DA nobis, Dómine quæsumus, perseverántem in tuâ voluntáte famulátum; ut in diébus nostris, & mérito, & número: pópulus tibi sérviens augeátur. Per Dóminum.

DOMINICA TERTIA *post Epiphaniam.*

Ad Matutinum, omnia ut in Psalterio. 1.

In primo Nocturno.

Incipit Epístola B. Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus non ab homínibus, neque per hóminem, sed per Jesum Christum: & Deum Patrem, qui suscitávit eum à mórtuis; & qui mecum sunt omnes Fratres: Ecclésiis Galátiæ. Grátia vobis & pax à Deo Patre, & Dómino nostro Jesu Christo; qui dedit semetípsum pro peccátis nostris: ut eríperet nos de præsénti sæculo nequam; secúndum voluntátem Dei, & Patris nostri: cui est glória in sæcula sæculórum, Amen.

℟. Dómine, ne in ira tua. *ut in j. Noct. Dominicæ ij. post Epiphaniam. 399.*

Lectio ij.

MIror quòd sic tam citò transferímini ab eo, qui vos vocávit in grátiam

tiam Christi, in áliud Evangélium; quod non est aliud: nisi sunt áliqui, qui vos contúrbant, & volunt convértere Evangélium Christi. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo; Evangelizet vobis prætérquam quod Evangelizávimus vobis: Anáthema sit. Sicut prædíximus, & nunc íterum dico; Si quis vobis Evangelizáverit præter id, quod accepístis: Anáthema sit. Modò enim homínibus suádeo, an Deo? An quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem: Christi servus non essem.

℟. Deus, qui sedes.

Lectio iij

NOtum enim vobis fácio, Fratres, Evangélium, quod Evangelizátum est à me: quia non est secúndum hóminem; neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici: sed per revelatiónem Jesu Christi. Audístis enim conversatiónem meam aliquándo in Judaísmo; quóniam supra modum persequébar Ecclésiam Dei, & expugnábam illam: & proficiébam in Judáismo supra multos coætáneos meos in génere meo; abundántiùs æmulátor exístens: paternárum meárum traditiónum,

℟. A dextris est mihi Dóminus.

In secundo Nocturno.

De Expositióne sancti Augustini Episc. in Epistolam ad Gálatas.

In Præfat. in initio, tom. 4.

Lectio iv.

CAusa, propter quam scribit Apostolus ad Gálatas, hæc est: Ut intélligant grátiam Dei id secum ágere, ut sub Lege jam non sint. Cùm enim prædicáta eis esset Evangélij grátia; non defuérunt quidam ex Circumcisióne, quamvis Christiáni nómine: nondùm tamen tenéntes ipsum grátiæ benefícium; & adhuc voléntes esse sub onéribus Legis: quæ Dóminus Deus imposúerat non justítiæ serviéntibus, sed peccáto. Justam scílicet Legem injústis homínibus dando; ad demonstránda peccáta eórum: non auferénda. Non enim aufert peccáta, nisi grátia fidei: quæ per dilectiónem operátur.

℟. Notas

℟. Notas mihi fecísti. *ut in ij. Noct. Dominica ij. post Epiphaniam.* 401.

Lectio v.

SUb hac ergò grátia jam Gálatas constitútos; illi volébant constitúere sub onéribus Legis: Asseverántes, nihil eis prodésse Evangélium; nisi circumcideréntur: & cæteras carnáles Judáici ritús observatiónes subírent. Et ideò Paulum Apóstolum suspéctum habére cœperant, à quo illis Evangélium prædicátum erat; tamquam non tenéntem Disciplínam cæterórum Apostolórum: qui Gentes cogébant Judaizáre.

℟. Díligam te, Dómine.

Lectio vj.

TAlis quidem quæstio est & in Epístola ad Romános; Verúmtamen vidétur áliquid interésse, quod ibi contentiónem ipsam dírimit, litémque compónit: quæ inter eos, qui ex Judæis, & eis, qui ex Géntibus credíderant, orta erat. Cum illi tamquam ex méritis óperum Legis, sibi rédditum Evangélij præmium arbitraréntur; quod præmium incircumcísis, tamquam imméritis nolébant dari: illi contrà, Judæis se præférre gestírent, tamquam interfectóribus Dómini. In hac verò Epístola ad eos scribit; qui jam commóti erant auctoritáte illórum, qui ex Judæis erant: & ad observatiónes Legis cogébant.

℟. Dóminus firmaméntum meum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore: Cùm descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprósus véniens, adorábat eum, dicens. Dómine si vis potes me mundare: & exténdens Jesus manum tétigit eum; dicens, Volo: mundáre. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Libro 1. *Comment. in cap.* 8. *Matth.*

DE Monte Dómino descendénti, occúrrunt turbæ: quia ad altióra ascéndere non valuérunt. Et primus occúrrit ei leprósus; Nec dùm enim póterat cum lepra: tam multípli

multíplicem in Monte, Salvatóris audíre Sermónem. Et notándum, quòd hic primus speciáliter curátus est: Secúndò, Puer Centuriónis; Tertiò socrus Petri fébriens in Caphárnaū: Quarto loco, qui obláti sunt ei à dæmónio vexáti. Quórum Spíritûs verbo ejiciébat: quando & omnes malè habéntes curávit.

℟. Dómini est terra. *ut in iij. Noct. Dominica ij. post Epiph.* 402.

Lectio viij.

ET ecce Leprósus véniens adorábat eum, dicens. Rectè post prædicatiónem atque doctrínā; signi offértur occásio: ut per virtútem miráculi, prætéritus apud audiéntes Sermo firmétur. Dómine, si vis potes me mundáre. Qui voluntátem rogat: de virtúte non dúbitat. Et exténdens manum Jesus tétigit eum, dicens: Volo, mundáre. Extendénte manum Dómino: statim lepra fugit. Simúlque considera: quàm húmilis, & sine jactántia respónsio. Ille díxerat, Si vis: Dóminus respóndit, volo. Ille præmíserat, potes me mundáre; Dóminus jungit & dicit: Mundáre. Non ergò ut pleríque Latinórum putant; jungéndum est, & legéndum, volo mundáre: Sed separátim ut primum dicat, Volo; deínde imperet: Mundáre.

℟. Ad te, Dómine.

Lectio ix.

ET ait illi Jesus: Vide, némini díxeris. Et revéra, quid erat necésse ut sermónem jactáret; quod córpore præferébat? Sed vade, osténde te Sacerdóti. Duas ob causas mittit eū ad Sacerdótes; Primùm propter humilitátem: ut Sacerdótibus deférre videátur. Erat enim Lege præcéptum; ut qui mundáti fúerant à leprâ: offérrent múnera Sacerdótibus. Deínde, ut mundátum vidéntes leprósum; aut créderent Salvatóri: aut non créderent; Si créderent, salvaréntur: Si non créderent, inexcusábiles forent. Et simul; ne, quod in eo sæpíssimè criminabántur: Legem viderétur infríngere.

℟. Audiam, Dómine.

Te Deum laudámus.

Ad Benedictus, Antiph.

Cum

Cùm autem descendísset Jesus de monte, ecce Leprósus véniens adorábat eum, dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et exténdens manum tétigit eum, dicens: Volo, múndáre. *Oratio.* Omnípotens sempitérne Deus infirmitátem, *ut suprà in Vesperis Sabbati.* 411.

Ad Magnificat, Antiph. Dómine, si vis, potes me mundáre, & ait Jesus: Volo, mundáre. *Oratio.* Omnípotens sempitérne Deus, infirmitátem. *ut suprà in Vesp. Sabbat.* 411.

Ad primam Processionem. ℟.j. Quàm magna. *ut sup. In Fer. ij. post Dom. ij. post Epiph.* 404.

Oratio. Deus innocéntiæ restitútor. *ut suprà.* 398.

Ad 2. Processionem.

℟. ij. Benedícam. 404.

Orat. Da nobis, Dñe 399

FERIA SECUNDA.

De Epístola ad Gálatas

Lectio j. Cap. 3.

O Insensáti Gálatæ, quis vos fascinávit non obedíre veritáti; ante quorum óculos Jesus Christus præscríptus est: in vobis Crucifixus. Hoc solúm à vobis volo díscere. Ex opéribus Legis Spíritum accepístis; an ex audítu fidei? Sic stulti estis; ut cum Spíritu cœpéritis: nunc carne consumMémini. Tanta passi estis sine causâ: si tamen sine causâ. Qui ergò tríbuit vobis Spíritum, & operátur virtútes in vobis; ex opéribus Legis, an ex audítu fidei? Sicut scriptum est: Abraham crédidit Deo, & reputátum est illi ad justítiam.

℟. Quàm magna. *ut in Fer. ij. post Dom ij.* 404.

Lectio ij.

COgnóscite ergò, quia qui ex Fide sunt: ii sunt Filii Abrahæ. Próvidens autem Scriptúra, quia ex Fide justíficat Gentes Deus; prænunciávit Abrahæ: quia benedicéntur cum fidéli Abraham. Quicúnque enim ex opéribus Legis sunt: sub maledícto sunt. Scriptum est enim; Maledíctus omnis, qui non permánserit in ómnibus, quæ scripta sunt in Libro Legis: ut fáciat ea,

℟. Benedícam Dómino.

Lectio iij.

QUóniam autem in Lege nemo justificátur apud Deum; manifé-

ſtum eſt: quia juſtus ex Fide vivit. Lex autem non eſt ex Fide; ſed,qui fecérit ea: vivet in illis. Chriſtus nos redémit de maledícto Legis; factus pro nobis maledíctum: Quia ſcriptum eſt. Maledíctus omnis, qui pendet in Ligno. Ut in Géntibus Benedíctio Abrahæ fieret, in Chriſto Jeſu: ut pollicitatiónē Spíritûs accipiámus per Fidē.

℟. Delectáre in Dómino.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola ad Gálatas.

Lectio j. Cap.5.

STate, & nolíte iterùm jugo ſervitútis cōtinéri. Ecce ego Paulus dico vobis; Quóniam, ſi circumcidámini: Chriſtus vobis nihil próderit. Teſtíficor autem rursùs omni hómini circumcidénti ſe: quóniam débitor eſt univérſæ Legis faciéndæ; Evacuáti eſtis à Chriſto,qui in Lege juſtificámini: à grátia excidíſtis. Nos enim Spíritu ex Fide: ſpem juſtítiæ expectámus.

℟. Auribus pércipe. *ut in Fer.iij. poſt Dom.ij.* 405.

Lectio ij.

NAm in Chriſto Jeſu neque Circumciſio áliquid valet; neque præpútium: ſed Fides, quæ per Charitátem operátur. Currebátis benè; quis vos impedívit veritáti nō obedíre? Perſuáſio hæc non eſt ex eo qui vocat vos? Módicum ferméntum totam maſſam corrúmpit. Ego confido in vobis in Dómino, quòd nihil áliud ſapiétis; Qui autem contúrbat vos: portábit judícium, quicúmque eſt ille.

℟. Státuit Dóminus.

Lectio iij.

EGo autem, Fratres, ſi Circumciſiónem adhuc prædico; quid adhuc perſecutiónem pátior? Ergò evacuátum eſt ſcandálum Crucis: Utinam & abſcindántur, qui vos contúrbant. Vos enim in libertátem vocáti eſtis, Fratres; Tantùm ne libertátem in occaſiónem detis carnis: ſed per Charitátem Spíritûs ſervíte ínvicem. Omnis enim Lex in uno ſermóne implétur: Díliges próximum tuum ſicut teípſum. Quod ſi ínvicem mordétis, & coméditis: vidéte ne ab ínvicem conſumámini. Dico autem; Spíritu ambuláte: & deſidéria carnis non

non perficiétis. Caro enim concupíscit advérsus Spíritum, Spíritus autem advérsus carnem; hæc enim sibi ínvicem adversántur: ut non quæcúmque vultis, illa faciátis.

℟. Ego dixi.

FERIA QUARTA.

Incipit Epístola B. Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei; ómnibus Sanctis, qui sunt Ephesi: & fidélibus in Christo Jesu. Grátia vobis & pax a Deo Patre nostro: & Dómino Jesu Christo. Benedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi; qui benedíxit nos in omni benedictióne Spirituáli: in cœléstibus in Christo. Sicut elégit nos in ipso ante Mundi constitutiónem; ut essémus sancti & immaculáti: in conspéctu ejus in charitáte.

℟. Parátum cor meum. *ut in Fer. iv. post Dom. ij.* 406.

Lectio ij.

QUi prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum; secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ: in quâ gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus Redemptiónem per Sánguinem ejus, remissiónem peccatórum; secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis: in omni sapiéntia, & prudéntia. Ut notum fáceret nobis Sacraméntum voluntátis suæ: secúndùm beneplácitum ejus, quod propósuit in eo; in dispensatióne plenitúdinis témporum: instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terrâ sunt, in ipso.

℟. Adjutor meus.

Lectio iij.

IN quo étiam & nos sorte vocáti sumus, prædestináti secúndum propósitum ejus; qui operátur ómnia secúndùm consílium voluntátis suæ: ut simus in laudem glóriæ ejus nos, qui antè sperávimus in Christo. In quo & vos, cùm audissétis Verbum veritátis [Evangélium salútis vestræ:] in quo & credéntes signáti estis Spíritu promissiónis sancto; qui est pignus hæreditátis nostræ: in redemptiónem acquisitiónis,

quisitiónis, in laudem glóriæ ipsius.

℟. Exaudi, Deus.

FERIA QUINTA.

De Epístola ad Ephésios.

Lectio j. Cap.4.

OBsecro ítaque vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, quâ vocáti estis: cum omni humilitáte & mansuetúdine; cum patiéntia, supportántes ínvicem in charitáte: sollíciti serváre unitátem Spíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, & unus Spíritus: sicut vocáti estis, in unâ Spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus; una Fides; unum Baptísma: Unus Deus & Pater ómnium; qui est super omnes, & per ómnia: & in ómnibus nobis.

℟. Deus, in te sperávi. *ut in Fer. v, post Dom. ij.* 407.

Lectio ij.

UNicuíque autem nostrum data est grátia: secúndùm mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit; Ascéndens in altum, captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus. Quòd autem ascéndit; quid est, nisi quia & descéndit primùm in inferióres partes terræ? Qui descéndit; ipse est & qui ascéndit super omnes cœlos: ut impléret ómnia.

℟. Repleátur os meum.

Lectio iij.

ET ipse dedit quosdam quidē Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios vero Evangelístas; álios autē Pastóres & Doctóres, ad consummatiónem Sanctórum in opus ministérii: in ædificatiónem Córporis Christi. Donec occurrámus omnes in unitátem Fídei, & agnitiónis Fílii Dei; in virum perféctum: in mensúràm ætátis plenitúdinis Christi. Ut jam non simus párvuli fluctuántes; & circumferámur omni vento Doctrínæ in nequítia hóminum: in astútiâ ad circumventiónem erróris. Veritátem autem faciéntes in charitáte; crescámus in illo per ómnia: qui est caput Christus.

℟. Gaudébunt lábia mea.

FERIA SEXTA.

De Epístola ad Ephésios.

Lectio ij. Cap. 5.

EStóte ergò imitatóres Dei, sicut Fílii charíssimi; & ambuláte in dilectióne, sicut & Christus diléxit

lexit nos ? & trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem, & hóstiam Deo in odórem suavitátis. Fornicátio autem, & omnis immundítia, aut avarítia, nec nominétur in vobis, sicut decet Sanctos; aut turpitúdo, aut stultilóquium, aut scurrílitas, quæ ad rem non pértinet ? Sed magis gratiárum áctio.

℞. Confitébor tibi. *ut in Fer. vi. post Dom. ij.* 409.

Lectio ij.

HOc enim scitóte intelligéntes; quòd omnis fornicátor, aut immúndus, aut avárus, quod est idolórum sérvitus ? non hábet hæreditátē in regno Christi & Dei. Nemo vos sedúcat inánibus verbis ? Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidéntiæ. Nolíte ergò éffici partícipes eórum; erátis enim aliquándo ténebræ ? nunc autem Lux in Dómino. Ut Fílii lucis ambuláte.

℞. Misericórdia tua.

Lectio iij.

FRuctus enim Lucis, est in omni bonitáte, & justítia, & veritáte ? Probántes quid sit beneplácitum Deo. Et nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum ? magis autem redargúite. Quæ enim in occúlto fiunt ab ipsis, turpe est & dícere; ómnia autem quæ arguúntur, à lúmine manifestántur ? Omne enim quod manifestátur, lumen est. Propter quod dicit. Surge qui dormis; & exúrge à mórtuis ? & illuminábit te Christus.

℞. Factus est mihi.

SABBATO.

De Epístola ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 6.

FIlij, obedíte paréntibus vestris in Dómino ? Hoc enim justum est. Honóra Patrem tuum, & Matrem tuam; [quod est mandátum primum in promissióne ?] ut benè sit tibi, & sis longævus super terram. Et vos Patres; nolíte provocáre ad iracúndiam filios vestros ? sed educáte illos in Disciplína, & correptióne Dómini.

℞. Misericórdiam. *ut in Sabbato post Dominicum secundam.* 410.

Lectio ij.

SErvi, obedíte Dóminis carnálibus cum timóre & tremóre, in simplicitáte cordis vestri, sic ut Christo; non

non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placéntes: sed ut servi Christi. Faciéntes voluntátem Dei ex ánimo cum bonâ voluntáte serviéntes sicut Dómino, & non homínibus. Sciéntes, quóniam unusquísque quodcúmque fécerit bonum; hoc recípiet à Dómino: sive servus, sive liber. Et vos, Dómini, éadem fácite illis, remitténtes minas; sciéntes, quia & illórum, & vester Dóminus est in cœlis: Et personárum accéptio non est apud eum.

℟. Dómine exáudi.

Lectio iij.

DE cætero, Fratres, confortámini in Dómino: & in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possitis stare advérsùs insídias Diáboli; quóniam nòn est nobis colluctátio advérsùs carnem & sánguinem: sed advérsùs Príncipes & Potestátes; advérsùs mundi rectóres tenebrárum harum: contra spirituália nequítiæ, in cœléstibus. Proptérea accípite armatúram Dei; ut possitis resístere in die malo: & in ómnibus perfécti stare.

℟. Velóciter.

AD VESPERAS.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nos in tantis perículis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis & córporis; ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur: te adjuvánte vincámus. Per Dóminum.

Ad primam Processionem.

℟. j. Dómine. ne in ira. *ut in Sabbato ante Dominicam secundam. 398.*

Oratio. Deus, Innocéntiæ Restitútor. *ibidem.*

Ad secundam Processionẽ.

℟. ij. Deus, qui sedes. *ibid.*

Oratio. Da nobis, Dómine. *ibidem.*

DOMINICA QUARTA *post Epiphaniam.*

In primo Nocturno.

Incipit Epístola B. Pauli Apóstoli ad Philippenses.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus & Timótheus, servi Jesu Christi; ómnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philíppis: cum Epíscopis & Diacónibus. Grátia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias

ago

ago Deo meo in omni memória vestri ; semper in cunctis Oratiónibus meis pro ómnibus vobis cum gáudio deprecatiónem fáciens ; super communicatióne vestrâ in Evangélio Christi à primâ die usque nunc. Confidens hoc ipsũ; quia qui cœpit in vobis opus bonum ; perfíciet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum, hoc sentíre pro ómnibus vobis; eò, quód hábeam vos in corde, & in vínculis meis, & in defensióne, & confirmatióne Evangélii ; sócios gáudii mei omnes vos esse.

℟. Dómine, ne in irâ. *ut in 1. Noct. Dom. ij. 399.*

Lectio ij.

TEstis enim mihi est Deus ; quómodo cúpiam omnes vos ; in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut cháritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia, & in omni sensu ; ut probétis potióra, ut sitis sincéri, & sine offénsa in diem Christi ; repléti fructu justítiæ per Jesũ Christum, in glóriam & laudem Dei. Scire autem vos volo, Fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venérunt Evangélii ; ita ut víncula mea manifesta fierent in Christo in omni prætório, & in cæteris ómnibus ; Et plures è Frátribus in Dómino ; confidentes vínculis meis ; abundántiùs audérent sine timóre Verbum Dei loqui.

℟. Deus, qui sedes.

Lectio iij.

QUidam quidẽ & propter invídiam & contentiónem; quidam autem & propter bonam voluntátem Christum prędicant ; Quidã ex charitáte, sciéntes, quóniam in defensiónem Evãgélii pósitus sum. Quidam autem ex contentióne Christũ annúnciant ; non sincere ; existimántes pressúram se suscitáre vínculis meis. Quid enim ? Dùm omni modò ; sive per occasiónem, sive per veritátem ; Christus annunciétur. Et in hoc gáudeo ; sed & gaudébo.

℟. A dextris est mihi.

In secundo Nocturno.

Ex Libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Lib, 4. cap. 41.

REplémus refectiónibus corpus, ne extenuá-

tum deficiat; extenuámus abstinéntia: ne nos replétum premat. Vegetámus hoc mótibus, ne situ immobilitátis intéreat; sed cítius hoc collocándo sístimus ne ipsa sua vegetatióne succúmbat. Adjuméntis hoc, véstium tégimus, ne frigus intérimat; & quæsíta adjuménta projícimus: ne calor exúrat. Tot ígitur diversitátibus occurréntes: quid ágimus, nisi corruptibilitáti servímus; ut saltem multiplícitas impénsi obséquii sustíneat: quod anxíetas infírmæ mutabilitátis gravat.

℟. Notas mihi fecisti. *ut in ij. Noct. Dom. ij.* 401.

Lectio v.

UNdè benè per Paulum dícitur; Vanitáti enim subjécta est creatúra non volens: sed propter eum, qui subjécit eam in spe. Quia & ipsa creatúra liberábitur à servitúte corruptiónis: in libertátem glóriæ filiórum Dei. Vanitáti quippe creatúra non volens súbditur: quia homo, qui ingénitæ constántiæ statum volens deséruit; pressus justæ mortalitátis póndere: nolens, mutabilitátis suæ corruptióni servit. Sed creatúra hæc tunc à servitúte corruptiónis eripiétur; cùm ad Filiórum Dei glóriam: incorrúpta resurgéndo sublevábitur.

℟. Diligam te, Dómine.

Lectio vj.

HIc ítaque elécti moléstia vincti sunt: quia adhuc corruptiónis suæ pœnâ deprimúntur. Sed cũ corruptíbili carne exúimur; quasi ab his, quibus nunc adstríngimur: moléstiæ vínculis relaxámur. Præsentári namque jam Deo cúpimus: sed adhuc mortális córporis obligatióne præpedímur. Jure ergò vincti dícimur; quià adhuc incéssum nostri desidérii: ad Deum líberum non habémus. Undè benè Paulus, Ætérna desíderans; sed tamẽ adhuc corruptiónis suæ sárcinam portans: vinctus clamat. Cúpio dissólvi, & esse cum Christo. Dissólvi enim non quæreret: nisi se proculdúbio vinctum vidéret.

℟. Dóminus firmaméntum meum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore: Ascendénte Jesu in navículam, secúti sunt eum Discípuli ejus; & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus: Ipse verò dormiébat. Et accessérunt ad eum discípuli ejus; & suscitavérunt eum dicéntes? Dómine salva nos périmus. Et réliqua.

Homilia sancti Augustini Epíscopi.

Serm. 3. xvij. Homil.

DE Lectióne recentíssima sancti Evangélii donánte Dómino álloquor vos: & in illo exhórtor; ut contra tempestátem & fluctus sæculi hujus: non dórmiat fides in córdibus vestris. Non enim revéra, Dóminus, Christus, mortem hábuit in potestáte: somnum non hábuit in potestáte. Et forte omnipoténtem navigántē somnus pressit invítum: Hoc si credidéritis: dormit in vobis; si autem in vobis vígilat Christus: vígilat fides vestra. Apóstolus dicit. Habitáre Christum per fidem in córdibus vestris; ergo & somnus Christi: signum est Sacraménti.

℟. Dómini est terra, *ut in iij. Noct. Dom. ij.* 402.

Lectio viij.

NAvigántes sunt ánimæ; in ligno sæculum transeúntes: étiam navis illa Ecclésiam figurábat. Et singuli quique templa sunt Dei; & unusquísque in corde suo návigat: nec facit naufrágium si bona cógitat. Audísti convícium? ventus est. Irátus es: fluctus est. Vento ígitur flante; fluctu surgénte; periclitátur navis: periclitátur cor tuum. Audito convício vindicári desíderas; & ecce vindicátus es: & malo aliéno cedens, fecísti naufrágium. Et quare hoc? quia dormit in te Christus. Quid est dormit in te Christus? Oblítus es Christum.

℟. Ad te Dómine.

Lectio ix.

EXcita ergo Christum; recordáre Christum: Evígilet in te Christus. Consídera illum. Quid volébas? vindicári: Excidit tibi quia ipse cum crucifigerétur dixit; Pater ignósce illis: quia nésciunt quid fáciunt. Qui dormiébat in

corde tuo: nóluit vindicári; éxcita illum: récole illum. Memória ipsíus: Verbum ipsíus; Memória ipsíus: Jussio ipsíus. Et dices apud te, si vígilat in te Christus; qualis ego homo qui volo vindicári? Mórior fortè ántequã víndicer; & cum anhélans ira, inflammátus & sítiens vindíctam, exíero de córpore: non me súscipit ille, qui nóluit vindicári.

℟. Audiám Dómine.

Ad Benedictus, Aña. Ascendénte Jesu in navículam, ecce motus magnus factus est in mari; & suscitavérunt eum Discípuli ejus, dicéntes: Dómine, salva nos, perímus. *Oratio.* Deus qui nos in tantis, *ut in Vesperis Sabbati praeced.* 420.

Ad Magnific. Aña. Dómine, salva nos, perímus; ímpera, & fac, Deus, tranquillitátem magnam.

Oratio. Deus qui nos in tantis. *ibidem.*

Ad primam Processionem. ℟.j. Quàm magna. *ut sup. in ij. Vesp. Domin. ij. post Epiph.* 403. *Orat.* Deus Innocéntiae restitutor. *ibid.*

Ad secundã Processionem. ℟. Benedícam. *Oratio.* Da nobis, Dómine. *ibid.*

FERIA SECUNDA.

De Epíst. ad Philippenses.

Lectio j. Cap. 4.

ITaque, Fratres mei charíssimi & desideratíssimi; gáudium meum, & coróna mea: Sic state in Dómino, charíssimi. Evódiam rogo; & Syntychen déprecor: idípsum sápere in Dómino. Etiam rogo & te, germáne compar; adjuva illas, quae mecum laboravérũt in Evangélio cum Cleménte, & caeteris adjutóribus meis: quorum nómina sunt in Libro vitae.

℟. Quàm magna multitúdo. *ut in Fer. ij. post Domin. ij. post Epiph.* 404.

Lectio ij.

GAudéte in Dómino semper, íterum dico, Gaudéte; modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus: Dóminus propè est. Nihil sollíciti sitis; sed in omni oratióne, & obsecratióne cum gratiárum actióne: petitiónes vestrae innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quae exúperat omnem sensum; custódiat corda vestra, & intelligéntias vestras: in Christo Jesu.

℟. Bene

℟. Benedicam Dómino.

Lectio iij.

DE cætero, Fratres, quæcúnque sunt vera; quæcúnque pudica; quæcúnq; justa; quæcúnque sancta; quæcunque amabília; quæcúnque bonæ famæ; Si qua virtus, si qua laus Disciplínæ: hæc cogitáte. Quæ & didicístis; & accepístis, & audístis, & vidístis in me, hæc ágite: & Deus Pacis erit vobíscũ. Gavísus sum autem in Dómino veheménter; quóniam tandem aliquándo refloruístis pro me sentíre, sicut & sentiebátis: occupáti autẽ erátis.

℟. Delectáre in Dómino.

FERIA TERTIA.

Incipit Epistola B. Pauli Apóstoli ad Colossenses.

Lectio j.

PAulus, Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, & Timótheus Frater; eis, qui sunt Colóssis, Sanctis & fidélibus Frátribus: in Christo Jesu. Gratia vobis & Pax à Deo Patre nostro: & Dómino Jesu Christo. Grátias ágimus Deo, & Patri Dómini nostri Jesu Christi semper pro vobis orántes; audiéntes fidem vestram in Christo Jesu: & dilectiónem, quã habétis in Sanctos omnes. Propter spem, quæ repósita est vobis in cœlis; quam audístis in Verbo veritátis Evangelii: quod pervénit ad vos, sicut & in univérso mundo est, & fructíficat, & créscit sicut in vobis; ex ea die, quâ audístis & cognovístis grátiam Dei in veritáte: sicut didicístis ab Epaphra charíssimo consérvo nostro; qui est fidélis pro vobis miníster Jesu Christi: qui étiam manifestávit nobis dilectiónem vestram in spíritu.

℟. Aúribus pércipe. *ut in Fer. iij. post Dom. j. 405.*

Lectio ij

IDeò & nos, ex quâ die audívimus, non cessãmus pro vobis orántes, & postulántes; ut impleámini agnitióne voluntátis ejus, in omni sapiéntia, & intelléctu spirituáli: ut ambulétis dignè; Deo per ómnia placéntes; in omni ópere bono fructificántes: & crescéntes in sciéntia Dei: In omni virtúte confortáti secúndùm poténtiam claritátis ejus; in omni patiéntia & longanimitáte; cum gaúdio grátias agén-

tes Deo Patri ꞉ qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctórum in lúmine.
℟. Státuit Dóminus.

Lectio iij.

QUi erípuit nos de potestáte tenebrárum ꞉ & tránstulit in regnum Filij dilectiónis suæ ; in quo habémus Redemptiónem per sánguinem ejus ꞉ remissiónem peccatórum. Qui est imágo Dei invisíbilis ꞉ Primogénitus omnis creatúræ. Quóniam in ipso cóndita sunt univérsa in cœlis & in terrâ, visibília & invisibília ꞉ sive Throni ; sive Dominatiónes ; sive Principátus ; sive Potestátes ; Omnia per ipsum, & in ipso creáta sunt ꞉ Et ipse est ante omnes, & ómnia in ipso constant. Et ipse est caput córporis Ecclésiæ ; qui est Princípium ꞉ Primogénitus ex mórtuis.
℟. Ego dixi.

FERIA QUARTA,
De Epíst. ad Colossénses,

Lectio j. Cap. 3.

INdúite vos ergò sicut elécti Dei, Sancti & dilécti, víscera misericórdiæ ; benignitátem ; humilitátem ; modéstiam ꞉ patiéntiam. Supportántes invicem, & donántes vobísmetípsis si quis advérsus áliquem habet querélam ; sicut & Dóminus donávit vobis ꞉ ita & vos. Super ómnia autem hæc, charitátem habéte, quod est vínculum perfectiónis ; & pax Christi exúltet in córdibus vestris, in qua & vocáti estis in uno córpore ꞉ Et grati estóte.
℟. Parátum cor meũ. *ut in Fer. iv. post Dom. ij.* 406.

Lectio ij.

VErbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia ; docéntes & commonéntes vosmetípsos, Psalmis, Hymnis, & Cánticis Spirituálibus ꞉ in grátia cantántes in córdibus vestris Deo. Omne, quodcúmque fácitis in Verbo, aut in Opere ; ómnia in Nómine Dómini Jesu Christi ꞉ grátias agéntes Deo & Patri per ipsum. Mulíeres, súbditæ estóte viris ꞉ sicut opórtet in Dómino. Viri, dilígite uxóres vestras ꞉ & nolíte amári esse, ad illas. Fílii, obedíte paréntibus per ómnia ꞉ Hoc enim plácitum est in Dómino. Patres, nólite ad indignatiónem provocáre fílios

lios vestros : ut non pusillo ánimo fiant.

℟. Adjútor meus.

Lectio iij.

SErvi, obedíte per ómnia Dóminis carnálibus; non ad oculum serviéntes, quasi hominibus placéntes: sed in simplicitáte córdis, timéntes Deum. Quodcúmque fácitis, ex ánimo operámini; sicut Dómino, & non hominibus: sciéntes, quòd à Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis. Dómino Christo servíte. Qui enim injúriam facit; recípiet id, quod iníque gessit: & non est personárum accéptio apud Deum. Dómini; quod justum est & æquum, servis præstáte: sciéntes, quòd & vos Dóminum habétis in cœlo. Oratióni instáte: vigilántes in ea in gratiárum actióne.

℟. Exáudi, Deus.

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola Prima Beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j Cap. I.

PAulus & Silvánus, & Timótheus; Ecclésiæ Thessalonicénsium in Deo Patre, & Dómino Jesu Christo: Grátia vobis, & pax. Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis; memoriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne: mémores óperis fidei vestræ, & laboris, & charitátis, & sustinentiæ spei Dómini nostri Jesu Christi: ante Deum & Patrem nostrum. Sciéntes, Fratres dilécti à Deo, electiónem vestram; Quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in Sermóne tantùm: sed & in virtúte, & in Spíritu sancto; & in plenitúdine multâ: sicut scitis quales fuerimus in vobis, propter vos.

℟. Deus, in te sperávi *ut in Fer. v. post Dom. ij.* 407.

Lectio ij.

ET vos imitatóres nostri facti estis, & Dómini; excipiéntes verbum in tribulatióne multâ cum gáudio Spíritûs sancti: ita, ut facti sitis forma ómnibus credéntibus in Macedónia & in Acháia. A vobis enim diffamátus est Sermo Dómini, Non solùm in Macedónia & in Acháia; sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est: ita, ut non sit nobis

necésse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annúnciant qualem intróitum habuérimus ad vos : Et quómodo convérsi estis ad Deum à simuláchris, servíre Deo vivo & vero ; & expectáre Fílium ejus de cœlis, quem suscitávit ex mórtuis, Jesum : qui erípuit nos ab ira ventúra.

℟. Repleátur os meum.

Lectio iij. Cap. 2.

NAm, ipsi scitis, Fratres, intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit ; Sed ante passi, & contuméliis afflécti, [sicut scitis :] in Philíppis fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo; sed sicut probáti sumus à Deo ut crederétur nobis Evangélium : Ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne, adulatiónis, sicut, scitis ; neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est : Nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque à vobis, neque ab áliis.

℟. Gaudébunt lábia mea.

FERIA SEXTA.

De Epístola prima ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 4.

DE cætero ergò, Fratres, rogámus vos & obsecrámus in Dómino Jesu : ut quemádmodum accepístis à nobis ; quómodo opórteat vos ambuláre & placére Deo : sic & ambulétis, ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jesum. Hæc est enim volúntas Dei, Sanctificátio vestra ; ut abstineátis vos à fornicatióne, ut sciat unusquísque vestrûm, vas suum possidére in sanctificatióne & honóre : non in passióne desidérij, sicut & gentes, quæ ignórant Deum.

℟. Confitébor tibi. *ut in Fer. vj. post Dom. ij. 409.*

Lectio ij.

ET ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum; quóniam vindex est Dóminus de his ómnibus : sicut prædíximus vobis, & testificáti sumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam : sed in sanctifica

ædificatiónem. Itaque qui hæc spernit; non hóminem spernit, sed Deum: qui étiam dedit Spíritum suum sanctum in nobis.

℟. Misericórdia tua.

Lectio iij.

DE Charitáte autem Fraternitátis non necésse habémus scríbere vobis; Ipsi enim vos à Deo didicistis: ut diligátis ínvicem. Etenim illud fácitis in omnes Fratres in univérsa Macedónia. Rogámus autem vos, Fratres, ut abundétis magis; & óperam detis ut quiéti sitis, & ut vestrum negótium agátis: & operémini mánibus vestris, sicut præcépimus vobis; & ut honéste ambulétis ad eos, qui foris sunt: & nullius áliquid desiderétis.

℟. Factus est mihi.

SABBATO.

Incipit Epístola secúnda ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, & Silvánus, & Timótheus; Ecclésiæ Thessalonicénsium in Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ágere debémus semper Deo pro vobis, Fratres, ita ut dignum est: quóniam supercréscit fides vestra, & abúndat Cháritas uniuscujúsque vestrum in ínvicem; ita ut & nos ipsi in vobis gloriémur in Ecclésiis Dei, pro patientia vestra & fide & in ómnibus persecutiónibus vestris & tribulatiónibus; quas sustinétis in exémplum justi judicij Dei: ut digni habeámini in Regno Dei, pro quo & patímini.

℟. Misericórdiam. *ut in Sabb. post Dom. ij.* 410.

Lectio ij.

SI tamen justum est apud Deum retribúere tribulatiónem iis, qui vos tribulant; & vobis, qui tribulámini, réquiem nobíscum in revelatióne Dómini Jesu de cœlo cum Angelis virtútis ejus: in flammâ ignis dantis vindíctam iis, qui non novérunt Deum, & qui non obédiunt Evangélio Dómini nostri Jesu Christi. Qui pœnas dabunt in intéritu ætérnas à fácie Dómini, & à glória virtútis ejus; Cùm vénerit glorificári in Sanctis suis, & Admirábilis fieri in ómnibus, qui credidérunt: quia

créditum est testimónium nostrum super vos in die illo. In quo etiam orámus semper pro vobis; ut dignétur vos vocatióne suâ Deus noster & ímpleat omnem voluntátem bonitátis, & opus fidei in virtúte: ut clarificétur nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis; & vos in illo: secúndum grátiam Dei nostri, & Dómini Jesu Christi, ℟. Dómine exáudi.

Lectio iij. Cap. 2.

ROgámus autem vos, Fratres, per Advéntum Dómini nostri Jesu Christi, & nostræ congregatiónis in ipsum; ut non citò moveámini à vestro sensu, neque terreámini, neque per Spíritum, neque per Sermónem, neque per Epístolam tamquam per nos missam: Quasi instet dies Dómini. Ne quis vos sedúcat ullo modò: quóniam nisi vénerit discéssio primùm, & revelátus fúerit homo peccáti, filius perditiónis; qui adversátur, & extóllitur supra omne quod dícitur Deus, aut quod cólitur: ita ut in templo Dei sédeat, osténdens se tamquam sit Deus, ℟. Velóciter.

AD VESPERAS.

Orémus. *Oratio*

FAmíliam tuam, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi; ut quæ in solâ spe grátiæ cæléstis innítitur: tua semper protectióne muniátur. Per Dóminum nostrum.

Duæ Processiones ut in Sabbato ante Dominicam secundam post Epiph. 398.

DOMINICA QUINTA *post Epiphaniam.*

In primo Nocturno.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, Apóstolus Jesu Christi secúndum impérium Dei Salvatóris nostri, & Christi Jesu spei nostræ; Timótheo dilécto Fílio in Fide: grátia, Misericórdia & Pax à Deo Patre, & Christo Jesu, Dómino nostro. Sicut rogávi te, ut remanéres Ephesi, cùm irem in Macedóniam: ut denunciáres quibúsdam, ne áliter docérent, neque inténderent fábulis, & genealógiis interminátis; quæ quæstiónes præstant magis: quàm ædificatiónem

Dei, quæ est in Fide.

℟. Dómine, ne in ira tua. *ut in j. Noct. Dom. ij. post Epiphaniam. 399.*

Lectio ij.

FInis autem præcépti est cháritas de corde puro, & consciéntia bona, & fide non ficta: A quibus quidam aberrántes convérsi sunt in vanilóquium: voléntes esse Legis Doctóres, non intelligentes neque quæ loquúntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quia bona est Lex si quis eâ legitimè utátur; sciens hoc, quia Lex justo non est pósita: sed injústis, & non súbditis, ímpiis & peccatóribus; sceleratis & contáminatis, parricídis & matricídis; homicídis, fornicáriis, masculórum concubitóribus, plagiáriis, mēdácibus & perjúris; & si quid álíud sanæ doctrínæ adversátur: quæ est secúndum Evangélium glóriæ beáti Dei, quod créditum est mihi.

℟. Deus, qui sedes,

Lectio iij.

GRátias ago ei, qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério; qui priùs Blasphémus fui, & persecútor, & contumeliósus: Sed misericórdiam consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte. Superabundávit autē grátia Dómini nostri; cum fide & dilectióne: quæ est in Christo Jesu. Fidélis sermo, & omni acceptióne dignus; quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere: quorum primus ego sum. Sed ídeò misericórdiam consecútus sum: ut in me primò osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum, qui creditúri sunt illi: in vitam ætérnam.

℟. A dextris est mihi.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Ambrosij Episcopi.

In Comment. in 1. *Tim.* 1.

Lectio iv.

HUmánus Sermo; & omni acceptióne dignus: Quia Christus Jesus venit in hunc Mundum peccatóres salvos fácere. Quid tam gratum, tamque jocúndum; quàm peccatóribus indulgéntiam prædicáre? Quis enim sine

peccáto est, ut hoc munus non cum omni gratiárum actióne suscípiat: Deum Auctórem hujus præferens, & colláudans in Christo. Qui, ut hóminem peccátis ablúeret; de cœléstibus ad terréna descéndens carnem peccáti accépit: Terrénis se admíscuit, ut eum cœléstẽ efficeret; Mori se passus est: ut illũ morte érutũ Paradíso rédderet immortálẽ.

℟. Notas mihi fecísti. *ut in ij. Noct. Dom. ij.* 401.

Lectio v.

QUis hæc beneficia non in infinítum extóllat; quæ Deus præstitit hómini? Dóminus servo: cónditor creatúræ. Ut plus esset adhuc in beneficiis humánis; quam cùm fecit, quæ non erant: póstea quam fecit. Etenim derelíctus ab his, & contémptus; & contuméliis appetítus: áddidit ad beneficia non requisítus. Ut grátior esset, & plus præferéndus dum réparat; quàm cùm fecit: ut osténderet unum se esse, qui hæc ómnia possit.

℟. Diligam te, Dómine.

Lectio vj.

IGitur, sic Christus præsídium tulit hómini; ut puritátem suam non violáret: nec amítteret potestátem. Hóminem enim se nasci vóluit; pro certo habens: carnis contáctu mínimè se violári. Conversatióni humánæ se míscuit: sciens peccâtis se corrúmpi non posse. Occídi se passus est, non nésciens Mortem sibi domnári non posse: sed eam sua opprímere potestáte. Hæc ergò gessit: ut ómnia se posse docéret. Humílitas enim ista non ad diminutiónem ejus próficit; sed ad glóriam: & non solùm ejus; verùm étiam in ipsum credéntium: dignitas est enim, servum esse Poténtis.

℟. Dóminus firmaméntum meum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij, secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis Parábolã hanc. Símile factum est Regnum Cœlórum hómini, qui seminávit bonum semen in agro suo: Cum autem dormírent hómines, venit inimícus ejus; & superseminávit zizánia in médio trítici:

tici ' & ábiit. Et réliqua.

Homil. S. Augustíni Episc. *Libr. Quæst. Evang. in Matth. cap.* 11. *tom.* 4.

CUm negligéntiùs ágerent præpóſiti Ecclésiæ aut cùm dormitiónem mortis accíperent Apóſtoli; venit Diábolus ' & superseminávit eos, quos malos filios Dóminus interpretátur. Sed quæritur utrùm Hærétici ſint ' aut malè vivéntes Cathólici. Poſſunt enim dici filij mali étiam hærétici; quia ex eodem Evangélij sémine, & Chriſti Nómine procreáti ' pravis opiniónibus ad falſa dógmata convertúntur.

℟. Dómini eſt terra. *ut in iij. Noct. Dominic. ij.* 402.

Lectio viij.

SEd quòd dicit, eos in médio trítici seminátos; quaſi vidéntur illi ſignificári ' qui unius communiónis ſunt. Verúmtamen quóniam Dóminus Agrum ipſum, non Ecclésiam, ſed hunc Mundum interpretátus eſt ' benè intelligúntur hærétici; quia non societáte unius Ecclésiæ, vel unius Fídei, ſed societáte solíus nóminis Chriſtiáni ' in hoc Mundo permiſcéntur bonis. At illi, qui in eádem Fide mali ſunt ' pálea potiùs, quàm zizánia reputántur; quia pálea étiam fundaméntum ipſum habet cum fruménto ' radicémque commúnem.

℟. Ad te, Dómine.

Lectio ix.

IN illâ planè ſagéna; quâ concludúntur & mali & boni piſces ' non abſurdè mali Cathólici intelligúntur. Aliud eſt enim mare, quod magis Mundum iſtum ſignificat; Aliud ſagéna ' quæ unius Fídei, vel unius Eccleſiæ communiónem vidétur oſténdere. Inter hæréticos & malos Cathólicos hoc intereſt ' quòd Hærétici falſa credunt; illi autem vera credentes ' non vivunt ita ut credunt.

℟. Aúdiam, Dómine.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus, Aña. Dómine, nonne bonum ſemen ſemináſti in agro tuo, undè ergò habet zizánia? & ait illis; Hoc fecit inimícus homo.

Oratio. Famíliam. *ut in Sabb. præced.* 431.

Ad Magnificat, Aña. Colligite primùm zizánia, & alligáte ea in faſcículos;

ſos, ad comburéndum: tríticum autem congregáte in hórreum meum, dicit Dóminus.

Oratio. Famíliam tuam. *ut in Sabbato praced.* 431.

FERIA SECUNDA.

De Epiſtola prima ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

Fidélis Sermo; Si quis Epiſcopátum deſiderat: bonum opus desíderat. Opórtet ergò Epíſcopum irreprehensíbilem eſſe: únius uxóris virum; sóbrium; prudéntem; ornátum; pudícum; hoſpitálem; doctórem: non vinoléntum; non percuſsórem; ſed modéſtum: non litigióſum; non cúpidum; ſed ſuæ dómui benè præpóſitum: Fílios habéntem súbditos cum omni caſtitáte. Si quis autem dómui ſuæ præéſſe neſcit; quómodo Eccléſiæ Dei diligéntiam habébit? Non Neóphytum; ne in ſupérbiam elátus: in judícium íncidat Diáboli. Opórtet autem illum & teſtimónium habére bonum ab iis, qui foris ſunt: ut non in oppróbrium íncidat, & in láqueum Diáboli.

℟. Quàm magna. *ut in Fer. ij. poſt Dom. ij.* 404.

Lectio ij.

Diáconos ſimíliter pudícos; non bilíngues; non multo vino déditos; non turpe lucrum ſectántes: Habéntes Myſtérium Fídei in conſciéntia purâ. Et hi autem probéntur primùm; & ſic miniſtrent: nullum crimen habéntes. Mulíeres ſimíliter pudícas; non detrahéntes: sóbrias, fidéles in ómnibus. Diáconi ſint únius uxóris viri; qui fíliis ſuis benè præſint: & ſuis dómibus. Qui enim benè miniſtráverint, gradum bonum ſibi acquirent; & multam fidúciam in fide: quæ eſt in Chriſto Jeſu.

℟. Benedícam Dómino.

Lectio iij.

Hæc tibi ſcribo: ſperans me ad te veníre citò. Si autem tardávero; ut ſcias quómodò opórteat te in domo Dei conversári: Quæ eſt Eccléſia Dei vivi, colúmna & Firmaméntum veritátis. Et maniféſtè magnum eſt Pietátis Sacraméntum; quod manifeſtátum eſt in carne, juſtificátum eſt in Spíritu: appáruit Angelis, prædicátum

tum est Géntibus; créditum est in mundo: assúmptum est in glória. Spíritus autem manifésté dicit; quia in novíssimis tempóribus, discédent quidam à Fide: attendéntes Spirítibus erróris, & doctrínis dæmoniórum.

℟. Delectáre in Dómino.

FERIA TERTIA.

Incipit Epístola secúnda B. Pauli Apostoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei; secúndum promissiónem vitæ, quæ est in Christo Jesu: Timótheo charíssimo Filio; Grátia, misericórdia, pax à Deo Patre: & Christo Jesu, Dómino nostro. Gratias ago Deo, cui sérvio à progenitóribus in consciéntia pura; quòd sine intermissióne hábeam tui memóriam in Oratiónibus meis, nocte ac die: desíderans te vidére. Memor lachrymárum tuárum, ut gáudio ímplear, recordatiónem accípiens ejus fidei, quæ est in te non ficta: quæ & habitávit primùm in ávia tua Lóide; & matre tua Eunícе: certus sum autem quod & in te.

℟. Auribus pércipe. *ut in Fer. iij. post Dom. ij. 405.*

Lectio ij.

PRopter quam causam admóneo te, ut resúscites grátiam Dei: quæ est in te per impositiónem mánuum meárum. Non enim dedit nobis Deus Spíritum timóris, sed virtútis, & dilectiónis: & sobrietátis. Noli ítaque erubéscere testimónium Dómini nostri, neque me vinctum ejus; sed collabóra Evangélio secúndum virtútem Dei: Qui nos liberávit, & vocávit vocatióne sua sancta; non secúndum ópera nostra, sed secúndum propósitum suum, & grátiam: quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora sæculária.

℟. Státuit Dóminus.

Lectio iij.

MAnifestáta est autem nunc per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi; qui destrúxit quidem mortem, illuminávit autem vitam, & incorruptiónem per Evangélium: In quo pósitus sum ego prædicátor, & Apóstolus,

stolus, & Magíster Géntium. Ob quam causam étiam hæc pátior: sed non confúndor. Scio enim cui crédidi; & certus sum, quia potens est depósitum meū serváre: in illum diem. Formam habe sanórum verbórum; quæ à me audísti in Fide, & in dilectióne: in Christo Jesu.

℟. Ego dixi, Dómine.

FERIA QUARTA.

De Epístola secúnda ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3,

HOc autem scito, quòd in novíssimis diébus instábunt témpora periculósa: Erunt hómines seípsos amántes; cúpidi, eláti, supérbi, blasphémi, paréntibus non obediéntes; ingráti, sceléſti, sine affectióne, sine pace: criminatóres, incontinéntes, immítes, sine benignitáte; proditóres, protérvi, túmidi, & voluptátum amatóres magis quem Dei: habéntes spéciem quidem pietátis; virtútem autem ejus abnegántes: Et hos devíta.

℟. Parátum cor meum. *ut in Feria quarta post Dominicam. ij.* 406.

Lectio ij.

EX his enim sunt, qui penetrant domos, & captívas ducunt muliérculas onerátas peccátis; quæ ducúntur váriis desidériis: semper discéntes, & numquam ad sciéntiam veritátis perveniéntes. Quemádmodum autem Jannes & Mambres restitérunt Móysi: Ita & hi resístunt veritáti; hómines corrúpti mente: réprobi circa fidem. Sed ultrà non profícient; insipiéntia enim eórum manifésta erit ómnibus: sicut & illórum fuit.

℟. Adjútor meus.

Lectio iij.

TU autem assecútus es meam doctrínam institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes; quália mihi facta sunt Antióchiæ, Icónij, & Lystris: Quales persecutiónes sustínui, & ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui piè volunt vívere in Christo Jesu: persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines & seductóres profícient in pejus; errantes: & in errórē mitténtes.

℟. Exáu-

℟. Exáudi, Deus.

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola B. Pauli Apóstoli ad Titum.

Lectio j. Cap. I.

PAulus, Servus Dei, Apóstolus autem Jesu Christi; secúndum Fidem electórum Dei, & agnitiónem veritátis, quæ secúndum pietátem est in spem vitæ ætérnæ: quam promísit, qui non mentítur, Deus, ante témpora sæculária; manifestávit autem tempóribus suis verbum suum in prædicatióne, quæ crédita est mihi secúndum præcéptū Salvatóris nostri Dei: Tito dilécto Fílio, secúndùm commúnē fidem; Grátia & pax à Deo Patre, & Christo Jesu, Salvatóre nostro.

℟. Deus, in te. *ut in Fer. v. post Dominicam. ij.* 407.

Lectio ij.

HUjus rei grátia relíqui te Cretæ; ut ea, quæ desunt, córrigas, & constítuas per Civitátes Presbyteros, sicut & ego dispósui tibi. Si quis sine crímine est, unius uxóris vir, fílios habens fidéles; non in accusatióne luxúriæ, aut non súbditos. Opórtet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem; non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum: sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem; amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem: Ut potens sit exhortári in doctrina sana, & eos, qui contradícunt, argúere.

℟. Repleátur os meum.

Lectio iij.

SUnt enim multi étiam inobedientes, vaniloqui, & seductóres; máximè qui de Circumcisióne sunt; quos opórtet redárgui. Qui univérsas domos subvértunt; docéntes quæ non opórtet: turpis lucri grátia. Dixit, quidam ex illis, próprius ipsórum Prophéta: Creténses semper mendáces; malæ béstiæ: ventres pigri. Testimónium hoc verum est. Quam ob causam íncrepa illos durè; ut sani sint in Fide non intendéntes Judáicis fábulis: & mandátis hóminum aversántium se à veritáte. Omnia munda

mundis;

mundis; coinquinátis autem & infidélibus : nihil est mundum.

℟. Gaudébunt lábia.

FERIA SEXTA.

De Epístola ad Titum.

Lectio j. Cap. 2. & 3.

HÆc lóquere, & exhortáre : & árgue cum omni império. Nemo te contémnat. Admone illos Princípibus & Potestátibus súbditos esse; dicto obedíre : ad omne opus bonum parátos esse. Néminem blasphemáre; non litigiósos esse, sed modéstos : omnem ostendéntes mansuetúdinem ad omnes hómines.

℟. Confitébor tibi. *ut in Fer. vj. post Dom. j. 409.*

Lectio ij.

ERámus enim aliquándo & nos insipiéntes, incréduli, errántes; serviéntes desidériis & voluptátibus váriis : in malítia & invídia agéntes, odíbiles, odiéntes invicem. Cùm autem benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei; non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos : sed secúndùm suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regenerátiónis; & renovatiónis Spíritûs Sancti : quem effúdit in nos abúndè per Jesum Christum Salvatórem nostrum. Ut justificáti grátia ipsíus : hæredes simus, secúndum spem vitæ ætérnæ.

℟. Misericórdia tua.

Lectio iij.

FIdélis sermo est, & de his volo te confirmáre : Ut curent bonis opéribus præésse qui credunt Deo. Hæc sunt bona, & utília homínibus. Stultas autem quæstiónes, & Genealógias; & contentiónes, & pugnas Legis devíta : Sunt enim inútiles & vanæ. Hæréticum hóminem post unam & secúndam correptiónem devita; sciens, quia subvérsus est, qui ejúsmodi est : & delínquit, cùm sit próprio judício condemnátus.

℟. Factus est mihi.

SABBATO.

Incipit Epístola B. Pauli Apóstoli ad Philémonē.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, Vinctus Christi Jesu, & Timótheus Frater; Philémoni dilécto, & Adjutóri nostro, & Appiæ Soróri Charíssimæ, & Ar-

chippo

chíppo Commilitóni nostro: & Ecclésiæ, quæ in domo tua est. Gratia vobis, & Pax à Deo Patre nostro: & Dño Jesu Christo. Gratias ago Deo meo, semper memóriam tui fáciens in oratiónibus meis; aúdiens charitátem tuam, & fidem, quam habes in Dómino Jesu: & in omnes Sanctos. Ut communicátio fidei tuæ évidens fiat; in agnitióne omnis óperis boni: quod est in vobis in Christo Jesu.

℟. Misericórdiam. *ut in Sabbato post Dom. ij. 410.*

Lectio ij.

GAudium enim magnū hábui, & consolatiónem in charitáte tua; quia víscera Sanctórum requievérunt per te, Frater. Propter quod multam fidúciam habens in Christo Jesu imperándi tibi quod ad rem pértinet; propter charitátem magis óbsecro: cùm sis talis, ut Paulus, Senex, nunc autem & vinctus Jesu Christi. Obsecro te pro meo filio, quem génui in vínculis, Onésimo; qui tibi aliquándo inútilis fuit' nunc autem & mihi & tibi útilis, quem remísi tibi.

℟. Dómine exáudi.

Lectio iij.

TU autem illum, ut mea víscera, súscipe; quem ego volúeram mecum detinére, ut pro te mihi ministráret in vínculis Evangélii: Sine consílio autem tuo nihil vólui fácere; uti ne velut ex necessitáte bonum tuum esset: sed voluntárium. Fórsitan enim ideò discéssit ad horam à te: ut ætérnùm illum recíperes. Jam non ut servum, sed pro servo charissimum Fratrem; máximè mihi: quantò autem magis tibi & in carne, & in Dómino. Si ergò habes me sócium: súscipe illum sicut me. Si autem aliquid nócuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi meâ manu.

℟. Velóciter.

AD VESPERAS.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut semper rationabília meditántes: quæ tibi sunt plácita, & dictis exequámur, & factis. Per Dñm nostrum.

Duæ Processiones ut in Sabbato ante Dominicam secundam post Epiph. 398.

DOMI

DOMINICA SEXTA *post Epiphaniam.*

In primo Nocturno.

Incipit Epístola P. Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. I.

MUltifáriam multísque modis olim Deus loquens Pátribus in Prophétis: Novíssimè diébus istis locútus est nobis in Fílio; quem constítuit hærédem universórum: per quem fecit & sæcula. Qui, cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ ejus, portánsque ómnia Verbo virtútis suæ; purgatiónem peccatórum fáciens: sedet ad déxteram Majestátis in excélsis. Tantò mélior Angelis efféctus: quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit.

℟. Dómine, ne in irâ tuâ. *ut in j. Noct. Dom. ij. 399.*

Lectio ij.

CUi enim dixit aliquándo Angelórum; Fílius meus es tu, Ego hódie génui te? Et rursùm; Ego ero illi in Patrem: & ipse erit mihi in Fílium. Et cùm íterùm introdúcit primogénitum in Orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei. & ad Angelos quidem dicit; Qui facit Angelos suos Spíritus: & Minístros suos flãmam ignis. Ad Fílium autem; Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: Virga æquitátis; Virga regni tui. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem; proptérea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultatiónis: præ partícibus tuis.

℟. Deus, qui sedes.

Lectio iij.

ET tu, in princípio, Dómine, terram fundásti: & ópera mánuum tuárum sunt cœli. Ipsi períbunt, tu autem pérmanes; & omnes ut vestiméntum veteráscent: & velut amíctum mutábis eos, & mutabúntur. Tu autem idem ipse es: & ánni tui non defícient. Ad quem autem Angelórum dixit aliquándo? Sede à dextris meis; quoadúsque ponam inimícos tuos: scabéllum pedum tuórũ. Nonne omnes sunt administratórii Spíritus; in ministérium missi propter eos: qui hæreditátem cápient salútis.

℟. A dextris est mihi.

In secundo Nocturno.

Sermo

Sermo sancti Athanásii Epíscopi.

Orat. 2. contra Arianos, post med.

Lectio iv.

SI Persónam, rem, tempus Apostólici dicti cognóscerent Hærétici; nunquam humána in Deitátem transferéntes: tam impiè & stultè advérsus Christum sese habuíssent. Id intuéri licébit: si initium Lectiónis, denuò repetítum probè excípias. Dicit enim Apóstolus. Multifáriam, multísque modis olim Deus locútus est Pátribus nostris per Prophétas; últimis autem diébus: locútus est nobis in Fílio. Atque ita paulò pòst dicit; perfectá ab eò, nostrórum peccatórum purificatióne: Ipsum sedére ad déxteram Majestátis in Excélsis; tantò meliórem Angelis factum: quantò præstántius nomen præ illis sortítus est. De eo ígitur témpore; quo nobis per Fílium locútus est, cùm peccatórum purgátio fieret: Apostólicum dictum mentiónem facit. Quando autem nobis locútus est in Fílio; aut quando purgátio peccatórum facta; aut quando natus est homo: nisi post Prophétas idque in últimis diebus.

℟. Notas mihi fecísti *ut ij. Noctur. Dominica ij. post Epiphan.* 401.

Lectio v.

DEínde cùm narrátio instittúta esset de humána Verbi dispensatióne, deque últimis tempóribus; consequénter commemorávit, Deum neque superióribus ætátibus tacuísse: sed locútum esse per Prophétas. Et postquàm prophétæ suo officio perfúncti sunt: & lex per Angelos pronuntiáta est, & filius etiam ad nos descéndit, & ad ministrándum accéssit; tunc demùm necessáriò subíntulit: Tantò mélior Angelis factus; osténdere volens quantò filius præ servo excéllit: tantò functióne officióque servórũ, filii administratiónem melíórem fuísse. Tu autem.

℟. Diligam te Dómine.

Lectio vj.

FUnctiónem ígitur discérnens Apóstolus; tum véterem, tum novam: magna dicéndi libertáte útitur, ad Judæos scribens,

&

& loquens. Propter hoc ígitur non in universùm ex própria comparatiónis ratióne dixit quod major aut honorátior esset; ne quis quasi de ejúsdem géneris, & cum eo commúnibus rebus, hæc verba intellígeret: sed ídeò meliórem illum dixit; ut discrímen natúræ filii: ad res creátas judicáret.

℟. Dóminus firmaméntum meum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii: secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 13.

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis parábolam hanc. Símile est regnum Cœlórum grano sinapis; quod accípiens homo seminávit in agro suo: Quod mínimum quidem est ómnibus semínibus; cùm autem créverit majus est ómnibus oléribus, & fit arbor: ita ut vólucres cœli véniant & hábitent in ramis ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 2. *Comment. in c.* 13. *Matth.*

REgnum Cœlórũ, prædicátio Evangélii est, & notítia scripturárum; quæ ducit ad vitam: & de qua dícitur ad Judæos. Auferétur à vobis regnũ Dei: & dábitur genti faciénti fructûs ejus. Símile est ergo hujuscémodi regnum; grano sínapis quod accípiens homo: seminávit in agro suo. Homo qui séminat in agro suo; à plerísque Salvátor intellígitur: quòd in ánimis credéntiũ séminet. Ab âliis; ipse homo séminans in agro suo: hoc est in semetípso, & in corde suo.

℟. Dómini est terra. *ut in iij. Noct. Dom. ij.* 402.

Lectio viij.

QUis est iste qui séminat; nisi sensus noster & ánimus: qui suscípiens granum prædicatiónis, & fovens seméntem: humóre fidei, facit in agro sui péctoris pulluláre. Prædicátio Evangélii mínima est ómnibus disciplinis. Ad primam quippe doctrínam; fidem non habet veritátis: hóminem Deum; Christum mórtuum: & scándalum crucis prædicans. Confer hujuscémodi doctrínã dogmátibus philosophórum & libris eórum: & splendóri eloquen

eloquéntiæ & compositióni sermónum ; & videbis quantò minor sit cæteris semínibus : seménti Evangélii.

℟. Ad te Dõmine.

Lectio ix.

SEd illa cùm créverint nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demónstrant ; sed totum flácci-dũ marcidúmque & mollitum ebúllit in ólera : & in herbas quæ citò crescunt & córruunt. Hæc autem prædicátio quæ parva videbátur in princípio; cum vel in ánima credéntis vel in toto mundo sata fúerit : non exúrgit in ólera sed crescit in árborem ; ita ut vólucres cœli (quas vel ánimas credéntium vel fortitúdines, Dei servítio mãcipátas sentíre debémus :) véniant & hábitent in ramis ejus. Ramos puto Evãgélicæ árboris, quæ de grano sínapis créverit ; dógmatum esse diversitátes : in quibus supradictárum vólucrum unaquæque requiescit.

℟. Audiam Dómine.

Te Deum laudámus.

Ad Benedictus , Antiph. Símile est regnum cœlórum grano sínapis quod mínimum est ómnibus semínibus : cum autem créverit majus est ómnibus oléribus. *Orat.* Præsta, quæsumus. *ut in Sabb. præced.*

Ad Magnificat, Aña. Símile est regnum cœlórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus : donec fermentátum est tótum.

FERIA SECUNDA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. *Cap. 3.*

VNde Fratres sancti, vocatiónis cœlestis partícipes ; consideráte Apóstolum & Pontíficem confessiónis nostræ Jesum : qui fidélis est ei qui fecit illũ, sicut & Móyses in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iste præ Móyse dignus est hábitus ; quantò ampliórem honórem habet domûs : qui fabricávit illam. Omnis namque domus fabricátur ab áliquo ; qui autem ómnia creávit : Deus est.

℟. Quam magna. *ut in Feria ij. post Dom. ij. post Epiph.* 404.

Lectio ij.

ET Móyses quidem fidélis erat in tota domo

mo ejus; tamquàm fámulus: in testimónium eórum quæ dicénda erant. Christus verò tamquam filius in domo sua; quæ domus sumus nós: si fidúciam & glóriam spei usque ad finem firmam retineámus. Quaprópter sicut dicit Spíritus sanctus; hódiè si vocem ejus audiéritis nolíte obduráre corda vestra: sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto.

℞. Benedícam Dómino.

Lectio iij.

VIdéte, Fratres, ne fortè sit in áliquo vestrûm cor malum incredulitátis discedéndi à Deo vivo; sed adhortámini vosmetípsos per síngulos dies, donec hodie cognominátur: ut non obdurétur quis ex vobis fallácia peccáti. Partícipes enim Christi effécti sumus; si tamen inítium substántiæ ejus: usque ad finem firmum retineámus. Dum dícitur, hódie, si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra; quemádmodum in illa exacerbatióne: quidam enim audientes exacerbavérunt; sed non univérsi qui profécti sunt ex Ægypto: per Móysen.

℞. Delectáre in Dómino.

FERIA TERTIA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j.

TImeámus ergò ne fortè relícta pollicitatióne introeúndi in réquiem ejus: existimétur áliquis ex vobis deésse. Etenim & nobis nunciátū est: quemádmodum & illis. Sed non prófuit illis sermo audítus: non admíxtus fidei ex iis quæ audiérunt. Ingrediémur enim in réquiem qui credídimus, quemádmodum dixit; sicut jurávi in irâ meâ, si introíbunt in réquiem meam: & quidem opéribus ab institutióne mundi perféctis.

℞. Auríbus pércipe. *ut in Fer. iij. post Dom. ii.* 405.

Lectio ij.

DIxit enim in quodam loco de die séptima sic: Et requiévit Deus die séptima ab ómnibus opéribus suis. Et in isto rursùm: Si introíbunt in réquiem meam. Quóniā ergò superest introíre quosdam in illam; & ij, quibus prióribus ánnunciátum est, non introiérunt propter

incredu

incredulitátem : Iterùm términat diem quemdam, hódiè, in David dicéndo; post tantū témporis, sicut suprà dictum est: Hodie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra.

℟. Státuit Dóminus.

Lectio iij.

NAm, si eis Jesus réquiem præstitísset: numquàm de ália loquerétur posthàc die. Itaque relinquitur Sabbatísmus pópulo Dei; qui enim ingressus est in réquiem ejus: étiam ipse requiévit ab opéribus suis, sicut à suis Deus. Festinémus ergò íngredi in illam réqniem; ut ne in idipsum quis íncidat: incredúlitátis exémplum. Vivus est enim sermo Dei,& éfficax,& penetrabílior omni gládio ancípiti; & pertíngens usque ad divisiónem ánimæ ac Spíritûs, compagum quoque ac medullárum: & discrétor cogitatiónum, & intentiónum cordis.

℟. Ego dixi.

FERIA QUARTA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 6.

QUaprópter intermitténtes inchoatiónis Christi sermónem, ad perfectióra ferámur; non rursùm jaciéntes fundaméntum pœniténtiæ ab opéribus mórtuis, & fidei ad Deum: Baptísmatum doctrinæ, impositiónis quoque mánuum; ac resurrectiónis mortuórum: & judícii ætérni. Et hoc faciémus, siquidem permíserit Deus.

℟. Parátum cor meum. *ut in Fer. iv. post Dom. ij.* 406.

Lectio ij.

IMpossíbile est enim, eos, qui semel sunt illumináti; gustavérunt étiam donum cœléste, & partícipes facti sunt Spíritus sancti: gustavérunt nihilóminus bonum Dei verbum, virtutésque sæculi ventúri; & prolápsi sunt: Rursùs renovári ad pœniténtiam. Rursùm crucifigéntes sibimetípsis Fílium Dei: & osténtui habéntes.

℟. Adjútor meus.

Lectio iij.

TErra enim sæpè veniéntem super se bibens imbrem, & génerans herbam opportúnam illis, à quibus cólitur, áccipit benedictiónem à Deo; próferens autem spinas ac trí-

bulos, reproba est, & maledícto próxima: cujus consummátio in combustiónem. Confídimus autem de vobis, dilectíssimi, melióra, & vicinióra salúti: Tamétsi ita lóquimur. Nō enim injústus Deus, ut obliviscátur óperis vestri; & dilectiónis, quam ostendístis in nómine ipsíus: qui ministrástis sanctis, & ministrátis.

℟. Exáudi, Deus.

FERIA QUINTA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 7.

HIc enim Melchísedech Rex Salem, Sacérdos Dei summi; qui obviávit Abrahæ, regréſſo à cæde Regum, & benedíxit ei: Cui & Décimas ómnium divísit Abraham. Primùm quidem qui interpretátur, Rex Justítiæ; Deínde autem & Rex Salem: quod est Rex Pacis. Sine Patre; sine Matre; sine Genealógia; neque inítium diérum, neque finem vitæ habens: assimilátus autem Fílio Dei, manet Sacérdos in perpétuum.

℟. Deus, in te sperávi. *ut in Feria v. post Dominicam ij.* 407.

Lectio ij.

INtuémini autem quantus sit Hic: cui & Décimas dedit de præcípuis Abraham Patriárcha. Et quidem de filiis Levi Sacerdótiū accipiéntes; mandátum habent Décimas súmere à pópulo secúndum Legem, id est, à frátribus suis: Quamquam & ipsi exíerint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generátio non annumerátur in eis; Décimas sumpsit ab Abraham: & hunc, qui habébat repromissiónes, benedíxit.

℟. Repleátur.

Lectio iij.

SIne ullâ autem contradictióne, quod minus est: à melióre benedícitur. Et hîc quidē Décimas moriéntes hómines accípiunt: Ibi autem contestátur, quia vivit. Et [ut ita dictum sit] per Abraham: & Levi, qui Décimas accépit; Decimátus est: adhuc enim in lumbis Patris erat, quandò obviávit ei Melchísedech. Si ergò consummátio per Sacerdótium Levíticum erat; [pópulus enim sub ipso Legem accépit:] quid adhuc necessárium fuit se-

eúndùm órdinem Melchísedech, álium súrgere Sacerdótem; & non secúndùm ordinem Aaron dici? Transláto enim Sacerdótio: necésse est ut & Legis translátio fiat.

℟. Gaudébunt lábia mea.

FERIA SEXTA.

De Epistola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 2.

EST autem Fides sperandárum substántia rerum: Arguméntum non apparéntium. In hac enim testimóniũ consecúti sunt senes. Fide intellígimus aptâtâ esse sæcula Verbo Dei: ut ex invisibilibus visibilia fierent. Fide plúrimam hostiam Abel quàm Cain óbtulit Deo: per quam testimónium consecútus est esse Justus; testimónium perhibénte munéribus ejus Deo: & per illam defúnctus adhuc lóquitur.

℟. Confitébor tibi, *ut in Fer. vj. post Dom. ij.* 409.

Lectio ij.

FIde Enoch translátus est, ne vidéret mortem; & non inveniebátur, quia tránstulit illum Deus: Ante translatiónem enim testimónium hábuit placuísse Deo. Sine Fide autem impossíbile est placére Deo. Credere enim oportet accedéntem ad Deum quia est: & inquiréntibus se remunerátor sit. Fide Noë respónso accépto de iis, quæ adhuc non videbántur: métuens aptávit Arcã in salútem domûs suæ; per quam damnávit Mundum: Et justítiæ quæ per fidem est, hæres est institútus.

℟. Misericórdia tua.

Lectio iij.

FIde, qui vocátur Abraham, obedívit in locum exíre; quem acceptúrus erat in hæreditátem: Et éxiit, nésciens quò iret. Fide demorátus est in Terrâ repromissionis, tamquã in aliéna; in cásulis habitándo cum Isaac & Jacob: Cohærédibus repromissiónis ejúsdem. Expectábat enim fundaménta habéntem Civitátem: Cujus artifex & cónditor Deus.

℟. Factus est mihi.

SABBATO.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 13.

CHaritas fraternitátis máneat in vobis; & hospitalitátem nolíte obli-

víſci : Per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hoſpítio recéptis. Mementóte vinctórum; tamquàm ſimul vincti : Et laborántium, tamquam & ipſi in córpore morántes. Honorábile connúbium in ómnibus; & thorus immaculátus : Fornicatóres enim, & adúlteros judicábit De⁹.

℟. Miſericórdiam. *ut in Sabb. post Dom. ij.* 410.

Lectio ij.

SInt mores ſine avarítia : conténti præséntibus. Ipſe enim dixit. Non te déſeram, neque derelínquam; ita, ut confidénter dicámus : Dóminus mihi adjútor, non timébo quid fáciat mihi homo. Mementóte præpoſitórum veſtrórum; qui vobis locúti ſunt Verbum Dei : Quorum intuéntes éxitum converſatiónis, imitámini Fidem. Jeſus Chriſtus heri & hódié : Ipſe & in ſæcula.

℟. Dómine exáudi.

Lectio iij.

DOctrínis váriis & peregrínis nolíte abdúci. Optimum eſt enim grátiá ſtabilíre cor, non eſcis : quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus Altáre, de quo édere non habent poteſtátem, qui tabernáculo desérviunt; quorum enim animálium infértur ſanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem : horum córpora cremántur extra caſtra. Propter quod & Jeſus, ut ſanctificáret per ſuum ſánguinem pópulum : extra portam paſſus eſt. ℟. Velóciter.

SABBATO.

Ante Septuageſimam.

Ad Veſperas.

Aña. Allelúia : * allelúia, allelúia. *Pſal.* Benedíctus Dóminus. *ut in Veſp. Sabbati.* 168. *Aña.* Allelúia, allelúia : * allelúia, allel. *Pſalm.* Exaltábo te. 169. *Aña.* Allelúia : * allelúia, allelúia. *Pſal.* Lauda ánima. 170. *Aña.* Allelúia : * allelúia, allelúia. *Pſalmus.* Laudáte Dóminum, quóniam. 170. *Aña* Allelúia : * allelúia, allelúia. *Pſal.* Lauda Jerúſalem. 171.

Capitulum. 1. Cor. 9.

NEſcítis quod ij qui in ſtádio currunt, omnes quidem currunt; ſed unus áccipit Bravíum : ſic cúrrite ut comprehendátis.

℣. Veſpertína orátio, aſcéndat ad te Dómine.

℟. Et

℟. Et descéndat super nos misericórdia tua. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. *In Choro cantatur ad modulum Aña.* Puer Jesus. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allel. *Post unumquemque versum usque ad* Sicut locútus est *exclusivè dicitur tota;& duplicatur post* Glória Patri. *Extra Chorum vero; Duplicatur tantùm, post* Glória Patri.

Orémus *Oratio.*

PReces pópuli, tui quæsumus Dómine, cleménter exáudi; ut qui justè pro peccátis nostris affligimur: pro tui nóminis glória, misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Ad primam Processionem.

℟. Allelúia. Dum præsens est. *ut infrà in* 1. *Noct.*

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscii, de tua virtúte confidimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad 2. *Processionem.*

Allelúia. Delectátio. *ut infrà.*

Orémus. *Oratio.*

PErcípiat Dómine quæsumus pópulus tuus misericórdiam quam depóscit: & quam precátur humíliter indulgéntiam consequátur & pacem. Per Dóminum.

Si in Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam in albis, occurrat Festum duplex vel semiduplex; transfertur in primam diem similiter non impeditam; de festis verò simplicibus, sive trium Lectionum, dicitur tantum Oratio ad Missam, ut dicitur in Rubrica de translatione Festorum.

DOMINICA

Septuagesimæ.

Ad Matutinum Invitatorium. Allelúia, allelúia. *duplicatur. Psal.* Venite. 2. *In primo Nocturno. Psal.* Beátus vir. *cum reliquis de Dominica.* 3.

℣. Memor fui nocte nóminis tui Dómine.

℟. Et custodívi legem tuã, allelúia, allelúia, allelúia.

In Choro pro prima Lectione legitur Prologus B. Hieronymi in Pentateuchum Desidério si qui incipit *Desidérii mei. Pro ij. verò Lectio-*

ne, initium Geneseos; duabus quæ sequuntur in unum junctis.

Incipit Liber Genesis.

Lectio j. Cap. 1.

IN princípio creávit Deus cœlum & terram; Terra autem inánis & vácua, & ténebræ erant super fáciem abyssi: & Spíritus Dei ferebátur super aquas. Dixítque Deus; Fiat lux: Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona; & divísit lucem à ténebris: appellavítque lucem diem; & ténebras noctem: factúmque est vésspere & mañe, dies unus. Dixit quoque Deus. Fiat firmaméntum in médio aquárum: & dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmaméntum; divisítque aquas quæ erant sub firmaménto: ab his quæ erant super firmaméntum. Et factum est ita. Vocavítque Deus firmamentum Cœlum; & factum est vésperè & manè: dies sécundus.

Responsoria duplicantur

℟. Allelúia. Dum præsens est imitántur illam, & desíderant eam cum se dúxerit; * Et in perpétuum coronáta triúmphat ante Dóminum, allelúia, ℣. Immortálitas est enim in memória illíus; quóniam apud Deum nota est, & apud hómines. Et in perpétuum. Glória Patri. Sicut erat. Allelúia. Dum præsens.

Lectio ij.

DIxit verò Deus: Congregéntur aquæ, quæ sub Cœlo sunt in locum unum & appáreat árida; & factum est ita: Et vocávit Deus áridam terram; congregationésque aquárum: appellávit Mária. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait, gérminet terra herbam viréntem, & faciéntem semen; & lignum pomíferum fáciens fructũ juxta genus suum: cujus semen in semetípso sit super terram. Et factum est ita. Et prótulit terra herbam viréntem & faciéntẽ semen juxta genus suum; lignumq; fáciens fructum: & habens unumquódque seméntem secúndùm spéciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vésperè & manè: dies tértius. Dixit autem Deus; fiant luminária in firmaménto Cœli: & dívidant diem ac noctem; & sint

sint in signa & témpora, † & dies & annos † ut lú-
ceant in firmaménto cæli & illúminent terram. Et factum est ita. Fecítque Deus duo luminária magna ; luminare majus ut præésset diei † & luminare minus ut præésset nocti, & stellas. Et pósuit eas in firmamento cæli ut lucérent super terram ; & præéssent diei ac nocti † & divíderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quòd esset bonum ; & factum est vespere & manè † dies quartus. Tu autem.

℟. Allelúia. Delectátio bona in opéribus mánuum illíus : * Divítiæ multæ, allelúia, allelúia. ℣. Omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua ; & tamquam lutũ æstimábitur argéntum, in conspéctu illíus. Divítiæ multæ. Glória Patri. Allelúia. Delectátio.

Lectio iij.

DIxit étiam Deus. Prodúcant aquæ réptile ánimæ vivéntis ; & volátile super terram † sub firmaménto cæli. Creávitque Deus Cete grándia; & omnem ánimam vivéntem atque motabilem, quam prodúxerant aquæ in species suas † & omne volátile, secúndùm genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. Benedixítque eis dicens ; Créscite & multiplicámini & repléte aquas maris † avésque multiplicéntur super terram. Et factum est vespere & manè † dies quintus. Dixit quoque Deus. Prodúcat terra ánimam vivéntem in génere suo ; juménta, & reptília, & béstias terræ secundùm spécies suas. Factúmque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas ; & juménta, & omne réptile terræ in génere suo † & vidit Deus quod esset bonum. Et ait. Faciámus hóminem ad imáginem & similitúdinem nostram † & præsit píscibus maris & volatílibus cæli ; & béstiis universǽque terræ † omníque réptili quod movétur in terra. Tu autem.

℟. Alleluia. Nomen bonum mélius est quam divítiæ multæ : * Super aurum & argéntum grátia bona est, allelúia, allel. ℣. Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua Dómine,

super mel & favum ori meo. Super aurum. Glória Patri. Allelúia. Nomen bonum.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Allelúia.

In Choro cantantur ad-mod. Aña. Consérva me. *sub qua dicuntur tres Psalmi sequentes, ut in Psalterio.* II.

Aña. Allelúia, allel. allel. allel, ℣. Média nocte surgébam ad confiténdum tibi. ℟. Super judícia justítiæ tuæ, allel. allel. allel.

Sermo sancti Ambrósij Epíscopi.

Libro de Dignitate conditionis humanæ, cap. I.

Lectio iv.

FAciámus hóminem ad imáginem & similitúdinem nostram. Tanta ítaque dígnitas humánæ conditiónis esse cognóscitur; ut non solo jubéntis Sermóne sicut alia sex diérum ópera: sed consílio sanctæ Trinitátis, & ópere majestátis divínæ creátus sit homo. Ut ex primæ conditiónis honóre intellígeret quantùm debéret suo conditóri: dùm tantum in conditióne mox dignitátis privilégium præstitit ei conditor; ut tantò ardéntiùs amáret conditórem: quantò mirabíliùs se ab eo esse cónditum intellígeret. Nec ob hoc solùm quòd consílio sanctæ Trinitátis sic excellénter à conditóre cónditus est: sed étiam quòd ad imáginem & similitúdinem suam; ipse creátor ómnium eum creávit: quod nulli álij ex creatúris donávit. Tu autem.

℟. Cantáte Dómino allelúia: cantáte Dómino & benedícite nomen ejus: * Benè nunciáte de die in diem salutáre ejus, allelúia, allelúia. ℣. Annunciáte inter gentes glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabília ejus. Bene. Glória Patri. Cantáte Dómino.

Lectio v.

SIcut enim Deus creátor, qui hóminem ad similitúdinem suam creávit: est Cháritas; est bonus & justus; pátiens atque mitis; mundus & mísericors; & cætera virtútum sanctárum insígnia, quæ de eo legúntur: ita homo creátus est, ut charitátem habéret; ut bonus esset & justus; ut pátiens atque mitis:

tis ? mundus & miséricors foret. Quas virtútes, quantò plus quisque in seípso habet ; tantò própiùs est Deo ? & majórem sui conditóris gerit similitúdinem. Si verò quod absit ; áliquis per dévia vitiórum & divórtia críminum ab hac nobilíssima sui conditóris similitúdine dégener obérrat ? tunc fiet de eo quod scriptum est. Et homo cùm in hónore esset non intelléxit ; comparátus est juméntis quæ sensum non habent ? & símilis factus est illórum. Tu autem Dómine.

℟. In toto corde meo allelúia, exquisívi te allelúia: * Ne repéllas me à mandátis tuis allelúia, allelúia. ℣. In corde meo abscóndi elóquia tua, ut non peccem tibi. Ne repellas. Glória Patri. In toto corde.

Lectio vj.

QUi major honor pótuit hómini esse quàm ut ad similitúdinem sui factóris conderétur ; & eísdem virtútum vestiméntis ornarétur quibus & conditor ? Vel quod majus hómini potest esse dédecus aut infelicior miséria ; quàm ut hac similitúdinis glória sui conditoris amíssa ? ad infórmem & irrationábilem brutórum jumentórum, delabátur similitúdinem. Quaprópter quisque diligéntiùs atténdat primæ conditiónis suæ excelléntiam ? & venerándam in seipso sanctæ Trinitátis imáginem agnóscat ; honorémque similitúdinis divínæ ad quem creatus est ? nobilitáte morum ; exercitio virtútum ; dignitáte meritórum ? habére conténdat. Ut quandò appáreat qualis sit ? tunc símilis ei appáreat ; qui se mirabíliter ad similitúdinem suam, in primo Adam condídit ? mirabiliúsque in secúndo reformávit. Tu autem.

℟. Deduc me in sémita mandatórum tuórum, allelúia : quóniam ipsam vólui, allelúia : * Inclina cor meum, in testimónia tua allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Avérte óculos meos ne videant vanitátem ; in via tua vivífica me. Inclina. Glória Patri. Deduc me.

In tertio Nocturno.

Aña. Allelúia. *ad mod.*
Aña. Dómine adjútor *sub*

mo ejus ; tamquàm fámulus : in testimónium eórum quæ dicénda erant. Christus verò tamquam fílius in domo sua ; quæ domus sumus nós : si fidúciam & glóriam spei usque ad finem firmam retineámus. Quaprópter sicut dicit Spíritus sanctus ; hódie si vocem ejus audiéritis nolite obduráre corda vestra: sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto.

℟. Benedícam Dómino.

Lectio iij.

VIdéte, Fratres, ne fortè sit in áliquo vestrûm cor malum incredulitátis discedéndi à Deo vivo ; sed adhortámini vosmetípsos per síngulos dies, donec hódie cognominátur : ut non obdurétur quis ex vobis fallácia peccáti. Partícipes enim Christi effécti sumus ; si tamen inítium substántiæ ejus : usque ad finem firmum retineámus. Dum dícitur, hódie , si vocem ejus audiéritis , nolite obduráre corda vestra ; quemádmodum in illa exacerbatióne: quidam enim audientes exacerbavérunt; sed non univérsi qui profécti sunt ex Ægypto : per Móysen.

℟. Delectáre in Dómino.

FERIA TERTIA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j.

TImeámus ergò ne fortè relícta pollicitatióne introeúndi in réquiem ejus : existimétur áliquis ex vobis decésse. Etenim & nobis nunciátū est : quemádmodum & illis. Sed non prófuit illis sermo audítus: non admíxtus fidei ex iis quæ audiérunt. Ingrediémur enim in réquiem qui credídimus , quemádmodum dixit ; sicut jurávi in irâ meâ , si introíbunt in réquiem meam : & quidem opéribus ab institutióne mundi perféctis.

℟. Auribus pércipe. *ut in Fer.iij. post Dom.ii.* 405.

Lectio ij.

DIxit enim in quodam loco de die séptima sic: Et requiévit Deus die séptima ab ómnibus opéribus suis. Et in isto rursùm: Si introíbunt in réquiem meam. Quóniã ergò superest introíre quosdam in illam ; & ij, quibus prióribus ánnunciátum est, non introiérunt propter

incredu

incredulitátem : Iterùm términat diem quemdam, hódiè, in David dicéndo ; post tantū témporis, sicut suprà dictum est : Hodie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra.

℟. Státuit Dóminus.

Lectio iij.

NAm, si eis Jesus réquiem præstitísset : numquàm de ália loquerétur posthàc die. Itaque relinquitur Sabbatísmus pópulo Dei ; qui enim ingréssus est in réquiem ejus : étiam ipse requiévit ab opéribus suis, sicut à suis Deus. Festinémus ergò íngredi in illam réquiem ; ut ne in idipsum quis íncidat : incredúlitátis exémplum. Vivus est enim sermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti ; & pertíngens usque ad divisiónem ánimæ ac Spíritûs, compagum quoque ac medullárum : & discrétor cogitatiónum, & intentiónum cordis.

℟. Ego dixi.

FERIA QUARTA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 6.

QUaprópter intermitténtes inchoatiónis Christi sermónem, ad perfectióra ferámur ; non rursùm jaciéntes fundaméntum pœniténtiæ ab opéribus mórtuis, & fidei ad Deum : Baptísmatum doctrínæ, impositiónis quoque mánuum ; ac resurrectiónis mortuórum : & judícii ætérni. Et hoc faciémus, siquidem permíserit Deus.

℟. Parátum cor meum. *ut in Fer. iv. post Dom. ij. 406.*

Lectio ij.

IMpossíbile est enim, eos, qui semel sunt illumináti ; gustavérunt étiam donum cœléste, & partícipes facti sunt Spíritus sancti : gustavérunt nihilóminus bonum Dei verbum, virtutésque sæculi ventúri ; & prolápsi sunt : Rursùs renovári ad pœniténtiam. Rursùm crucifigéntes sibimetípsis Fílium Dei : & osténtui habéntes.

℟. Adjútor meus.

Lectio iij.

TErra enim sæpè veniéntem super se bibens imbrem, & génerans herbam opportúnam illis, à quibus cólitur, áccipit benedictiónem à Deo ; próferens autem spinas ac tri-

bulos, reproba est, & maledícto próxima: cujus consummátio in combustiónem. Confídimus autem de vobis, dilectíssimi, melióra, & vicinióra salúti: Tamétsi ita lóquimur. Nō enim injústus Deus, ut obliviscátur óperis vestri; & dilectiónis, quam ostendístis in nómine ipsíus: qui ministrástis sanctis, & ministrátis.

℟. Exáudi, Deus.

FERIA QUINTA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 7.

HIc enim Melchísedech Rex Salem, Sacérdos Dei summi; qui obviávit Abrahæ, regréssо à cæde Regum, & benedíxit ei: Cui & Décimas ómnium divísit Abraham. Primùm quidem qui interpretátur, Rex Justítiæ; Deínde autem & Rex Salem: quod est Rex Pacis. Sine Patre; sine Matre; sine Genealógia; neque inítium diérum, neque finem vitæ habens: assimilátus autem Fílio Dei, manet Sacérdos in perpétuum.

℟. Deus, in te sperávi. *ut in Feria v. post Dominicam ij.* 407.

Lectio ij.

INtuémini autem quantus sit Hic: cui & Décimas dedit de præcípuis Abraham Patriárcha. Et quidem de filiis Levi Sacerdótiū accipiéntes; mandátum habent Décimas súmere à pópulo secúndum Legem, id est, à frátribus suis: Quamquam & ipsi exíerint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generátio non annumerátur in eis; Décimas sumpsit ab Abraham: & hunc, qui habébat repromissiónes, benedíxit.

℟. Repleátur.

Lectio iij.

SIne ullâ autem contradictióne, quod minus est: à melióre benedícitur. Et hîc quidē Décimas moriéntes hómines accípiunt: Ibi autem contestátur, quia vivit. Et [ut ita dictum sit] per Abraham: & Levi, qui Décimas accépit; Decimátus est: adhuc enim in lumbis Patris erat, quandò obviávit ei Melchísedech. Si ergò consummátio per Sacerdótium Levíticum erat; [pópulus enim sub ipso Legem accépit:] quid adhuc necessárium fuit se-

cúndùm órdinem Melchísedech, álium súrgere Sacerdótem; & non secúndùm ordinem Aaron dici? Transláto enim Sacerdótio: necésse est ut & Legis translátio fiat

℟. Gaudébunt lábia mea.

FERIA SEXTA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 2.

Est autem Fides sperandárum substántia rerum: Arguméntum non apparéntium. In hac enim testimóniũ consecúti sunt senes. Fide intellígimus aptâtâ esse sæcula Verbo Dei: ut ex invisibílibus visibília fierent. Fide plúrimam hóstiam Abel quàm Cain óbtulit Deo: per quam testimónium consecútus est esse Justus; testimónium perhibénte munéribus ejus Deo: & per illam defúnctus adhuc lóquitur.

℟. Confitébor tibi, *ut in Fer. vj. post Dom. ij.* 409.

Lectio ij.

Fide Enoch translátus est, ne vidéret mortem; & non inveniebátur, quia tránstulit illum Deus: Ante translatiónem enim testimónium hábuit placuísse Deo. Sine Fide autem impossíbile est placére Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est: & inquiréntibus se remunerátor sit. Fide Noë respónso accépto de iis, quæ adhuc non videbántur: métuens aptávit Arcã in salútem domûs suæ; per quam damnávit Mundum: Et justítiæ quæ per fidem est, hæres est institútus.

℟. Misericórdia tua.

Lectio iij.

Fide, qui vocátur Abraham, obedívit in locum exíre; quem acceptúrus erat in hæreditátem: Et éxiit, nésciens quò iret. Fide demorátus est in Terrâ repromissiónis, tamquã in aliéna; in cásulis habitándo cum Isaac & Jacob: Cohærédibus repromissiónis ejúsdem. Expectábat enim fundaménta habéntem Civitátem: Cujus artifex & cónditor Deus.

℟. Factus est mihi.

SABBATO.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 13.

Charitas fraternitátis máneat in vobis; & hospitalitátem nolíte obli-

vísci ? Per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hospítio recéptis. Mementóte vinctórum; tamquàm simul vincti ? Et laborántium ; tamquam & ipsi in córpore morántes. Honorábile connúbium in ómnibus; & thorus immaculátus ? Fornicatóres enim, & adúlteros judicábit De⁹. ℟. Misericórdiam. *ut in Sabb. post Dom. ij.* 410.

Lectio ij.

SInt mores sine avarítia ? conténti præséntibus. Ipse enim dixit. Non te déseram, neque derelínquam; ita, ut confidénter dicámus ? Dóminus mihi adjútor, non timébo quid fáciat mihi homo. Mementóte præpositórum vestrórum; qui vobis locúti sunt Verbum Dei ? Quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini Fidem. Jesus Christus heri & hódie ? Ipse & in sæcula. ℟. Dómine exáudi.

Lectio iij.

DOctrínis váriis & peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátiâ stabilíre cor, non escis ? quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus Altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt; quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem ? horum córpora cremántur extra castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum ? extra portam passus est. ℟. Velóciter.

SABBATO.

Ante Septuagesimam.

Ad Vesperas.

Aña. Allelúia: * allelúia, allelúia. *Psal.* Benedíctus Dóminus. *ut in Vesp. Sabbati.* 168. *Aña.* Allelúia, allelúia: * allelúia, allel. *Psalm.* Exaltábo te. 169. *Aña.* Allelúia: * allelúia, allelúia. *Psal.* Lauda ánima. 170. *Aña.* Allelúia: * allelúia, allelúia. *Psalmus.* Laudáte Dóminum, quóniam. 170. *Aña* Allelúia: * allelúia, allelúia. *Psal.* Lauda Jerúsalem. 171.

Capitulum. 1. Cor. 9.

NEscítis quod ij qui in stádio currunt, omnes quidem currunt; sed unus áccipit Bravíum ? sic cúrrite ut comprehendátis.

℣. Vespertína orátio, ascéndat ad te Dómine.

℟. Et

℟. Et descéndat super nos misericórdia tua. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. In Choro cantatur ad modulum Aña. Puer Jesus. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allel. *Post unumquemque versum usque ad* Sicut locútus est *exclusivè dicitur tota; & duplicatur post* Glória Patri. *Extra Chorum vero; Duplicatur tantùm, post* Glória Patri.

Orémus *Oratio.*

PReces pópuli, tui quæsumus Dómine, clementer exáudi; ut qui justè pro peccátis nostris affligimur: pro tui nóminis glória, misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Ad primam Processionem. ℟. Allelúia. Dum præsens est. *ut infrà in 1. Noct.*

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscii, de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad 2. Processionem. Allelúia. Delectátio. *ut infrà.*

Orémus. *Oratio.*

PErcípiat Dómine quæsumus pópulus tuus misericórdiam quam depóscit: & quam precátur humíliter indulgéntiam consequátur & pacem. Per Dóminum.

Si in Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam in albis, occurrat Festum duplex vel semiduplex; transfertur in primam diem similiter non impeditam; de festis verò simplicibus, sive trium Lectionum, dicitur tantum Oratio ad Missam, ut dicitur in Rubrica de translatione Festorum.

DOMINICA Septuagesimæ.

Ad Matutinum Invitatorium. Allelúia, allelúia. *duplicatur. Psal.* Venite. 2.

In primo Nocturno. Psal. Beátus vir. *cum reliquis de Dominica.* 3.

℣. Memor fui nocte nóminis tui Dómine.

℟. Et custodívi legem tuã, allelúia, allelúia, allelúia. *In Choro pro prima Lectione legitur Prologus B. Hieronymi in Pentateuchum Josephi qui incipit* Desidérii mei. *Pro ij. verò Lectio-*

ne, initium Geneseos; duabus quæ sequuntur in unum junctis.

Incipit Liber Genesis.

Lectio j. Cap. 1.

IN princípio creávit Deus cœlum & terram; Terra autem inánis & vácua, & ténebræ erant super fáciem abyssi: & Spíritus Dei ferebátur super aquas. Dixitque Deus; Fiat lux: Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona; & divísit lucem à ténebris: appellavítque lucem diem; & ténebras noctem: factúmque est véspere & mane, dies unus. Dixit quoque Deus. Fiat firmaméntum in médio aquárum: & dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmaméntum; divisítque aquas quæ erant sub firmaménto: ab his quæ erant super firmaméntum. Et factum est ita. Vocavítque Deus firmamentum Cœlum; & factum est vésperè & manè: dies sécundus.

Responsoria duplicantur

℟. Allelúia. Dum præsens est imitántur illam, & desíderant eam cum se dúxerit; * Et in perpétuum coronáta triúmphat ante Dóminum, allelúia, ℣. Immortálitas est enim in memória illíus; quóniam apud Deum nota est, & apud hómines. Et in perpétuum. Glória Patri. Sicut erat. Allelúia. Dum præsens.

Lectio ij.

DIxit verò Deus. Congregéntur aquæ, quæ sub Cœlo sunt in locum unum & appáreat árida; & factum est ita: Et vocávit Deus áridam terram; congregationésque aquárum: appellávit Mária. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait, gérminet terra herbam viréntem, & faciéntem semen; & lignum pomíferum fáciens fructũ juxta genus suum: cujus semen in semetípso sit super terram. Et factum est ita. Et prótulit terra herbam viréntem & faciéntẽ semen juxta genus suum; lignumq; fáciens fructum: & habens unumquódque seméntem secúndùm spéciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vésperè & manè: dies tértius. Dixit autem Deus; fiant luminária in firmaménto Cœli: & dívidant diem ac noctem; & sunt

fiant in signa & témpora, & dies & annos ; ut lúceant in firmaménto cæli & illúminent terram. Et factum est ita. Fecítque Deus duo luminária magna ; luminare majus ut præésset diei ; & lumináre minus ut præésset nocti, & stellas. Et pósuit eas in firmaménto cæli ut lucérent super terram ; & præéssent diei ac nocti ; & divíderent lucem ac tenébras. Et vidit Deus quòd esset bonum ; & factum est véspere & manè ; dies quartus. Tu autem.

℞. Allelúia. Delectátio bona in opéribus mánuum illíus : * Divítiæ multæ, allelúia, allelúia. ℣. Omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua ; & tamquam lutū æstimábitur argéntum, in conspéctu illíus. Divítiæ multæ. Glória Patri. Allelúia. Delectátio.

Lectio iij.

DIxit étiam Deus. Prodúcant aquæ réptile ánimæ vivéntis ; & volátile super terram ; sub firmaménto cæli. Creávitque Deus Cete grándia ; & omnem ánimam vivéntem atque motabilem, quam protuxerant aquæ in species suas ; & omne volátile, secúndùm genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. Benedixítque eis dicens ; Créscite & multiplicámini & repléte aquas maris ; avésque multiplicéntur super terram. Et factum est véspere & manè ; dies quintus. Dixit quoque Deus. Prodúcat terra ánimam vivéntem in génere suo ; juménta, & reptília, & béstias terræ secundùm spécies suas. Factúmque est ita. Et fecit Deus béstias terræ juxta spécies suas ; & juménta, & omne réptile terræ in génere suo ; & vidit Deus quod esset bonum. Et ait. Faciámus hóminem ad imáginem & similitúdinem nostram ; & præsit píscibus maris & volatílibus cæli ; & béstiis universǽque terræ ; omníque réptili quod movétur in terra. Tu autem.

℞. Allelúia. Nomen bonum mélius est quam divítiæ multæ : * Super aurum & argéntum grátia bona est, allelúia, allel. ℣. Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua Dómine,

tis: mundus & miséricors foret. Quas virtútes, quantò plus quisque in seipso habet; tantò própiùs est Deo: & majórem sui conditóris gerit similitúdinem. Si verò quod absit; áliquis per dévia vitiórum & divórtia críminum ab hac nobilíssima sui conditóris similitúdine dégener obérrat: tunc fiet de eo quod scriptum est. Et homo cùm in hónore esset non intelléxit; comparátus est juméntis quæ sensum non habent: & símilis factus est illórum. Tu autem Dómine.

℟. In toto corde meo allelúia, exquisívi te allelúia: * Ne repéllas me à mandátis tuis allelúia, allelúia. ℣. In corde meo abscóndi elóquia tua, ut non peccem tibi. Ne repellas. Glória Patri. In toto corde.

Lectio vj.

QUi major honor pótuit hómini esse quàm ut ad similitúdinem sui factóris conderétur; & eísdem virtútum vestiméntis ornarétur quibus & conditor? Vel quod majus hómini potest esse dédecus aut infelicior miséria; quàm ut hac similitúdinis glória sui conditoris amíssa: ad infórmem & irrationábilem brutórum jumentórum, delabátur similitúdinem. Quaprópter quisque diligéntiùs atténdat primæ conditiónis suæ excelléntiam: & venerándam in seipso sanctæ Trinitátis imáginem agnóscat; honorémque similitúdinis divínæ ad quem creatus est: nobilitáte morum; exercítio virtútum; dignitáte meritórum: habére conténdat. Ut quandò appáreat qualis sit: tunc símilis ei appáreat; qui se mirabiliter ad similitúdinem suam, in primo Adam condídit: mirabiliúsque in secúndo reformávit. Tu autem.

℟. Deduc me in sémita mandatórum tuórum, allelúia: quóniam ipsam vólui, allelúia: * Inclina cor meum, in testimónia tua allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Avérte óculos meos ne videant vanitátem; in via tua vivífica me. Inclína. Glória Patri. Deduc me.

In tertio Nocturno.

Aña. Allelúia. *ad mod.*

Aña. Dómine adjútor. *sub*

qua dicuntur tres Psalmi sequentes. Psalmus. Cæli enárrant. *ut in Psaltério. 16. Aña.* Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Exaltáre Dómine in virtúte tua. ℟. Cantábimus & psallémus virtútes tuas, allelúia, allelúia, allelúia.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parabólam hanc. Símile est regnum Cælórum hómini patrifamílias; qui éxiit primo manè condúcere operários in víneam suam. Conventióne autem factâ cum operáriis; ex denário diúrno: misit eos in víneam suam. Et egréssus circa, horam tértiam: vidit álios stantes in foro otiósos. Et illis dixit; Ite & vos in víneam meam: & quod justum fúerit dabo vobis. Illi autem abiérunt. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ.

Homilia 19. in Evangel.

REgnum cælórum hómini patrifamílias símile dícitur: qui ad excoléndam víneam suam operários condúcit. Quis verò patrisfamílias similitúdinem réctiùs tenet quam cónditor noster; qui regit quos cóndidit: & eléctos suos sic in hoc mundo póssidet; quasi subjéctos Dóminus in domo. Qui habet víneam universálem scilícet Ecclésiam; quæ ab Abel justo usque ad últimum eléctum qui in fine mundi nascitúrus est: quot sanctos prótulit, quasi tot pálmites misit. Tu autem. ℟. Allelúia. Fac cum servo tuo:* Secúndùm mirabília tua: allelúia, allel. allel. ℣. Servus tuus sum ego, da mihi intelléctum: ut discam mandáta tua. Secúndùm. Glória Patri. Allel. Fac cum servo,

Lectio viij.

HIc ítaque paterfamílias ad excoléndam víneam suam: manè; hora tertia; sexta; nona, & undécima: operários condúcit. Quia à mundi hujus inítio usque in finem; ad erudiéndam plebem fidélium: prædicatóres congregáre non déstitit. Manè étenim mundi fuit ab Adam usque ad

Noë:

Noë: hora verò tértia à Noë usque ad Abraham. Sexta quoque ab Abraham usque ad Móysen; nona autem à Móyse usque ad advéntum Dómini: undécima verò, ab advéntu Dómini usque ad finem mundi. In quâ prædicatóres sancti Apóstoli, missi sunt: qui mercédem plenam, & tardè veniéntes accepérunt. Tu autem.

℟. Allelúia. Júdica judícium meum & rédime me allelúia: * A calumniántibus me, allelúia. ℣. Vide humilitátem meam & éripe me. A calumniántibus. Glória Patri. Allel Júdica.

Lectio ix.

AD erudiéndam ergo Dóminus plebem suã: quasi ad excoléndam víneam suam; nullo témpore déstitit operários míttere: quia & priùs per patres, & postmódum per legis Doctóres, & Prophétas; ad extrémum verò per Apóstolos: dum plebis suæ mores excóluit; quasi per operários: in víneæ cultúra laborávit. Quamvis in quólibet módulo vel mensúra; quisquis cum fide recta, bonæ prædicátor actiónis éxtitit: hujus víneæ operárius fuit. Tu autem.

℟. Allelúia. Audívimus eum in Ephrata, invénimus eum in campis silvæ, * Introíbimus, in tabernáculum ejus: adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus, allel. all. ℣. Surge Dómine in requiem tuam, tu & arca sanctificatiónis tuæ. Introíbimus. *Hoc Respons. non duplicatur quia dicitur.*

Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Añа. Allel. *ad modulum.*

Añа. Vivo ego. *sub qua dicuntur tres Psalmi sequentes.* Dóminus regnávit. Jubiláte, & Deus Deus meus. *ut in Psalterio.* 20.

Añа. Allelúia, allelúia, allelúia. allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Añа. Benedícat terra Dómino, & ómnia nascéntia in ea. Allelúia. Hymnum dicat, allelúia, allelúia, allelúia. *Canticum.* Benedícite. 22. *Añа.* Allelúia, allel. allel. *Psalm.* Laudáte Dóminum de cœlis. 23.

Capitulum.

NEscítis, quod ii qui in stádio currunt, omnes quidem currunt; sed

unus áccipit Bravíum : sic cúrrite ut comprehendátis.
℣. Dóminus regnávit.
℟. Decórem índuit, allelúia, allelúia, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Allelúia. *Ad modulum Aña.* Compléti sunt, *& post unumquemque versum usque ad.* ℣. Illumináre. *exclusive; dicitur tota, & duplicatur post* ℣. Glória Patri. *Extra Chorum verò, Duplicatur tantùm post.* Glória Patri. *Aña.* Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia. allel.

Orémus. *Oratio.*

PReces pópuli tui quæsumus Dómine cleménter exáudi; ut qui justè pro peccátis nostris afflígimur : pro tui nóminis glória, Misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Finitis Laudibus non dicitur ampliùs. Allelúia. *usque ad Sabbatum sanctum, sed post* ℣. Deus in adjutórium. *& Psalmos, ubi dicebatur.* Allelúia. *dicitur.* Laus tibi Dómine, rex ætérnæ glóriæ.

Ad Primam, loco Psalmi, Confitémini. *dicitur Psalmus.* Dóminus regnávit. 20. *& ita in aliis Dominicis usque ad Pascha.*

Ad Tertiam, Capitulum. Nescítis. *ut suprà.*
℟. Inclína cor meum, Deus, in testimónia tua.
℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem, in via tua vivífica me. Glória Patri.
℣. Ego dixi, Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Orémus. *Oratio.*

COncéde, quæsumus omnípotens Deus; ut viam tuam devóta mente curréntes : surripiéntium delictórum láqueos evadámus. Per Dóminum.

Ad Sextam.

Capitulum. 1. Cor. 9.

OMnis autem, qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet; & illi quidem ut corruptíbilem Corónam accípiant : nos autem incorrúptam.
℟. In ætérnum, Dómine, pérmanet verbum tuum.
℣. In cœlo, & in sæculum sæculi véritas tua. Glória Patri.
℣. Dóminus regit me, & nihil mihi déerit.
℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

VIde, Dómine, infirmitátes nostras: & celéri nobis pietáte succúrre. Per Dóminum.

Ad Nonam.

Capitulum. 1.Cor.10.

BIbébant autem de Spiritáli, consequénte eos, petrâ; Petra autem erat Christus: Sed non in plúribus eórum beneplácitum est Deo.

℟. Aspice in me, Dómine, & miserére mei.

℣. Secúndum judícium diligéntium Nomen tuum.

Glória Patri.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine.

℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Orémus. *Oratio.*

FAc nos, Dómine, quæsumus, mala nostra toto corde respúere: ut bona tua cápere valeámus. Per Dóminum.

Prædicta Orationes dicuntur ad Horas, etiam in Feriali Officio; usque ad Dominicam primam Quadragesimæ.

Ad Vesperas, Antiphona & Psalmus. Dixit Dóminus. *cum reliquis ut in Psalterio.* 148.

Capitul. Nescítis. *ut sup.*

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea.

℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Aña. Ite & vos in víneam meam, & quod justum fuérit dabo vobis. *Duplic.*

Oratio. Preces pópuli. *ut suprà.*

Ad primam Processionem. ℟. j. In princípio. *ut infrà, in Fer. ij.*

Oratio. Da, quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis. *ut in Sabbato præcedenti.* 449.

Ad secundam Processionē. ℟. ij. In Princípio Deus creávit. *ut infrà.*

Oratio. Percípiat. 449.

FERIA SECUNDA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 1.

ET creávit Deus Hóminem ad imáginem suā; ad imáginem Dei creávit illum: Másculum & Fœminam creávit eos. Benedixítque illis Deus, & ait. Créscite & multiplicámini, & repléte terram, & subjícite eam; & dominámini píscibus maris, & volatílibus cœli: & univérsis animántibus, quæ movéntur

super

super terram. Dixítque Deus. Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem semen super terram : & univérsa ligna, quæ habent in semetípsis seméntem géneris sui. Ut sint vobis in escam ; & cunctis animántibus terræ, omníque vólucri cæli, & univérsis, quæ movéntur in terrâ : & in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescéndum. Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat : & erant valdè bona. Et factum est véspere & manè : dies sextus.

℟. In Princípio fecit Deus cœlum & terram & creávit in ea hóminem :* Ad imáginem & similitúdinem suam. ℣. Formávit ígitur Dóminus hóminem de limo terræ, & inspirávit in fáciem ejus spiráculum vitæ. Ad imáginem.

Lectio ij. Cap. 2.

IGitur perfécti sunt cœli & terra : & omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus suum, quòd fécerat ; & requiévit die séptimo : ab univérso ópere, quod patrárat. Et benedíxit diéi séptimo, & sanctificávit illum ; quia in ipso cessáverat ab omni ópere suo : quod creávit Deus ut fáceret. Istæ sunt Generatiónes cœli & terræ, quandò creáta sunt : in die quo fecit Dóminus Deus cœlum & terram ; & omne virgúltum agri ántequam oriré tur in terra : omnémque herbam regiónis priúsquam germináret. Non enim plúerat Dóminus Deus super terram ; & Homo non erat, qui operarétur terram : Sed Fons ascendébat è terra, írrigans univérsam superfíciem terræ.

℟. In Princípio Deus creávit cœlum & terram, & Spíritus Dómini ferebátur super aquas :* Et vidit Deus cuncta quæ fécerat, & erant valdè bona. ℣. Igitur perfécti sunt cœli & terra, & omnis ornátus eórum. Et vidit.

Lectio iij.

FOrmávit ígitur Dóminus Deus Hóminem de Limo terræ ; & inspirávit in fáciem ejus spiráculum vitæ : & factus est Homo in Animam vivéntem. Plantáverat autem Dóminus Deus Paradísum voluptátis

luptátis à princípio: in quo pósuit Hóminem, quem formáverat. Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescéndum suáve; Lignum étiam vitæ in médio Paradísi: lignúmque sciéntiæ boni & mali. Et Flúvius egrediebátur de loco voluptátis, ad irrigándum Paradísum: qui inde divíditur in quátuor cápita.

℟. Formávit ígitur Dóminus Hóminem de limo terræ: & inspirávit in fáciem ejus spiráculum vitæ. * Et factus est homo, in ánimam vivéntem.

℣. Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam, ad imáginem Dei creávit illum. Et factus est. Glória Patri. Et factus est.

Ad Horas, Orationes ut in Dominica Septuagesimæ.

Ad Magnificat, Aña.

Quid hic statis, tota die otiósi? respondérunt & dixérunt; nemo nos condúxit.

FERIA TERTIA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 2.

Tulit ergò Dóminus Deus Hóminem, & pósuit eum in Paradíso voluptátis; ut operarétur, & custodíret illum: præcepítque ei, dicens. Ex omni ligno Paradísi comméde; de Ligno autem sciéntiæ boni & mali ne cómedas: In quocúmque enim die coméderis ex eo, morte moriéris. Dixit quoque Dóminus Deus; Non est bonum esse Hóminem solum: Faciámus ei adjutórium símile sibi.

℟. Tulit ergò Dóminus hóminem, & pósuit eum in paradíso voluptátis: * Ut operarétur, & custodíret illum. ℣. Plantáverat autem Dóminus Deus Paradísum voluptátis à princípio; in quo pósuit hóminem quem formáverat. Ut operáretur.

Lectio ij.

Formátis ígitur Dóminus Deus de humo cunctis animántibus terræ, & univérsis volatílibus cœli; addúxit ea ad Adam: ut vidéret quid vocáret ea. Omne enim quod vocávit Adam ánimæ vivéntis: ipsum est nomen ejus. Appellavítque Adam nomínibus suis cuncta animántia; & univérsa volatília cœli,

cœli, & omnes béstias terræ. Adæ verò non inveniebátur adjútor símilis eius.

℟. Dixit Dóminus Deus; non est bonum esse hóminem solum: * Faciámus ei adjutórium símile sibi.

℣. Adæ vero non inveniebátur símilis ejus; Dixit verò Deus. Faciámus.

Lectio iij.

IMmísit ergò Dóminus Deus sopórem in Adam; cumque obdormísset, tulit unam de costis ejus: & replévit carnem pro ea. Et ædificávit Dóminus Deus costam, quam túlerat de Adam, in Mulíerem: & addúxit eam ad Adam. Dixítque Adam; hoc nunc os ex óssibus meis, & caro de carne meâ: Hæc vocábitur Virágo, quóniam de viro sumpta est. Quámobrem relínquet Homo patrem suum & matrem; & adhærébit uxóri suæ: & erunt duo in carne una.

℟. Immísit Dóminus sopórem in Adam, & tulit unam de costis eius, & ædificávit costam quam túlerat de Adam in Mulíerem, & addúxit eam ad Adam: * Et vocávit nomen ejus Virágo, quia de viro suo sumpta est. ℣. Hoc nunc os, de óssibus meis, & caro de carne mea. Et vocábit. Glória Patri. Et vocávit.

Ad Magnificat, Aña. Voca operários, & redde illis mercedem suam dixit Dóminus.

FERIA QUARTA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 3.

SEd & Serpens erat callídior cunctis animántibus terræ: quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad Mulíerem. Cur præcépit vobis Deus; ut non comederétis de omni ligno Paradísi? Cui respóndit Múlier. De fructu Lignórum, quæ sunt in Paradíso, véscimur: de fructu verò Ligni, quod est in médio Paradísi, præcépit nobis Deus, ne comederémus; & ne tangerémus illud: ne fortè moriámur. Dixit autem Serpens ad Mulíerem: Nequáquam morte moriémini. Scit enim Deus; quòd in quocúmque die comedéritis ex eo, aperiéntur óculi vestri: & éritis sicut Dij, sciéntes bonum & malum. Vidit ígitur Múlier quòd bonum esset Lignum

ad vescéndum, & pulchrum óculis, aspectúque delectábile; & tulit de fructu illíus, & comédit: dedítque viro suo, qui comédit. Et apérti sunt óculi ambórum.

℟. Cùm deambuláret Dóminus in Paradíso ad aurã, post merídiem; clamávit & dixit; Adam ubi es? audívi Dómine vocem tuam: * Et abscóndi me. ℣. Vocem tuam audívi in Paradíso, & tímui eò quòd nudus essem. Et abscóndi me.

Lectio ij.

Cumque cognovíssent, se esse nudos; consuérunt fólia ficûs: & fecérunt sibi perizómata. Et cùm audíssent vocem Dómini Dei deambulántis in Paradíso ad auram post merídiem; abscóndit se Adam & uxor ejus à fácie Dómini Dei in médio Ligni Paradísi. Vocavítque Dóminus Deus Adam, & dixit ei; Ubi es? Qui ait. Vocem tuam audívi in Paradíso; & tímui eò quòd nudus essem: & abscóndi me. Cui dixit. Quis enim indicávit tibi quòd nudus esses? nisi quòd ex Ligno, de quo præcéperam tibi ne coméderes: comedísti. Dixítque Adam. Múlier, quam dedísti mihi sóciam; dedit mihi de Ligno: & comédi. Et dixit Dóminus Deus ad Mulíerem; quare hoc fecísti? Quæ respóndit. Serpens decépit me: & comédi.

℟. In sudóre, vultûs tui vescéris pane tuo, dixit Dóminus ad Adam; * Donec revertáris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in púlverem revertéris. ℣. Pro eo quod obedísti voci uxóris tuæ plus quàm meæ. Maledícta terra in ópere tuo, in labóribus cómedes eam. Donec revertáris.

Lectio iij.

Et ait Dóminus Deus ad Serpéntem. Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia, & béstias terræ; super pectus tuum gradiéris: & terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te & Mulíerem; & semen tuum, & semen illíus: Ipsa cónteret caput tuum, & tu insidiáberis calcáneo ejus. Mulíeri quoque dixit: Multiplicábo ærúm-

nas tuas,& concéptus tuos; in dolóre páries filios, & sub viri potestáte eris: & ipse dominábitur tui. Adæ verò dixit. Quia audísti vocem uxóris tuæ, & comedísti de Ligno, ex quo præcéperam tibi ne coméderes: maledícta terra in ópere tuo; in labóribus cómedes ex eâ: cunctis diébus vitæ tuæ. Spinas & tríbulos germinábit tibi: & cómedes herbam terræ. In sudóre vultûs tui vescéris pane; donec revertáris in terram, de quâ sumptus es: Quia pulvis es, & in púlverem revérteris. Et vocávit Adam nomen uxóris suæ Eva: eò quòd Mater esset cunctórum vivéntium.

℟. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. * Vidéte ne forte sumat de ligno vitæ & vivat in ætérnum. ℣. Et ejécit eum Dóminus Deus de Paradíso voluptátis; ut operarétur terram de qua sumptus est. Vidéte. Glória Patri. Vidéte.

Ad Magnificat, Aña. Dixit autem Paterfamílias: amíce non fácio tibi injúriam: nonnè ex denário convenísti mecum? tolle quod tuum est, & vade.

FERIA QUINTA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 4.

ADam verò cognóvit uxórem suam Evam; quæ concépit & péperit Cain, dicens: Possédi Hóminem per Deum. Rursúmque péperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel Pastor óvium: & Cain Agrícola. Factum est autem post multos dies; ut offérret Cain de frúctibus terræ: múnera Dómino. Abel quoque óbtulit de primogénitis gregis sui, & de adípibus eórum; & respéxit Dóminus ad Abel: & ad múnera ejus. Ad Cain verò, & ad múnera illíus non respéxit; iratúsque est Cain veheménter: & cóncidit vultus ejus. Dixítque Dóminus ad eum. Quare irátus es, & cur cóncidit fácies tua? Nonne si benè égeris, recípies; sin autem malè, statim in fóribus peccátum aderit? sed sub te erit appetítus ejus: & tu domináberis illíus,

℟. Ubi est Abel frater tuus, dixit Dóminus ad Cain. Néscio, numquid custos

fratris

fratris mei sum ego? & dixit ad eum; quid fecísti. * Ecce vox sánguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. ℣. Nunc ergo maledictus eris super terram, quæ apéruit os suum, & suscépit sánguinem fratris tui de manu tua. Ecce vox.

Lectio ij.

DIxítque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediámur foras. Cúmque essent in agro; consurréxit Cain adversus fratrē suum Abel: & interfécit eum. Et ait Dóminus ad Cain. Ubi est Abel frater tuus? Qui respóndit, Nescio; num custos fratris mei sum ego? Dixítque ad eum, Quid fecísti? Vox sánguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. Nunc ígitur maledictus eris super terram; quæ apéruit os suum: & suscépit sánguinem fratris tui de manu tuâ. Cùm operátus fúeris eam, non dabit fructus suos: vagus & prófugus eris super terram.

℟. In princípio Deus, creávit cœlum. *ut in Fer. ij. præced.* *Lectio iij.*

DIxítque Cain ad Dóminum: Major est iníquitas mea, quàm ut véniam mérear. Ecce ejícis me hódiè à fácie terræ; & à fácie tuâ abscóndar: & ero vagus & prófugus in terrâ. Omnis ígitur, qui invénerit me: occídet me. Dixítque ei Dóminus. Nequáquam ita fiet; sed omnis qui occíderit Cain: séptuplum puniétur. Posuítque Dóminus Cain signū; ut non interficeret eum omnis: qui inveníſſet eum. Egressúsque Cain à fácie Dómini: habitávit prófugus in terra, ad Orientálem plagam Edem.

℟. Formávit ígitur.

Ad Magnificat, Aña. Sic erunt novíssimi primi, & primi novíssimi; multi enim sunt vocáti pauci verò elécti.

FERIA SEXTA.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 4.

COgnóvit autem Cain uxórem suam; quæ concépit, & péperit Enoch: Et ædificávit Civitátem, vocavítque nomen ejus, ex nómine filii sui, Enoch. Porrò Enoch génuit Irad, & Irad génuit Mavíaël, & Maviaël génuit Mathúsaël: & Mathúsaël génuit

Lamech.

Lamech ; qui accépit duas uxóres, nomen uni Ada, & nomen álteri Sella: genuítque Ada Jabel, qui fuit Pater habitántium in tentóriis, atque pastórum. Et nomen fratris ejus Jubal: Ipse fuit Pater canéntium cythara & órgano. Sella quoque génuit Tubálcain: qui fuit malleátor & faber in cuncta ópera, æris & ferri. Soror verò Tubálcain Noema.

℟. Tulit ergò.

Vt in Feria iij. præcedenti.

Lectio ij.

DIxítque Lamech uxóribus suis Adæ & Sellæ: Audíte vocem meam, uxóres Lamech, auscultáte sermónem meum ; quóniam occídi virum in vulnus meum: & adolescéntulum in livórem meum. Séptuplum últio dábitur de Cain: de Lamech verò septuágies sépties. Cognóvit quoque adhuc Adam uxórem suam, & péperit filium ; vocavítque nomē ejus Seth, dicens: Pósuit mihi Deus semen áliud pro Abel, quem occídit Cain. Sed & Seth natus est filius, quem vocávit Enos: Iste cœpit invocáre Nomen Dómini.

℟. Dixit Dóminus.

Lectio iij. Cap. 5.

HIc est Liber generatiónis Adam. In die, quâ creavit Deus Hóminem, ad similitúdinem Dei fecit illum ; Masculum & fœminam creávit eos, & benedíxit illis: & vocávit nomen eórum Adam, in die quo creáti sunt. Vixit autem Adam centum trigínta annis ; & génuit ad imáginem & similitúdinē suam: vocavítque nomen ejus Seth. Et facti sunt dies Adam; postquā génuit Seth, octogénti anni: genuítque filios & filias. Et factum est omne tempus, quod vixit Adam ; anni nongénti trigínta: & mórtuus est.

℟. Immísit Dóminus.

Ad Magnificat, Aña. Multi enim sunt vocáti, pauci verò elécti, dixit Dóminus.

SABBATO.

De Libro Genesis.

Lectio j. Cap. 5. *b*

VIxit autem Malaleel sexagínta quinque annis: & génuit Jared. Et vixit Maláleel postquàm génuit Jared, octingéntis trigínta

ginta annis: & génuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Maláleel octingénti nonagínta quinque anni: & mórtuus est. Vixítque Jared centum sexagínta duóbus annis, & génuit Enoch. Et vixit Jared, postquā genuit Enoch, octingéntis annis, & génuit filios & filias; Et facti sūt omnes dies Jared nongénti sexagínta duo anni: & mórtuus est. Porrò Enoch, vixit sexagínta quinque annis: & génuit Mathúsalā.

℟. Cum deambuláret. *ut in Fer. iv. præcedenti.* 461.

Lectio ij.

ET ambulávit Enoch cū Deo, & vixit, postquàm génuit Mathúsalam, trecéntis annis; & génuit filios & filias: & facti sunt omnes dies Enoch trecénti sexagínta quinque anni. Ambulavítque cum Deo; & non appáruit: quia tulit eum Deus. Vixit quoque Mathúsala centum octogínta septem annis: & génuit Lamech. Et vixit Mathúsala, postquàm génuit Lamech, septingéntis octogínta duóbus annis, & génuit filios & filias; & facti sunt omnes dies Mathúsala, nongénti sexagínta novem anni: & mórtuus est.

℟. In sudóre.

Lectio iij.

VIxit autem Lamech cētum octogínta duóbus annis, & genuit filium; vocavítque nomen ejus Noë, dicens: Iste consolábitur nos ab opéribus & labóribus mánuum nostrárum in terrá, cui maledixit Dóminus. Vixítque Lamech, postquàm genuit Noë, quingéntis nonagínta quinque annis, & genuit filios & filias; & facti sunt omnes dies Lamech, septingénti septuagínta septem anni: & mórtuus est.

℟. Ecce Adam.

S A B B A T O
ante Sexagesimam.
Ad Vesperas.

Capitulum. 2. Cor. 11.

LIbénter suffértis insipiētes, cum sitis ipsi sapiéntes; Sustinétis enim, si quis vos in servitútē rédigit, si quis dévorat, si quis áccipit, si quis extóllitur: si quis in fáciem vos cædit.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te Dómine.

℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad

Ad Magnificat, Aña. Qui Verbum Dei rétinent corde perfecto & óptimo, fructum ásserunt in patiéntia.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui cónspicis, quia ex nullâ nostrâ actióne confidimus : concéde propítius ; ut contra advérsa ómnia : Doctóris géntium protectióne muniámur. Per Dóminum.

Ad primam Processionem.

℟. j. Dixit Dóminus ad Noë. *ut infrà.*

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus omnípotens Deus ; ut qui infirmitátis nostræ conscii de tuâ virtúte confídimus : sub tuâ semper pietáte gaudeámus. Per Dñm.

Ad 2. Processionem.

℟. ij. Noë, vir justus.

Orémus. *Oratio.*

PErcípiat, Dómine quæsumus, pópulus tuus misericórdiam quam depóscit : & quam precátur humíliter, indulgéntiam consequátur & pacem. Per Dóminum.

DOMINICA

Sexagesimæ.

Ad Matutinum, Invitat. Præoccupémus fáciem Dómini, & in Psalmis jubilémus ei. *Psalm.* Veníte. 2.

In primo Versu Psalmi, omittitur Præoccupémus fáciem ejus. Et *ejus loco repetitur à Choro Invitatorium.*

Aña, Psalmi & Versiculi Nocturnorum ut in Psalterio. 3.

In primo Nocturno.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 5. & 6.

NOë verò cùm quingentórum esset annórum : génuit Sem, Cham & Japhet. Cúmque cœpíssent hómines multiplicári super terram, & filias procreássent; vidéntes filii Dei filias hóminum quòd essent pulchræ : accepérunt sibi uxóres ex ómnibus, quas elégerant. Dixítque Deus. Non permanébit Spíritus meus in hómine in ætérnum, quia caro est : eruntque dies illíus cẽtum vigínti annórum. Gigántes autem erant super terram in diébus illis. Postquàm enim ingréssi sunt filii Dei ad filias hóminum; illæque genuérunt : Isti sunt poténtes à sęculo, viri famósi.

℟. Dixit Dóminus ad Noë : Finis univérsæ carnis venit coram me ; repléta

pléta est terra iniquitáte eórum : & ego dispérdam eos. * Cum terrâ.

℣. Delebo [inquit] Hóminem, quem creávi à fácie terræ, ab hómine usque ad animántia. Cum terrâ.

Lectio ij.

VIdens autem Deus quòd multa malitia hóminum esset in terra ; & cuncta cogitátio cordis inténta esset ad malum omni témpore : pœnituit eum, quòd Hóminem fecísset in terrâ. Et táctus dolóre cordis intrínsecùs ; delebo, inquit, hóminem quem creávi à fácie terræ : ab hómine usque ad animántia ; à réptili usque ad vólucres cœli : pœnitet enim me fecísse eos. Noë verò invénit grátiam coram Dño.

℟. Noë, vir justus atque perféctus, cum Deo ambulávit : * Et fecit ómnia quæcúmque præcépit ei Deus.
℣. Fecit sibi arcam, ut salvarétur univérsum semen. Et fecit.

Lectio iij.

HÆ sunt generatiónes Noë. Noë, vir justus atque perféctus fuit in generatiónibus suis; cum Deo ambulávit : Et génuit tres filios, Sem, Cham & Japheth. Corrupta est autem terra coram Deo : & repléta est iniquitate. Cúmque vidisset Deus terram esse corrúptam ; [omnis quippe caro corrúperat viã suam super terram] : dixit ad Noë. Finis univérsæ carnis venit coram me : repléta est terra iniquitáte à fácie eórum ; & ego dispérdam eos : cum terrâ. Fac tibi Arcam de lignis lævigátis, mansiunculas in Arcâ fácies : & bitúmine línies intrinsecùs & extrínsecùs. Et sic fácies eam. Trecentórum cubitórum erit longitúdo Arcæ; quinquagínta cubitórum latitúdo : & trigínta cubitórum altitúdo illius.

℟. Quadragínta dies & noctes apérti sunt cœli, & ex omni carne habénte spíritum vitæ ingréssa sunt in Arcam : * Et clausit à foris óstium Dóminus.
℣. In artículo diéi illíus ingréssus est Noë in Arcã, & filii ejus, & uxor illíus, & uxóres filiórum ejus. Et clausit. Glória Patri. Et clausit.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Ambrósij Epísc.

Ex

Ex Libro de Noë & Arca. c.4. circa med. *Lectio iv.*

HAbes, quia irátus Dóminus est ? Quóniam quamvis cogitáret, hoc est, sciret, quia homo pósitus in terræ regióne, carnem portans, sine peccáto esse non possit; [terra enim velut quidam tentatiónis locus est, carόque corruptélæ illécebra] ? tamen cùm habérent mentem ratiónis capácem, virtutémque ánimæ infúsam córpori; sine consideratióne áliqua in lapsum ruérunt ? ex quò revocáre se nollent. Neque enim Deus cógitat sicut hómines; ut áliqua ei nova succédat senténtia ? neque iráscitur quasi mutábilis. Sed ídeò hæc legúntur; ut exprimátur peccatórum nostrórum acérbitas, quæ Divínam merúerit offénsam ? tamquàm eóusque incréverit culpa; ut étiam Deus, qui naturáliter non movétur aut irâ, aut ódio, aut passióne ullâ ? provocátus videátur ad iracúndiam.

℟. In artículo diéi illíus ingréssus est Noë in Arcam, & filii ejus, * Uxor illíus, & uxóres filiórum ejus. ℣. Deléta sunt univérsa de terrâ, remánsit autem solus Noë, & qui cum eò erant in Arca. Uxor illíus.

Lectio v.

MInitátus est prætéreà, quòd deléret hóminem. Ab hómine inquit, usque ad pecus ? & à reptílibus usque ad volatília delébo. Quid læserant irrationabília ? Sed quia propter hóminem illa facta erant ? eò útique deléto, propter quem facta sunt, consequens erat; ut étiam illa deleréntur ? quia non erat, qui his uterétur. Sensu autem altióre illud manifestátur; quia homo mens est, quæ est ratiónis capax ? Homo enim definítur, animal vivum, mortále, rationále. Principáli ígitur extíncto, étiam sensus omnis extínguitur; eò, quòd nihil réliqui ad salútem supérsit ? cùm salútis fundaméntum, virtus defécerit.

℟. Recordátus Dóminus Noë, addúxit Spíritum super terram, & imminútæ sunt aquæ: * Et prohíbitæ sunt plúviæ de cœlis.

℣. Reversǽque sunt aquæ de terrâ eúntes & redeúntes,

& cœpérunt mínui post centum quinquagínta dies. Et prohibitæ. *Lectio vj.*

AD condemnatiónem autem cæterórum; & ad expreſſiónem pietátis Divínæ: dícitur Noë apud Deum grátiam inveniſſe. Simul oſténditur; quòd hóminem juſtum non obúmbret aliórũ offénſio: quandò ipſe ad totíus géneris reſervátur Semináriũ. Qui non generatiónis Nobilitáte, ſed juſtitiæ & perfectiónis méritò laudátur; Probáti enim viri genus: virtútis prosápia eſt. Quia ſicut hóminum genus hómines: ita animárum genus virtútes ſunt. Etenim famíliæ ſplendóre géneris nobilitántur; animárum autem clarificátur grátia: ſplendóre virtútis.

℟. Ædificávit Noë Altáre Dómino, ófferens ſuper illud holocaúſtum: Odorátus eſt Dóminus odórem ſuavitátis, & benedíxit eis; * Creſcite, & multiplicámini, & repléte terram.

℣. Ecce ego ſtátuam pactum meum vobíſcum, & cum sémine veſtro poſt vos. Creſcite. Glória Patri. Creſcite.

In tertio Nocturno.

Léctio ſancti Evangelii: ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore: Cùm turba plúrima convenſret; & de civitátibus properárent ad Jeſum: dixit per Similitúdinem: exiit qui séminat, ſemináre ſemen ſuum. Et dum séminat áliud cécidit ſecus viã; & conculcátum eſt: & vólucres cœli comedérunt illud. Et áliud cécidit ſupra petram; & natum áruit: quia non habébat humórem. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

Homil. 15. in Evang.

LEctio ſancti Evangelii, quam modò, Fratres charíſſimi, audíſtis; expoſitióne non índiget: ſed admonitióne. Quam enim per ſemetípſam véritas expóſuit: hanc diſcútere humana fragílitas non præſúmat. Sed eſt, quod ſollícitè in hac ipsâ expoſitióne Dñica pensáre debeámus: Quia ſi nos vobis Semen, Verbum; Agrum, Mundũ; Vólucres, Dæmónia; Spinas Divítias ſignificáre dicerémus: ad credéndum nobis, mens fórſitan

vestra dubitáret. Undè & idem Dóminus per semetípsum dignátus est expónere quod dicebat; ut sciátis rerum significatiónes quærere: in iis étiam, quæ per semetípsum noluit explanáre.

℟. Ponam Arcum meum in núbibus cœli, dixit Dóminus ad Noë: * Et recordábor fœderis mei, quod pépigi tecum.

℣. Cúmque obdúxero núbibus cœlum, apparébit Arcus meus in núbibus. Et recordábor.

Lectio viij.

EXponéndo ergo quod dixit, figuráte se loqui innótuit; quátenùs certos vos rédderet: cùm vobis nostra fragílitas, verbórum illíus figuras aperíret. Quis enim mihi unquàm créderet, si spinas divítias interpretári voluíssem; maximè cùm illæ pungant, istæ deléctent? Et tamen spinæ sunt: quia cogitatiónum suárum punctiónibus mentem lácerant; & cùm usque ad peccátum pértrahunt: quasi inflícto vúlnere cruéntant. Quas benè hoc in loco; alio Evangelístâ testánte: nequáquam Dóminus divítias, sed falláces divítias appéllat.

℟. Per memetípsum jurávi, dicit Dóminus, non adjíciam ultra aquas dilúvii super terram: pacti mei recordábor; * Ut non perdam aquis dilúvii omnem carnem. ℣. Arcum meum ponám in núbibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Ut non perdam.

Lectio ix.

FAlláces enim sunt: quæ nobíscum diu permanére non possunt. Falláces sunt: quæ mentis nostræ inópiam non expellunt. Solæ autem divítiæ veræ sunt: quæ nos dívites virtútibus fáciunt. Si ergo Fratres charíssimi, dívites esse cúpitis, veras divítias amáte; si culmen veri honóris quærítis, ad cœléste Regnum téndite: Si glóriam dignitátum dilígitis, in illa supérna Angelórum Cúria adscríbi festináte. Verba Dei, quæ aure percípitis: mente retinéte. Cibus enim mentis est sermo Dei; & quasi accéptus cibus stomacho languénte rejícitur: quando audítus sermo in ventre memóriæ

non retinétur. Sed quisquis aliménta non rétinet : hujus profectò vita desperátur.

℟. Ecce ego státuam pactum meum vobíscum, & cum sémine vestro post vos : * Neque erit deínceps dilúvium, dissipans terram. ℣. Arcum ponam in núbibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram. Neque. Glória Patri. Neque.

AD LAUDES.

Aña. Miserére mei Deus, & à delicto meo munda me, quia tibi soli peccávi. *Ps.* Miserére mei Deus. 69. *Aña.* Confitébor tibi Dómine, quóniam exaudísti me. *Psal.* Confitémini. 26. *Aña.* Deus Deus meus ad te de luce vígilo, quia factus es adjútor meus. *Psal. idem* 21. *Aña.* Benedíctus es, in firmaměto cęli, & laudábilis in sæcula Deus noster. *Cantic.* Benedícite 22. *Aña.* Laudáte Dóminum de cœlis. *Psalm. idem* 23.

Capitulum. 2. Cor. 11.

LIbénter suffértis insipiéntes, cùm sitis ipsi sapiéntes ; sustinétis enim si quis vos in servitútem rédigit, si quis dévorat, si quis áccipit, si quis extóllitur ; si quis in fáciem vos cædit.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne & progénie.

Ad Benedictus, Aña. Vobis datum est nosse mystérium Regni Dei ; cæteris autem in Parábolis, dixit Jesus Discípulis suis.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui cónspicis, quia ex nullâ nostrâ actióne confídimus ; concéde propítius ; ut contra advérsa ómnia ; Doctóris Géntium protectióne muniámur. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Capitul. Libénter. *ut suprà.* ℟. Inclína cor meum, *ut in Dominica Septuag. Oratio.* Concéde. 456.

Ad Sextam, Capitulum. 2. Cor. 11.

TEr virgis cæsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium feci ; nocte & die in profúndo maris fui.

℟. In ætérnum, *ut in Dom. Septuages. Oratio.* Vide Dómine. 456.

Ad Nonă. Capit. 2. Cor. 12

LIbénter ígitur gloriábor in infirmitátibus

meis: ut inhábitet in me Virtus Christi.

℟. Aspice in me. *ut in Dominic. Septuag.*

Oratio. Fac nos.

Ad Vesperas, Aña & Psal. Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.* 148.

Capitul. Libénter. *ut sup.*

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat. Aña. Jesus, hæc dicens, clamábat; Qui habet aures audiéndi, audiat. *Oratio.* Deus, qui cónspicis, *ut sup. ad Laud.*

Ad primam Processionem.

℟. j. Dixit Dóminus ad Noë. *ut in Sabbato præced.*

Orat. Da quæsumus. 466.

Ad 2. Processionem.

℟. ij. Noë, Vir justus.

Oratio. Percípiat. *ibid.*

FERIA SECUNDA.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 7.

DIxit Dómin⁹ ad Noë: Ingrédere tu, & omnis Domus tua in Arcam; te enim vidi justum coram me: in generatióne hâc. Ex ómnibus animántibus mundis tolle septéna & septéna, másculum & fœminam; de animántibus verò immúndis duo & duo: másculum & fœminam. Sed & de volatílibus cœli septéna & septéna, másculum & fœminam: ut salvétur semen super fáciem univérsæ terræ. Adhuc enim, & post dies septem Ego pluam super terram quadragínta diebus, & quadragínta diebus, & quadragínta nóctibus; & delébo omnem substántiam, quàm feci: de superfície terræ.

℟. Dixit Dóminus. *ut in primo Nocturno Dominicæ præcedentis.* *Lectio ij.*

FEcit ergò Noë ómnia, quæ mandáverat ei Dóminus; cúmque transíssent septem dies: aquæ dilúvii inundavérunt super terram. Anno sexcentésimo vitæ Noë, mense secundo, septimodécimo die mensis: rupti sunt omnes fontes Abyssi magnæ; & cataráctæ cœli apértæ sunt, & facta est plúvia super terram: quadragínta diébus, & quadragínta nóctibus.

℟. Noë, vir justus.

Lectio iij.

IN artículo diéi illíus ingréssus est Noë, & Sem, & Cham, & Japheth, filii ejus; uxor illíus, & tres

uxóres

uxóres filiórum ejus cum eis, in Arcam: Ipsi & omne ánimal secúndum genus suum; universáque jumenta in génere suo, & omne quod movétur super terram in génere suo: cunctúmque volátile secúndum genus suum. Factúmque est Dilúvium quadraginta diebus super terram; & multiplicátæ sunt aquæ & elevavérunt Arcam in sublíme à terrâ.

℟. Quadraginta dies.

Ad Magnificat. Aña. Semen cécidit in terram bonam, & áttulit fructum in patiéntia.

FERIA TERTIA.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 8.

REcordátus autē Deus Noë, cunctorúmque animántium, & ómnium jumentórum, quæ erant cum eo in Arcâ; addúxit spíritum super terram: & imminútæ sunt aquæ. Et clausi sunt fontes abyssi; & cataráctæ cœli: & prohíbitæ sunt plúviæ de cœlo. Reversæque sunt aquæ de terra, eúntes & redeúntes; & cœpérunt minui: post centum quinquagínta dies. Requievítque Arca mense séptimo, vigésimo séptimo die mensis: super montes Arméniæ.

℟. In articulo. *ut in secundo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

AT verò aquæ ibant & decrescébant usque ad décimum mensem; décimo enim mense, primâ die mensis: apparuérunt cacúmina montium. Cumque transíssent quadragínta dies; apériens Noë fenestrâ Arcæ, quam fécerat, dimísit corvum: Qui egrediebátur, & non revertebátur, donec siccaréntur aquę super terram. Emísit quoque Colúmbam post eum: ut vidéret, si jam cessássent aquæ super fáciem terræ. Quæ cùm non invenísset ubi requiésceret pes ejus: revérsa est ad eum, in Arcam.

℟. Recordátus Dñs.

Lectio iij.

EXpectátis autem ultrà septem diebus áliis: rursùm dimísit Colúmbam ex Arcâ. At illa venit ad eum ad vésperam; portans Ramum olívæ viréntibus fóliis: in ore suo. Intelléxit ergò Noë quòd cessas-

sent aquæ super terram. Expectavítque nihilóminùs septem álios dies; & emísit Columbam: quæ non est revérsa ultrà ad eum. Igitur sexcentésimo primo anno; primo mense, primâ die mensis: imminútæ sunt aquæ super terram.

℟. Ædificávit Noë.

Ad Magnificat, Aña. Semen cécidit in terram bonam, & attulit fructum, áliud centésimum, áliud sexagésimum.

FERIA QUARTA.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 8.

LOcútus est autem Deus ad Noë, dicens. Egrédere de Arcâ, tu & uxor tua: filii tui & uxóres filiórum tuórũ tecum. Cuncta animántia, quæ sunt apud te, ex omni carne, tàm in volatílibus, quàm in béstiis, & univérsis reptílibus, quæ reptant super terram; educ tecum & ingredímini super terram: créscite & multiplicámini super eam. Egréssus est ergò Noë, & filii ejus; uxor illíus: & uxóres filiórum ejus cum eo. Sed & ómnia animántia, juménta, & reptília quæ reptant super terram; secúndum genus suum: egréssa sunt de Arcâ.

℟. Ponam Arcum. *ut in tertio Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

ÆDificávit autem Noë Altáre Dómino; & tollens de cunctis pecóribus, & volúcribus mundis: óbtulit holocáusta super altáre. Odoratúsque est Dóminus odórem suavitátis, & ait. Nequáquam ultra maledícam terræ propter hómines; sensus enim & cogitátio humáni cordis in malum prona sunt ab adolescéntia sua: non ígitur ultrà percútiam omnem ánimam vivéntem, sicut feci. Cunctis diebus terræ: seméntis & messis; frigus & æstus; æstas & hyems; & nox & dies: non requiéscent.

℟. Per memetípsum.

Lectio iij.

BEnedixítque De⁹ Noë, & filiis ejus; & dixit ad eos: Créscite & multiplicámini, & repléte terram, & terror vester ac tremor sit super cuncta animália terræ; & super omnes vólucres cœli, cum univérsis,

vérsis, quæ movéntur super terram: Omnes pisces maris mánui vestræ tráditi sunt. Et omne quod movétur & vivit, erit vobis in cibum; quasi olera viréntia, trádidi vobis ómnia: Excépto, quòd carnem cum sánguine non comedétis. Sánguinem enim animárum vestrárum requíram de manu cunctárum bestiárum; & de manu hóminis: de manu viri, & fratris ejus, requíram ánimam hóminis. Quicúmque effúderit humánum sánguinem; fundétur sanguis illíus: ad imáginem quippe Dei factus est Homo.

℟. Ecce ego státuam.

Ad Magnificat, Aña.

Qui Verbum Dei rétinent corde perfécto & óptimo; fructum ásferunt in patiéntia.

FERIA QUINTA.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 9.

DIxítque Deus; Hoc signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem ánimam vivéntem, quæ est vobíscum: in generatiónes sempitérnas. Arcum meum ponam in núbibus; & erit signum fœderis inter me: & inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum; apparébit Arcus meus in núbibus, & recordábor fœderis mei vobíscum: & cum omni ánima vivénte, quæ carnem végetat; & non erunt ultrà aquæ dilúvij: ad deléndum univérsam carnem.

℟. Dixit Dóminus ad Noë. *ut in primo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

CÆpítque Noë vir agrícola exercére terram: & plantávit víneam. Bibénsque vinum inebriátus est: & nudátus in tabernáculo suo. Quod cùm vidísset Cham Pater Chánaan, verénda scílicet Patris sui esse nudáta: nunciávit duóbus frátribus suis foras. At verò Sem & Japheth pállium imposuérunt húmeris suis; & incedéntes retrórsum, operuérunt verénda Patris sui: faciésque eórum avérsæ erant, & patris virília non vidérunt.

℟. Noë, vir justus.

Lectio iij.

EVígilans autem Noë ex vino; cùm didicísset

quæ fécerat ei filius suus minor :' ait. Maledíctus Chánaan:' servus servórum erit frátribus suis. Dixítque; Benedíctus Dóminus Deus Sem :' sit Chánaan servus ejus. Dilátet Deus Japheth, & hábitet in tabernáculis Sem :' sitque Chánaan servus ejus. Vixit autem Noë post dilúvium trecéntis quinquagínta annis; & impléti sunt omnes dies ejus nongentórum quinquagínta annórum:' & mórtuus est.

℟. Quadragínta dies.

Ad Magnificat, Aña. Vobis datum est nosse mystérium Regni Dei; cœteris autem in Parábolis, dixit Jesus discípulis suis.

FERIA SEXTA,

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 10.

HÆ sunt generatiónes Filiórum Noë, Sem, Cham & Japheth :' natíque sunt eis filij post Dilúvium. Fílij Japheth, Gomer & Magog, & Mádai :' & Javan & Tubal, & Mosoch, & Tiras. Porrò Fílij Gomer, Ascenez, & Riphath, & Thogórma. Fílij autem Javam, Elísa & Tharsis, Cetthim & Dódanim. Ab his divísæ sunt ínsulæ géntium in regiónibus suis; unusquísque secúndum linguam suam, & famílias suas :' in natiónibus suis. Fílij autem Cham, Chus, & Mésraim, & Phuth, & Chánaan.

℟. In articulo. *ut in secundo Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij. Cap. 10.

ERat autem terra lábij uníus :' & sermónum eorúmdem. Cumque proficisceréntur de Oriénte, invenérunt campum in Terra Sénnaar :' & habitavérunt in eo. Dixítque alter ad próximum suum; veníte, faciámus latéres :' & coquámus eos igni. Habuerúntque latéres pro saxis; & bitúmen pro cæménto:' & dixérunt. Veníte, faciámus nobis Civitátem & Turrim, cujus culmen pertíngat ad cœlum; & celebrémus nomen nostrum :' ántequam dividámur in univérsas terras.

℟. Recordátus Dóminus Noë. *Lectio iij.*

DEscéndit autem Dóminus ut vidéret Civitátem & Turrim; quam ædificábant Fílij Adam :' & dixit.

dixit. Ecce unus est pópulus, & unum lábium ómnibus ; cœperúntque hoc fácere, nec desistent à cogitatiónibus suis : donec eas ópere cómpleant. Venite ígitur ; descendámus & confundámus ibi linguam eórum : ut non áudiat unusquísque vocem próximi sui. Atque ita divísit eos Dóminus ex illo loco in univérsas terras : & cessavérunt ædificáre Civitátem.

℟. Ædificávit Noë.

Ad Magnificat, Aña. Jesus hęc dicens, clamábat; Qui habet aures audiéndi, áudiat.

S A B B A T O.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 11. b

HÆ sunt Generatiónes Sem. Sem erat centum annórum ; quandò génuit Arpháxad : biénnio post Dilúvium. Vixítque Sem, postquàm génuit Arpháxad, quingéntis annis : Et génuit filios & filias. Porrò Arpháxad vixit trigínta quinque annis : & génuit Sale. Vixítque Arpháxad, postquam génuit Sale, trecéntis tribus annis; & génuit filios & filias : Sale quoque vixit trigínta annis & génuit Heber. Vixítque Sale, postquam génuit Heber, quadringéntis tribus annis : & génuit filios & filias.

℟. Ponam arcum. *ut in iij. Noct. Dominicæ præced.*

Lectio ij.

VIxit autem Heber trigínta quátuor annis, & génuit Phaleg. Et vixit Heber, postquam génuit Phaleg, quadringéntis trigínta annis : & génuit filios & filias. Vixit quoque Phaleg trigínta annis, & génuit Reu. Vixítque Phaleg, postquam génuit Reu, ducéntis novem annis : & génuit filios & filias. Vixit autem Reu trigínta duóbus annis, & génuit Sarug. Vixit quoque Reu, postquàm génuit Sarug, ducéntis septem annis ; & génuit filios & filias : Vixit verò Sarug trigínta annis, & génuit Nachor. Vixítque Sarug, postquam génuit Nachor, ducéntis annis : & génuit filios & filias

℟. Per memetípsum.

Lectio iij.

VIxit autem Nachor vigínti novem annis : & génuit Thare. Vixítque

Nachor postquam génuit Thare, centum decem & novem annis: & génuit filios & filias. Vixítque Thare septuagínta annis: & génuit Abram, & Nachor, & Aran. Hæ sunt autem Generatiónes Thare. Thare génuit Abram, Nachor & Aran. Porrò Aran génuit Loth. Mortuúsque est Aran ante Thare patrem suum; in Terrâ Nativitátis suæ: in Ur Chaldæórum. Duxérunt autem Abram & Nachor uxóres; nomen uxóris Abram, Sárai: & nomen uxóris Nachor, Melcha; filia Aran Patris Melchæ: & Patris Jeschæ. Erat autem Sárai stérilis, nec habébat líberos.

℟. Ecce ego statuam.

SABBATO

Ante Quinquagesimam.

AD VESPERAS.

Capitulum. 1. Cor. 13.

SI linguis hóminum loquar & Angelórum; Charitátem autem non hábeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tínniens.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine.

℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnificat, Ant. Ecce ascéndimus, Jerosólymam, & consummabúntur ómnia, quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio Hóminis.

Orémus. *Oratio.*

PReces nostras, quæsumus Dómine, cleménter exáudi; atque à peccatórum vínculis absolútos: ab omni nos adversitáte custódi. Per Dóminum.

Ad primam Processionem. ℟. j. Locútus est Dóminus. *ut infra in j. Noct.*

Oratio. Da quæsumus. *ut in Sabbato ante Dominicam Sexagesimæ.* 466.

Ad secundam Processionem. ℟. ij. Movens Abraham. *ut infra. Oratio.* Percípiat. *ut in eodem Sabbato ante Dominicam Sexag.*

DOMINICA

Quinquagesimæ.

Ad Matutinum, Invit. Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus super omnes Deos. *Psalmus.* Veníte exultémus. 2.

Secundus Versus Psalmi, sic incipit. Quóniam non repéllet.

Antiphonæ, Psalmi, & Versiculi Nocturnorum ut in Psalterio. 3.

In primo Nocturno.
De Libro Génesis.
Lectio j. Cap. 12.

Dixit autem Dóminus ad Abram. Egrédere de Terra tua, & de cognatióne tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrábo tibi; faciámque te in Gentem magnam, & benedicam tibi: & magnificabo nomen tuum, erísque Benedíctus. Benedícam benedicéntibus tibi; & maledícam maledicéntibus tibi: atque in te benedicéntur univérsæ cognationes terræ. Egréssus est itaque Abram, sicut præcéperat ei Dóminus: & ivit cum eo Loth. Septuaginta quinque annórum erat Abram: cum egrederétur de Haran. Tulítque Sárai uxórem suam, & Loth filium fratris sui; univer sámque substántiam quam possederant: & ánimas quas fécerant in Haran. Et egréssi sunt ut irent in terram Chánaan. Cumque veníssent in eam; pertransívit Abram Terram usque ad Locum Sichem, usque ad Convállem illústrem: Chananæus autem tunc erat in terra.

℟. Locutus est Dóminus ad Abram, dicens: Egrédere de Terra, & de Cognatióne tua, & veni in Terram, quam monstrávero tibi: * Et fáciam te In Gentem magnam.
℣. Benedícens benedícam tibi, & multiplicábo te. Et fáciam.

Lectio ij.

Appáruit autem Dóminus Abram, & dixit ei: Sémini tuo dabo Terram hanc. Qui ædificávit altáre Dómino: qui apparúerat ei. Et inde transgrédiens ad Montem, qui erat contra Oriéntem, Bethel: teténdit ibi tabernáculum suum; ab Occidénte habens Bethel: & ab Oriénte Hai. Ædificávit quoque ibi altáre Dómino: & invocávit nomen ejus. Perrexítque Abram vadens: & ultrà progrédiens ad Meridiem. Facta est autem fames in terrâ; descendítque Abram in Ægyptum, ut peregrinarétur ibi: Prævalúerat enim fames in terra. Cumque propè esset, ut ingrederétur Ægyptum, dixit Sárai uxóri suæ; Novi quòd pulchra sis múlier, & quòd cùm viderint te Ægyptij,

dictúri sunt: Uxor ipsius est, & interficient me, & te reservábunt. Dic ergò, óbsecro te, quòd soror mea sis: ut benè sit mihi propter te, & vivat ánima mea, ob grátiam tui.

℟. Movens Abram tabernáculum suum, venit & habitávit juxta convállem Mambre. * Ædificavítque ibi altáre Dómino.

℣. Dixit autem Dóminus ad eum, leva óculos tuos, & vide: omnem terram, quam cónspicis, tibi dabo, & sémini tuo in sempitérnum. Ædificavítque ibi.

Lectio iij.

CUm ítaque ingréssus esset Abram, Ægyptum; vidérunt Ægyptij Mulíerem: quod esset pulchra nimis. Et nunciavérunt Príncipes Pharaóni; & laudavérunt eam apud illum: & subláta est múlier in domum Pharaónis. Abram verò benè usi sunt propter illam; fuéruntque ei oves & boves, & ásini, & servi: & fámulæ, & ásinæ, & caméli. Flagellávit autem Dóminus Pharaónem plagis máximis; & domum ejus: propter Sárai uxórem Abram. Vocavítque Phárao Abram, & dixit ei; quidnam est hoc, quod fecísti mihi? quare non indicásti, quòd uxor tua esset: quam ob causam dixísti esse sorórem tuam; ut tóllerem eam mihi in uxórem? Nunc ígitur ecce conjux tua: áccipe eam, & vade.

℟. Crédidit Abram Deo, & reputátum est ei ad justítiam: * Et ídeò amícus Dei factus est. ℣. Fuit autem justus coram Dómino, & ambulávit in viis ejus. Et ídeò. Glória Patri. Et ídeò.

In secundo Nocturno.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Abraham Patriárcha.

Lectio iv. Libr. 1. Cap. 2.

MAgnus planè vir Abraham, & multárum virtútum clarus insígnibus; quem votis suis Philosophia non pótuit æquáre: dénique minùs est quod illa finxit, quàm quod iste gessit; majórque ambitióso eloquéntiæ mēdácio: simplex veritátis fides. Itaque cujúsmodi fúerit in eo viro devótio, considerémus. Ea enim virtus órdine prima est, quæ est funda-

ſundaméntum cæterárum; meritóque hanc ab eo primam exegit Deus, dicens: Exi de terra tua, & de cognatióne tua, & de domo Patris tui. Satis fúerat dixiſſe, de terra tua; ibi enim erat exíre de cognatióne: exíre de patérna domo.

℟. Dixit Dóminus ad Abraham; Sara uxor tua páriet tibi filium in ſenectúte ſua, * Et vocábis nomen ejus Iſaac. ℣. Revértens véniam ad te témpore iſto, vita cómite, & habébit filium Sara uxor tua. Et vocábis.

Lectio v.

SEd ideò áddidit ſingula, ut ejus affectum probáret; Ne fortè aut imprudénter cœpiſſe viderétur: aut fraus áliqua mandátis cœléſtibus pararétur, Sed ſicut coacervánda fuérunt præcépta, ne quid latéret; ita étiam proponénda præmia' ne fortè deſperáret. Tentátur ut fortis; incitátur ut fidélis: provocátur ut juſtus. Meritóque exívit; quemádmodum locútus eſt illi Dóminus: Et exívit cum eo Lot. Hoc autem, quod pro magno inter ſeptem Sapiéntum dicta celebrátur, Séquere Deum; perfécit Abraham: factóque prævénit dicta Sapiéntum; & ſecútus Deum: exívit de Terra ſua.

℟. Tentávit Deus Abraham, & dixit ad eum; Tolle Filium tuum, quem díligis Iſaac, & offeres illum mihi in Holocáuſtum, * Super unum móntium, quem díxero tibi. ℣. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Super unum móntium.

Lectio vj.

SEd quia Terra ánteà ei fúerat ália, hoc eſt, Régio Chaldæórum; de quâ exívit Thare Pater Abraham, & in Charran demigrávit: & quia ſecum edúxit nepótem ſuum, cui dictum fuerat, Exi de Cognatióne tuâ; conſiderémus, ne fortè hoc ſit exíre de terra ſua, de hujus terræ: hoc eſt, de córporis noſtri quadam commoratióne égredi; de qua exívit Paulus, qui dixit: noſtra autem conversátio in cœlis eſt.

℟. Angelus Dómini vocavit Abraham, dicens: * Ne exténdas manum tuam ſuper púerum, eò quod tímeas Dóminum. ℣. Cumque

que extendísset manum, ut immoláret Filium, ecce Angelus Dómini de cœlo clamávit, dicens; Ne exténdas. Glória Patri. Ne exténdas.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo tempore Assúmpsit Jesus duódecim discípulos suos, & ait illis; Ecce ascéndimus Jerosólymam & consummabúntur ómnia quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio Hóminis. Tradétur enim géntibus & illudétur; & flagellábitur & conspuétur. Et postquam flagelláverint; occident eum & die tértia resúrget. Et ipsi nihil horum intellexérunt. Erat autem verbum istud abscónditum ab eis & non intelligébant quæ dicebántur. Et réliqua,

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homil. 2. in Evangelia.

REdémptor noster prævidens ex Passióne suâ, Discipulórum ánimos perturbándos eis longè antè, & ejúsdem Passiónis pœnam, & Resurrectiónis suæ glóriam prædíxit; ut cum eum moriéntem, sicut prædíctum est, cérnerent étiam resurrectúrum non dubitárent. Sed quia carnáles adhuc Discípuli, nullo modò valébant cápere verba mystérij veníter ad miráculum. Ante eórum óculos cœcus lumen récipit; Ut qui cœléstis mystérij verba non cáperent eos ad fidem cæléstia facta solidárent.

℟. Vocávit Angelus Dómini Abraham secúndò de cœlo, dicens: Benedícam tibi, * Et multiplicábo te sicut stellas cœli. ℣. Possidébit semen tuum portas inimicórum tuórum, & benedicéntur in te, & in sémine tuo cunctæ tribus terræ. Et multiplicábo.

Lectio viij.

SEd miràcula Dómini & Salvatóris nostri sic accipiénda sunt, Fratres mei; ut & in veritáte credántur facta & tamen per significatiónem nobis aliud innuant Opera quippe ejus, & per Poténtiam áliud osténdunt & per mystérium áliud loquúntur. Ecce enim, quis juxta histórium cœcus iste fúerit, ignorá-

ignorámus : sed tamen quid per mysterium signíficet, novimus. Cœcus quippe est genus humánum; quod in Parente primo à Paradisi gáudiis expúlsum: claritátem supernæ lucis ignórans, damnationis suæ tenebras pátitur. Sed tamen per Redemptóris sui præséntiam illuminátur; ut ætérnæ lucis gáudia jam per desidérium videat: atque in via vitæ, boni óperis gressus ponat.

℟. Deus Dómini mei Abraham, dirige vias meas: * Ut cùm salúte revértar in domum Dómini mei.

℣. Dómine Deus, Dómini mei Abraham, occúrre hódie [óbsecro] mihi, & fac misericordiam cum Dómino meo. Ut cum.

Lectio ix.

NOtándum verò est, quòd cum Jesus Jéricho appropinquáre dícitur: Cœcus illuminátur. Jéricho quippe Luna interpretátur. Luna autem in sacro elóquio pro deféctu carnis pónitur; quia dum ménstruis moméntis decréscit: defectum nostræ mortalitátis designat. Cum igitur Cónditor noster appropinquáret Jericho, Cœcus ad lumen rediit; quia dum Divinitas defectum nostræ carnis suscépit: Humánum genus lumen, quod amíserat, recépit. Undè enim Deus humana pátitur: indè homo ad Divína sublevátur. Qui videlicet cœcus; rectè & juxta viam sedére: & mendícans esse descríbitur. Ipsa enim véritas dicit: Ego sum via.

℟. Veni hódie ad Fontem aquæ, & orávi Dóminum, dicens: * Dómine Deus Abraham, tu prósperum fecisti desidérium meum.

℣. Igitur Puélla, cui díxero; da míhi aquam de hydria tua, ut bibam: & illa díxerit; bibe Domine, & camélis tuis potum tríbuam: ipsa est, quam præparávit Dóminus Filio Dómini mei. Dómine Deus. Glória. Dómine Deus.

AD LAUDES.

Antiphona.

SEcúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, Dómine, dele iniquitátem meam.

Psalmus. Miserére. 69.

Aña. Deus meus es tu, & confitébor tibi: Deus meus

es.

es tu, & exaltábo te.
Psalmus. Confitémini. 26.
Aña. Ad te de luce vígilo Deus, ut vídeam virtútem tuam.
Psalmus. Deus Deus. 21.
Aña. Hymnum dícite & super exáltate eum in sæcula.
Canticum. Benedícite. 22.
Aña. Omnes Angeli ejus laudáte Dóminũ de cœlis.
Psalmus. Laudáte. 23.

Capitulum. 1. Cor. 13.

SI linguis hóminum loquar & Angelórũ; charitátem autẽ non hábeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tínniens.

℣. Dómine refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne & progénie.

Ad Benedictus, Aña. Cœcus sedébat secùs viam, & clamábat miserére mei fili David.

Orémus. *Oratio*.

PReces nostras quæsumus Dómine cleménter exáudi; atque à peccatórum vínculis absolútos: ab omni nos adversitáte custódi. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Capitulũm. Si linguis. *ut suprà*.

℟. Inclína cor meum. *ut in Dominica Septuag.* 456.

Oratio. Concéde quæsumus.

Ad Sextam, Capitulum.

CHáritas numquam éxcidit; sive prophetíæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur: ex parte enim cognóscimus, & ex parte prophetámus.

℟. In ætérnum, Dómine. *ut in Dominica Septuages.*

Oratio. Vide, Dómine. 456.

Ad Nonam, Capitulum.

NUnc autem manent, fides, spes, cháritas; tria hæc: major autem hórum est cháritas.

℟. Aspice in me. *ut in Dominica Septuagesima*. 456.

Oratio. Fac nos, Dómine.

Ad Vesperas, Antiphonæ & Psalmus. Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica* 148.

Capitulum. Si linguis. *ut suprà*.

℣. Dirigátur, Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Aña. Transeúnte Dómino, clamábat cæcus ad eum, miserére mei fili David.

Oratio. Preces nostras.

ut

ut suprà, ad Laudes.

Ad primam Processionem.

℟. Locútus est Dóminus. *ut suprà in primo Noct. Dominicæ præcedentis.*

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus, ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dñm.

Ad secundam Processione.

℟. Movens Abraham.

Orémus. *Oratio.*

PErcípiat, Dómine quæsumus pópulus tuus misericórdiam, quam depóscit: & quam precátur humíliter indulgéntiam consequátur, & pacem. Per Dóminum nostrum.

FERIA SECUNDA.

De Libro Genésis.

Lectio j. Cap. 13.

AScéndit ergo Abram de Ægypto ipse & uxor ejus; & ómnia quæ habébat, & Lot cum eo: ad austrálem plagam. Erat autem dives valdè in possessióne auri & argénti: reversúsque est per iter, quo vénerat, à merídie in Bethel, usque ad locum ubi priùs fixerat tabernáculum; inter Bethel & Hai, in loco altáris quod fecérat priùs: & invocávit ibi nomen Dómini. Sed & Loth qui erat cum Abram, fuérunt greges óvium, & arménta, & tabernácula: nec póterat eos cápere terra, ut habitárent simul; erat quippe substántia eórum multa: & nequibant habitáre commúniter.

℟. Locútus est Dóminus ad Abram, *ut in ij. Noct. Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

UNde & facta est rixa inter pastóres gregum Abram & Lot. Eo autem témpore Chananæus & Pherezæus: habitábant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot. Ne quæso sit júrgium inter me & te, & inter pastóres meos & pastóres tuos: fratres enim sumus. Ecce univérsa terra coram te est: recéde à me, obsecro; si ad sinístram íeris, ego déxteram tenébo: si tu déxteram elégeris, ego ad sinístram pergam. Elevátis itaque Lot óculis, vidit omnem circa regiónem Jordánis, quæ univérsa irrigabátur; ántequàm subvérteret Dóminus Sódomam & Gomorrham:

rham : sicut paradísus Dómini, & sicut Ægyptus veniéntibus in Segor. Elégitque sibi Lot regiónem circa Jordánem : & recéssit ab Oriénte.

℟. Movens Abram.

Lectio iij.

DIvisíque sunt altérutrum à fratre suo. Abram habitávit in terra Chánaam : Lot verò morátus est in óppidis, quæ erant circa Jordánem, & habitávit in Sódomis. Hómines autem Sodomítæ péssimi erant : & peccatóres coram Dómino nimis. Dixítque Dóminus ad Abram, post quàm divísus est, ab eo Loth : Leva óculos tuos & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilónem & Merídiem, ad Oriéntem & Occidéntem; omnem terram quam cónspicis, tibi dabo, & sémini tuo usque in sempitérnum : faciámque semen tuum sicut púlverem terræ.

℟. Crédidit Abram.

Ad Benedictus, *Aña.* Miserére mei fili David quid vis fáciam tibi : Dómine ut vídeam.

Ad Magnificat, *Aña.* Cæcus magis ac magis clamábat ut eum Dóminus illumináret.

FERIA TERTIA.

De Libro Genésis.

Lectio j. Cap 14.

ET egréssi sunt rex Sodomórum, & rex Gomórrhæ, rexque Adamæ & rex Séboim : nec non & rex Balæ, quæ est Segor; & direxérunt áciem contra eos in valle Silvéstri : scílicet adversùs Chodorláhomor regem Elamitárum; Et Tadal regem géntium, & Amraphel regem Sénnaar; & Arioch regem Ponti : quátuor reges advérsùs quinque. Vallis autem Silvestris habébat púteos multos bitúmminis; itaque rex Sodomórum & Gomórrhæ terga vertérunt cecidéruntque ibi : & qui remánserant, fugérunt ad montem. Tulérunt autem omnem substántiam Sodomórum & Gomórrhæ, & univérsa quæ ad cibum pértinent, & abiérunt; nec non & Lot, & substántiam ejus : filium fratris Abram, qui habitábat in Sódomis.

℟. Dixit Dóminus ad Abram. *ut in ij. Noct. Dominicæ præcedentis.*

Lectio

Lectio ij.

ET ecce unus, qui, evaserat, nunciavit Abram Hebræo, qui habitabat in convalle Mambre Amorrhæi; fratris Escol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram. Quod cū audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum; numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo: & persecutus est usque Dan. Et divisis sociis, irruit super eos nocte; percussitque eos, & persecutus est eos usque Hoba: quæ est ad lævam Damasci. Reduxitque omnem substantiam; & Lot fratrem suum cum substantia illius: mulieres quoque & populum.
℟. Tentavit Deus Abraham.

Lectio iij.

EGressus est autem rex Sodomorum in occursum ejus; postquam reversus est à cæde Chodorlahomor & regum qui cum eo erant, in valle Save: quæ est vallis regis. At vero Melchisedech rex Salē; proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi: benedixit ei, & ait. Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cœlum & terram; & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt: & dedit ei decimas ex omnibus.
℟. Angelus Domini vocavit, &c.

Ad Benedictus, Aña. Omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

Ad Magnificat. Aña. Miserere mei fili David, quid vis faciam tibi? Domine ut videam.

FERIA QUARTA.

Cinerum sive in Capite jejunij.

Si hac die occurrat Festum duplex transfertur in sequentem diem similiter non impeditam, ut dicitur in Rubrica de translatione Festorum. Aliis diebus si occurrat Festum novem Lectionum, fit de eo, & legitur nona Lectio de Homilia Feriæ, cum commemoratione ejus in Missa. De Festis verò trium Lectionum fit tantum commemoratio in Missa. In hac & sequentibus Feriis, usque ad Vesperas Sabbati. Omnia dicuntur ut in Psalterio per annum, præter

ter ea quæ hic sunt propria.

De Libro Génesis.

Lect:o j. Cap. 22.

TEntávit Deus Abraham: & dixit ad eum. Abraham, Abraham. At ille respóndit: adsum. Ait illi; Tolle filium tuum unigénitum, quem díligis, Isaac: & vade in terram visiónis; atque ibi ófferes eum in holocáustum: super unum móntium quem monstrávero tibi. Igitur Abraham de nocte consúrgens, stravit ásinum suum; ducens secum duos júvenes, & Isaac filium suum: cùmque concidísset ligna in holocáustum, ábiit ad locum quem præcéperat ei Deus. Die autem tértio, elevátis óculis, vidit locum procul; dixítque ad púeros suos: Expectáte hic cum ásino; ego & puer illuc usque properántes: postquàm adoravérimus, revertémur ad vos. Tulit quoque ligna holocáusti, & impósuit super Isaac filium suum; ipse verò portábat in mánibus: ignem & gládium. Cumque duo pérgerent simul, dixit Isaac patri suo; Pater mi: at ille respóndit. Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna; ubi est víctima holocáusti? Dixit autem Abraham. Deus providébit sibi víctimam holocáusti, fili mi: pergébant ergò páriter.

℟. Vocávit Angelus Dómini. *ut in iij. Noctur. Domin. præced.*

Lectio ij.

ET venérunt ad locum quem osténderat ei Deus, in quo ædificávit altáre, & désuper ligna compósuit; cùmque alligásset Isaac filium suum: pósuit eum in altáre super struem lignórum. Extendítq; manum; & arrípuit gládium: ut immoláret filium suum. Et ecce Angelus Dómini de cœlo clamávit, dicens; Abraham; Abraham: qui respóndit, adsum. Dixítque ei, non extendas manum tuam super púerum, neque fácias illi quidquam; nunc cognóvi quod times Deũ: & non pepercísti unigénito filio tuo propter me. Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem córnibus; quem assumens óbtulit holocáustũ pro filio: appellavítque

nomen loci illius, Dóminus videt. Unde usque hodie dícitur: in monte Dóminus vidébit. Vocávit autem Angelus Dñi Abrahā secúndo de cœlo dicens; per memetipsum jurávi, dicit Dóminus, quia fecísti hanc rem, & non pepercísti filio tuo unigénito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli; & velut arénam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicórum suorum.

℞. Deus Dñi mei Abrahā.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 6.

IN illo témpore: dixit Jesus discípulis suis. Cùm jejunátis, nolite fieri sicut hypocrítæ tristes; extérminant enim fácies suas: ut appáreant hominibus jejunántes; Amen dico vobis: quia recepérunt mercédem suam. Et réliqua.

Homilía sancti Máximi Epíscopi.

Homil. in superius Evang.

QUia est consuetúdo, Charíssimi adveniéntes Quadragésimæ dies, devotióre jejúnio præveníre; necessáriò præsens Evangelii decúrsa est Léctio: in qua Dñs noster virtútum spirituálium retribútor; sanctam nobis perfectámque dedit régulam jejunándi: dicens. Cùm jejunátis, non eritis sicut hypocritæ tristes; extérminant enim fácies suas: ut appáreant hominibus jejunáre. Non enim Deo jejúnat, sed homínibus; quicúmque ostentatióne jejúnii sui: glóriam requírit humánam. Extérminant autem fácies suas; qui mœróre simuláto: religiósum vultum populórum óculis mētiúntur. Non vult enim disciplínæ cœléstis magíster; irreligiósè agi, quod fieri pro religióne præcípitur: nec pátitur invocántium se labórem; quibus ætérnam parat mercédem: infructuósæ jactántiæ vitio deperíre. Non éritis, inquit, sicut hypócritæ tristes. Si enim verè mœstus & tristis es, quia jejúnas: nullam tibi ut ingrátus apud Deū grátiam reservábis; quia quamvis opus fácias bonum: pravitátem tamen degéneris ánimi invitus operáris; si autem pro quadam

dam sanctitátis imágine tristitiam simulas; omnem fructum promissiónis divínæ obséquii tui ostentátor amíttis. Quod si Deo jejúnium tuum defer; cur illud homínibus, pari tecum conditióne vivéntibus vanæ glóriæ sectátor osténtas? Hanc nimírum Paulus Apóstolus secútus senténtiam dicébat: Nolíte fieri inánis glóriæ cúpidi.

℟. Veni hodie.

Ad Benedictus, *Aña.* Cum jejunátis nolíte fieri sicut hypocrítæ tristes.

Deinde dicuntur magnæ Preces, (flexis genibus) *similiter & ad alias Horas, ut in Psalterio.*

Orémus. *Oratio.*

PRæsta Dómine fidéli bus tuis; ut jejuniórum veneránda solémnia; & cóngrua pietáte suscípiant: & secúra devotióne percúrrant. Per Dóminum.

Ad Magnificat, *Aña.* Thesaurisáte vobis thesáuros in cœlo, ubi nec erúgo, nec tínea demolítur.

Deinde dicuntur magnæ Preces.

Orémus. *Oratio.*

INclinántes se, Dómine, majestáti tuæ propitiátus inténde; ut qui divíno múnere sunt refécti: cœléstibus semper nutriántur auxíliis. Per Dóminum.

FERIA. QUINTA.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 27.

SEnuit autem Isaac, & caligavérunt óculi ejus, & vidére non póterat; vocavítque Esaü filium suum majórem, & dixit ei: fili mi. Qui respóndit, adsum. Cui pater. Vides, inquit, quod senúerim, & ignórem diem mortis meæ; sume arma tua, pharétram, & arcum, & egrédere foras: Cúmque venátu áliquid ápprehénderis, fac mihi inde pulméntum sicut velle me nosti; & affer ut cómedam, & benedícat tibi ánima mea: ántequā móriar. Quod cum audísset Rebécca, & ille abiísset in agrum ut jussiónem patris impléret; dixit fílio suo Jacob: audívi patrē tuum loquéntem cum Esaü fratre tuo, & dicéntem ei; affer mihi de venatióne tua; & fac cibos ut cómedam, & benedícam tibi coram Dómino: ántequam móriar. Nunc ergo fili mi, acquiésce consíliis meis;

& pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, ut fáciam ex eis escas patri tuo, quibus libénter vescitur: Quas cum intúleris, & comederit, benedícat tibi priúsquam moriátur.

℟. Locútus est Dóminus. *ut in j. Nocturno Domin. præced.*

Lectio ij.

CUi ille respóndit. Nosti quod Esaü frater meus homo pilósus sit, & ego lenis: Si attrectáverit me pater meus, & sénserit; tímeo ne putet me sibi voluisse illúdere: & indúcam super me, maledictiónem pro benedictióne. Ad quē mater. In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi. Abiit, & áttulit, dedítque matri: parávit illa cibos, sicut velle nóverat patrem illíus; & véstibus Esaü valde bonis quas apud se habebat domi índuit eum: pelliculásque hœdórū circúmdedit mánibus, & colli nuda protéxit. Dedítque pulméntum, & panes, quos cóxerat trádidit; quibus illátis, dixit: pater mi. At ille respóndit: áudio. Quis es tu fili mi? Dixítque Jacob. Ego sum primogénitus tuus Esaü. Feci sicut præcepísti mihi; surge, sede, & cómede de venatióne mea: ut benedícat mihi ánima tua. Rursúmq; Isaac ad filium suum; quómodò, inquit, tam citò inveníre potuísti, fili mi, qui respóndit. Volúntas Dei fuit: ut citò occúrreret mihi quod volebam.

℟. Movens Abram tabernáculum.

Léctio sancti Evangélii: secúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 8.

IN illo témpore: cum introísset Jesus Caphárnaum, accéssit ad eū Centúrio, rogans eum, & dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam & curábo eum. Et réliqua.

Homilia sancti Basílii Seleuciæ Epíscopi.

Homil. in Centurionem.

O Miráculum nunc inopinábile; puer membris solútis jacens: heri sui ductor ad Dóminum efficitur. Servi morbus; ei, cui erat addíctus: atque Dómino, ut curarétur, auctor fuit.

fuit. Dum servo medicinam quærit, Dóminum invénit; captánsque fámulo curatiónem : captus ipse Dómino præda efficitur. Servus letháliter ægrótat : illóque prior herus ut sanétur, conséquitur. Servus æger est córpore : herúsque ánimo sanctificátur. Pro fámulo intercédens : in se prior insúmit remédium. Non servū sprevit ex morbi labe, córpore contabéscéntem : non heríli superbiâ, sérvuli ægritúdinem contémpsit; nec satéllitum numerósâ turbâ fruens : púeri, lecto affixi, eóque immóbilis oblítus est. Verum obíbat, perículi sédulò inquírens remédium; nec quæréndi remísit stúdium : donec ipse curatiónis fontem offéndit. Humanitátis officium hoc : ad pietátem via fuit; inventóque médico calamitátem denarrat : & ægrotatiónem tragicè exaggerat, ipsum clementíssimum ad misericórdiam invitans. Dómine puer meus jacet in domo paralyticus : & malè torquétur. Tamétsi servus; homo tamen est, inquit : qui morbo detinétur. Tu ne vilem servi conditiónem : sed morbi magnitúdinem spectes.

℟. Crédidit Abram Deo.

Ad Benedictus, *Aña.* Ubi est thesáurus tuus, ibi est & cor tuum.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui culpâ offénderis, pœniténtia placáris; preces pópuli tui supplicántis propítius réspice : & flagella tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Dóminum.

Ad Magnificat, *Aña.* Quis scit si convertátur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictiónem?

Orémus. *Oratio.*

PArce Dómine, parce pópulo tuo; ut dignis flagellatiónibus castigátus : in tua miseratióne respíret. Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap 42.

AUdiens autem Jacob quod aliménta venderéntur in Ægypto : dixit filiis suis. Quare neglígitis? audívi quod tríticum venúmdetur in Ægypto; descéndite, & émite nobis necessária : ut possímus vívere.

vivere, & non consumámur inópia. Descendéntes ígitur fratres Joseph decem, ut émerent fruménta in Ægypto; Bénjamin domi retento à Jacob, qui díxerat frátribus ejus, ne fortè in itínere quidquam patiátur mali: Ingréssi sunt terram Ægypti, cum áliis qui pergebant ad eméndum. Erat autem fames in terra Chánaan: & Joseph erat princeps, in terra Ægypti; atque ad ejus nutum: fruménta pópulis vendebántur. Cumque adoráſſent eum fratres sui & agnovíſſet eos; quasi ad aliénos dúriùs loquebátur: intérrogans eos. Unde veníſtis? qui respondérunt. De terra Chánaan, ut emámus víctui necessária. Et tamen fratres ipse cognóscens: non est cógnitus ab eis. Recordatúsque somniórum, quæ aliquándo víderat, ait ad eos; exploratóres estis: ut videátis infirmióra terræ veníſtis. Qui dixérunt. Non est ita, Dómine; sed servi tui venérunt: ut émerent cibos.

℟. Dixit Dóminus ad Abraham.

Lectio ij.

OMnes filii uníus viri sumus; pacífici vénimus: nec quidquam fámuli tui machinántur mali. Quibus ille respóndit; áliter est: immuníta terræ hujus considerare veníſtis. At illi; duodecim, inquiunt servi tui, fratres sumus, filii viri unius in terra Chánaan: mínimus cùm patre nostro est, álius non est super. Hoc est, ait quod locútus sum: exploratóres estis. Jam nunc experiméntum vestri cápiam; per salútem Pharaónis non egrediémini hinc: donec veniat frater vester mínimus. Míttite ex vobis unum, & addúcat eum; vos autem éritis in vínculis, donec probéntur quæ dixíſtis utrùm vera an falsa sint: alióqui per salútem Pharaónis exploratóres estis. Trádidit ergo illos custódiæ tribus diebus; die autem tértio eductis de cárcere, ait: fácite quæ dixi & vivétis. Deum enim tímeo; si pacífici estis, frater vester unus ligétur in cárcere: vos autem abíte, & ferte fruménta quæ emíſtis in domos

vestras ; & fratrem vestrum mínimum ad me addúcite : ut possim vestros probáre sermónes, & non moriámini. Fecérunt ut dixerat, & locúti sunt ad ínvicem. Méritò hæc pátimur ; quia peccávimus in fratrem nostrum, vidéntes angústiam ánimæ illíus : dùm deprecarétur nos,& non audívimus. Id circò venit super nos ista tribulátio.

℟. Tentávit Deus Abraham.

Léctio sancti Evangélii : secúndùm Matthæum,

Lectio iij. Cap. 5. & 6.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis. Audístis quia dictum est, díliges próximum tuum ; & ódio habébis inimícum tuum : Ego autem dico vobis. Dilígite inimícos vestros ; benefácite his qui odérunt vos : & oráte pro persequéntibus, & calumniántibus vos. Et réliqua.

Homilía sancti Euchérii Lugdunénsis Epíscopi.

Homil. in idem Evang.

EXpedit ítaque nobis;ut amícos habeámus omnes próximos : qui juxta præcéptum Dei, dilígere jubémur inimícos. Dilígite, inquit, inimícos vestros. Amícum ergo dílige propter te : inimícum propter Deum. Illud quidem jocúndiùs : illud pretiósiùs adprobátur. Et hoc cum à te Deus éxigit, tibi præstat; per amórem enim hóminis inimíci, efficeris amícus Dei: Immò áliquid ampliùs. Nam sic habémus in Evangélio ; Dilígite inimícos vestros : benefácite his, qui odérunt vos. Et quid inde grátiæ consequimur ? ut sitis, inquit, filii patris vestri, qui in cœlis est. Agnósce, ô homo, quid tibi præstat inimícus. Fácere te amícus non possit fílium Dei. Dílige ergo in amíco gáudium tuum: in inimíco fructum, & præmium tuum. Ille compéndiis tuis affectu servit ; hic ódio : compéndiis tuis servit. Dum studes absínthium illíus tuo melle condíre ; & tuo medicaménto : venénum, quod intra illum versátur extínguere. Hujus ergo dilectiónis veritátem ; non solùm nostræ utilitáti, nostróque cómmodo : sed étiam Christi debémus

exémplo.

exémplo. Jure, à te inimíci amor requirétur propter vitam tuam; qui te adhuc inimícum & ímpium diléxit: usque ad mortem suam.

℟. Angelus Dómini vocávit.

Ad Benedictus, Antiphona. Cum facis eleemósinam, nésciat sinistra tua quid fáciat déxtera tua.

Deinde dicuntur magnæ Preces.

Orémus. *Oratio.*

INchoáta jejúnia, quæsumus Dómine, benígno favóre proséquere; ut observántiam, quàm corporáliter exhibémus: méntibus étiam sincéris exercére valeámus. Per Dóminum.

Ad Magnificat, Antiphona. Tu autem cum oráveris intra in cubículum: & clauso óstio ora patrem tuum.

Deinde dicuntur magnæ Preces.

Orémus. *Oratio.*

TUére Dómine, pópulum tuum, & ab ómnibus peccátis cleménter emúnda; quia nulla ei nocébit advérsitas: si nulla ei dominétur iníquitas. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

SABBATO.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 46. & 47.

FIlii autem Joseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti: ánimæ duæ. Omnes ánimæ domús Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum: fúere septuagínta. Misit autem Judam ante se ad Joseph, ut nunciáret ei: & occúrreret in Gessen. Quò cùm pervenisset; juncto Joseph curru suo, ascéndit óbviam patri suo ad eúndem locum: Vidénsque eum, írruit super collum ejus, & inter amplexús flevit. Dixítque pater ad Joseph: jam lætus móriar; quia vidi faciem tuam: & supérstitem te relínquo. At ille locútus est ad fratres suos, & ad omnem domum patris sui; ascéndam & nunciábo Pharaóni: dicámque ei. Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chánaan venérunt ad me: & sunt viri pastóres óvium, curámque habent alendórum gregum; pécora sua, & arménta, &

ómnia quæ habére potuérunt : adduxérunt secum. Cumque vocáverit vos, & díxerit ; quod est opus vestrum ? respondébitis. Viri pastóres sumus servi tui ab infántia nostra usque in præsens : & nos & patres nostri. Hæc autem dicétis ; ut habitáre póssitis in terra Gessen : quia detestántur Ægyptii, omnes pastóres óvium.

℟. Vocávit Angelus Dómini. *ut in iij. Noct. Dominica præced.* 482.

Lectio ij.

INgréssus ergo Joseph nunciávit Pharaóni, dicens. Pater meus & fratres, oves eórum & arménta, & cuncta quæ possident ; venérunt de terra Chanaan : & ecce consistunt in terra Gessen. Extrémos quoque fratrum suórum quinque viros constítuit coram rege : quos ille interrogávit. Quid habétis óperis ? Respondérunt. Pastóres óvium sumus sérvi tui, & nos & patres nostri ; ad peregrinándum in terra tua vénimus : quóniam non est herba grégibus servórum tuórum, ingravescénte fame in terra Chánaan. Petimúsque ut esse nos júbeas servos tuos : in terra Gessen. Dixit ítaque rex ad Joseph. Pater tuus & fratres tui venérunt ad te. Terra Ægypti in conspéctu tuo est : in óptimo loco fac eos habitáre, & trade eis terram Gessen. Quod si nosti in eis esse viros indústrios : constítue illos magístros pécorum meórum. Post hæc intróduxit Joseph patrem suum ad regem, & státuit eum coram eo ; qui benedícens illi, & interrogátus ab eo, quot sunt dies annórum vitæ tuæ ? respóndit. Dies peregrinatiónis meæ centum trigínta annórum sunt : parvi & mali ; & non pervénerunt usque ad dies patrum meórum : quibus peregrináti sunt,

℟. Deus Dómini mei Abraham, &c.

Léctio sancti Evangélii : secúndùm Marcum.

Lectio iij. Cap. 6.

IN illo témpore : cùm serò esset, erat navis in médio mari, & Jesus solus in terra. Et videns Discípulos

cípulos ſuos laborántes in remigándo ; (erat enim ventus contrárius eis :) & circa quartam vigíliam noctis, venit ad eos ámbulans ſupra mare. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 2. cap. 28. in cap. 6. marci tom. 3.

LAbor Discipulórum in remigándo, & contrárius eis ventus, labóres ſanctæ Eccleſiæ varios deſignat ; quæ inter undas ſæculi adversántis, & immundórum flatûs ſpiríttuum : ad quiétem pátriæ cœléſtis, quaſi ad fidam líttoris ſtatiónem perveníre conátur. Ubi benè dícitur, quia navis erat in médio mari, & ipſe ſolus in terra ; quia nonnunquàm Eccléſia tantis Gentílium preſsúris, non ſolùm afflícta, ſed & fœdata eſt : ut, ſi fieri poſſit, Redémptor ipsíus, eam prorsùs deſeruíſſe ad tempus viderétur. Unde eſt illa vox ejus, inter undas procelláſque tentatiónum irruéntium deprehénſæ ; atque auxílium protectiónis illíus : gemebúndo clamóre quæréntis. Ut quid Dómine receſsíſti longè ? déſpicis in opportunitátibus in tribulatióne. Quæ páriter vocem inmíci perſequéntis expónit, in ſequéntibus Pſalmi ſubjíciens ; dixit enim in corde ſuo oblítus eſt Deus : avértit fáciem ſuam ne vídeat uſque in finem. Verùm ille non oblivíſcitur oratiónem páuperum ; neque avértit fáciem ſuam à ſperántibus in ſe : quin pótiùs ; & certántes cum hóſtibus, ut vincant adjuvat : & victóres in ætérnum corónat. Unde hic quoque apertè dícitur : Quia vidit eos laborántes in Remigándo.

℟. Veni hódie.

Ad Benedictus, Antiphona. Tunc invocábis & Dóminus exáudiet : clamábis, & dicet. Ecce adſum.

Deinde dicuntur magna Preces.

Orémus. *Oratio.*

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris, & concéde; ut hoc solémne jejúnium, quod animábus corporibúsque curándis salúbriter institútum est: devóto servítio celebrémus. Per Dóminum nostrum.



PROPRIUM SANCTORUM.

DIE XXIX. NOVEMBRIS

In Vigilia S. Andreæ Apostoli.

Officium fit de Feria ut dictum est in Rubricis general. cum Homil. & orat. de Vigilia.

Si festum S. Andreæ venerit Fer. ij. de Vigil. fit Offic. in Sabb. præcedenti.

Duæ primæ Lect. de Scrip. occurr. cum ℞. de Feria.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio. iij. Cap. 1.

IN illo témpore stabat Joánnes, & ex discípulis ejus duo. Et respíciens Jesum ambulantem dicit: Ecce Agnus Dei. Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem & secuti sunt Jesum. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Episcopi.

Tract. 7. in Ioan. post init.

QUia talis erat Joánnes amícus sponsi; non quærebat gloriam suam sed testimónium perhibébat veritati. Numquid vóluit apud se remanére discípulos suos; ut non sequeréntur Dóminum? Magis ipse osténdit discípulis suis, quem sequeréntur habébant enim illum tanquam Agnum. Et ille; Quid me atténditis? Ego non sum Agnus: Ecce Agnus Dei. Et quid nobis prodest Agnus Dei? Ecce ait, qui tollit peccátum mundi. Secúti sunt illum hoc audito duo qui erant cum Joánne. Videámus sequẽtia. Ecce Agnus Dei hoc Joánnes. Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem & secúti sunt Jesum. Non sic illum sequebántur, quasi jam ut inhærerent illi; nam maniféstum est quando illi inhæserunt, quia de navi eos vocávit in his enim duóbus erat Andréas, sicut modo audístis. Andréas autem frater Petri erat. Et nóvimus in Evangélio, quod Petrum & Andréam Dóminus de navi vocávit

dicens; veníte post me: & faciam vos piscatóres hóminum. Et ex illo jam inhæserunt illi: ut non recéderent. Tu autem.

DIE XXX. NOVEMBRIS.

In festo S. Andreæ Apostoli.

Duplex minus.

Ad Vesperas, Aña. Vidit Dóminus. *cum reliquis de Laudibus ut infra. Psalmi de Dominica ut in Psalterio.* 148. *& loco ultimi, Psalmus.* Laudáte Dominum omnes Gentes. 153,

Capitulum. Rom. 10.b

CORde créditur ad justitiam, ore autem conféssio fit ad salútem; dicit enim Scriptúra: omnis qui credit in illum non confundetur.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat, Aña. Unus ex duóbus qui secúti sunt Dóminum, erat Andréas, frater Simónis Petri.

Duplicatur, quod in omnibus duplicibus servandum in Antiphonis ad Magnificat, & ad Benedictus.

Orémus. *Oratio.*

MAjestátem tuam Dómine supplíciter exorámus; ut sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus, éxtitit prædicátor & rector: ita apud te sit pro nobis, perpétuus intercessor. Per Dominum.

In majori Ecclesia Processio ad S. Petrum. Responsor, 1. Dum perambulá-ret Dóminus. *ut infrà.*

Ad ij. Magnificat, Aña. Ego si patíbulum crucis expavéscerem: crucis glóriam non prædicárem.

Orémus. *Oratio.*

ADjúvet Ecclesiã tuam, tibi Dómine supplicándo, beátus Andréas Apóstolus; & pius intervéntor efficiátur: qui tui nóminis éxtitit prædicátor. Per Dóminum.

Ad Completorium Hymnus. Ætérna Christi múnera. *ut in Communi Apostolorum.* iij.

Ad Matutinum.

Omnia de Communi Apostolorum præter ea quæ hic sunt propria.

In primo Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio. j. Cap. 20.

FInis legis Christus: ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit; quóniam justítiam quæ ex lege

lege est, qui fécerit homo: vivet in ea. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit; Ne díxeris in corde tuo, quis ascéndet in cælum? id est Christum dedúcere; aut quis descéndet in abyssum? hoc est, Christum à mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Propè est verbum in ore tuo & in corde tuo; hoc est verbum fidei: quod prædicámus. Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum; & in corde tuo credíderis quod Deus illum suscitávit à mórtuis: salvus eris. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias.

℟. Dum perambuláret Dóminus juxta mare Galilææ, videns Petrum & Andream rétia mitténtes in mare, vocávit eos dicens. * Veníte post me, fáciam vos piscatóres hóminum. ℣. Prætériens Jesus secùs mare Galilææ vidit Simónem, & Andream fratrem ejus mitténtes rétia in mare, & dixit eis. Veníte post me. *Lectio ij.*

CORde enim créditur ad justitiam, ore autem conféssio fit ad salútem; dicit enim Scriptúra: omnis qui credit in illum non confundétur. Non enim est distinctio Judæi & Græci; nam idem Dóminus ómnium: dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini: salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? quómodò autem áudient sine prædicánte; quómodò verò prædicábunt nisi mittántur? sicut scriptum est. Quam speciósi pedes evāgelizántium pacem: evangelizántium bona.

℟. Veníte post me, fáciam vos piscatóres hóminum. * At illi relíctis rétibus & navi secúti sunt Dóminum. ℣. Dum perambuláret Dóminus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Petrum & Andream, & vocávit eos. At illi. *Lectio iij.*

SEd non omnes obédiunt Evangélio. Isáias enim dicit; Dñe, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu; audítus autem: per verbum Christi. Sed dico; Numquid non audiérunt? & quidem in

omnem terram exívit sonus eórum; & in fines orbis terræ: verba eórum. Sed dico; Numquid Israël non cognóvit? Primus Móyses dicit; Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem: in gentem insipiéntem, in iram vos mittam. Isáias autem audet & dicit; Invéntus sum à non quæréntibus me: palàm appárui iis qui me non interrogábant. Ad Israël autem dicit; Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem: & contradicéntem.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, & díscite à me, quia mitis sum & húmilis corde. * Jugum enim meum suáve est, & onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum. Glória Patri. Jugum.

In ij. Noctur. Lectio iv.

ANdréas Apóstolus, Bethsaïdæ natus, qui est Galilææ vicus: frater Petri; discípulus Joánnis Baptístæ; cùm eum de Christo dicéntem audísset, Ecce Agnus Dei: secútus Jesum, fratrem quoque suum ad eúndem perdúxit. Cum pósteà unà cum fratre piscarétur in mari Galilææ; antè à prætereúnte Christo Dómino, ante álios Apóstolos vocáti illis verbis: veníte post me, fáciam vos fieri piscatóres hóminum; nullam interponéntes moram, & relíctis rétibus: secúti sunt eum. Post cujus passiónem & resurrectiónem; cum in Scythiam Európæ, quæ ei província ad Christi fidem disseminándam obtígerat, venísset: doctrínâ & miráculis, innumerábiles hómines ad Christum convértit. Deindè Patras Achάïæ proféctus; in eâ urbe plúrimos: ad veritátem Evangélicam perdúxit.

℟. Qui sunt isti qui ut nubes volant: * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas. ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. Et quasi.

Lectio v.

HIc beatíssimus Apóstolus ab Ægeâ Procónsule Achάïæ comprehénsus; cum perseveránter in fide Christi & Evangélij ministério duráret, insuperabilísque manéret: cárcere primùm clausus, indè coram

coràm Procónsule gravíssimè cæsus est. Ad últimùm cum Ægeas, Crucis extollèntem mystéria diútiùs ferre non posset: in Crucem tolli, & Christi mortem imitári jussit. Addúctus Andréas ad locum martyrij; cùm Crucem longè prospexísset, exclamáre cœpit. O bona Crux, quæ decórem ex membris Dómini suscepísti, diù desideráta; sollicitè amáta; sine intermissióne quæsíta; & aliquàndò cupiénti ánimo præparáta, accipe me ab hominibus & redde me, magístro meo; ut per te me recípiat, qui per te me redémit. ℟. O quàm pulchri super montes, pedes annuntiántis pacem; * Annuntiántium bona. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ, verba eórum. Annuntiántium. *Lectio vj.*

IN Cruce ítaque ligátis mánibus ac pedibus, funibúsque toto córpore tensus, ut lóngius cruciarétur; bíduo ibíbi supervixit, non cessans ea quæ Christi sunt, pópulum docére. Cùmque hi qui per eum Christo Dómino credidérant, satis ágerent ut deponerétur; Ægeámque ut hoc perfíceret, noléntem impéllerent; Apóstolus Dómini, circumstánte pópulo, & Ægeâ Procónsule ut solverétur agénte; post verba oratiónis, fulgore cælésti, ferè unâ désuper circumfusus horâ, cum ipso lúmine abscedénte emittens spíritum, perréxit fine beáto ad Dóminum. Cujus sanctíssimum corpus Maximilla potentíssima matronárum, reverénter depósitum sepelívit. Ejus ossa primùm Constantíno Imperatóre, Constantinópolim; deinde Amalphim translata sunt. Caput, Pio secúndo Pontífice Romam allátum, in Basílica sancti Petri collocátum est.

℟. Salve Crux, quæ in córpore Christi dedicáta es, & ex membris ejus tamquam margarítis ornáta. * Súscipe discípulum ejus qui pependit in te. ℣. O bona Crux, quæ decórem & pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti. Súscipe. Glória Patri. Súscipe.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 4.

IN illo témpore: Ambulans Jesus juxtà mare Galilææ; vidit duos fratres, Simónem qui vocátur Petrus, & Andréam fratrem ejus: mitténtes rete in mare. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ.

Homilia 5. in Evangelia.

AUdístis fratres charíssimi; quia ad uníus jussiónis vocem, Petrus & Andréas relíctis rétibus: secúti sunt Redemptórem. Nulla verò hunc fácere adhuc mirácula víderant; nihil ab eo de præmio ætérnæ retributiónis audíerant; & tamen ad unum Dómini præcéptum: hoc quod possidére videbántur obliti sunt. Quanta enim nos ejus mirácula vidémus; quot flagéllis afflígimur; quantis minárum asperitátibus detérremur: & tamen vocántem sequi contémnimus.

℟. O bona Crux, quæ decórem & pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti: * Accipe me ab homínibus, & redde me magístro meo: ut per te me recípiat, qui per te me redémit. ℣. Salve Crux quæ in córpore Christi dedicáta es, & ex membris ejus tamquam margarítis ornáta. Accipe. *Lectio viij.*

IN cœlo jam sedet: qui de conversióne nos ádmonet. Jam jugo fidei colla Géntium súbdidit: jam mundi glóriam stravit. Jam ruínis ejus crebrescéntibus, districti sui judícij propinquántem denúntiat diem; & tamen supérba mens nostra, adhuc non vult hoc sponte desérere: quod quotídiè perdit invíta. Quid ergo fratres charíssimi; quid in ejus judício dictúri sumus? qui ab amóre præséntis sæculi; nec præcéptis fléctimur: nec verbéribus emendámur.

℟. Doctor bonus & amícus Dei Andréas, dum iret ad crucem, aspíciens à longè vidit crucem, salve Crux. * Súscipe discípulum ejus qui pepéndit in te, magíster meus Christus, ℣. O bona Crux, quæ decórem & pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti. Súscipe discípulum.

Lectio ix.

SEd fortássè áliquis tácitis sibi cogitatiónibus dicat.

dicat. Ad vocem Dominicam utérque iste piscator quid aut quantum dimísit; qui penè nil hábuit? Sed hac in re fratres charíssimi affèctum debémus pótiùs pensáre, quàm censum. Multum relíquit qui sibi nihil retínuit. Multum relíquit qui quantúmlibet parùm, totum deséruit. Certè nos & hábita cum amóre possidémus; & ea quæ mínimè habémus ex desidério quærimus. Multùm ergo Petrus & Andréas dimísit quando utérque étiam desidéria habéndi derelíquit.

℟. Homo Dei ducebátur ut crucifigerent eum, pópulus autem clamábat voce magna dicens: * Innocens ejus sanguis, sine causâ damnátur. ℣. Pópulus autem qui stabat ad spectáculum illud, voce magna clamábat dicens. Innocens ejus.

Te Deum laudámus. 29.

AD LAUDES.

Antiphona.

Vidit Dóminus Petrum & Andréam & vocávit eos. *Psalmus.* Dóminus regnávit. *cum reliquis.* 20. *Aña.* Venite post me, dicit Dóminus, fáciam vos piscatóres hóminum. *Aña.* Ego si patíbulum Crucis expavéscerem: crucis glóriam non prædicárem. *Aña.* Salve Crux pretiósa, súscipe discípulum ejus, qui pependit in te, magister meus Christus.

Aña. Bíduo vivens pendébat in cruce pro Christi nómine, beátus Andréas, & docebat pópulum.

Capitulum. Rom. 10.

Corde créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem; dicit enim Scriptúra omnis qui credit in illum non confundétur.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad Benedictus, Aña.

Concéde nobis hóminem iustum, redde nobis hóminem sanctum: ne interfícias hóminem Deo charum, justum, mansuétum & pium. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

Majestátem tuam Dómine supplíciter exorámus; ut sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus, éxtitit prædicátor & rector:

tector: ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per Dóminum.

Processio ad sanctum Petrum.

℟. vij. O bona Crux. *ut suprà.*

Ad ℣. Benedictus, Aña Salve Crux. *ut suprà in Laudibus.*

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui es sanctórum tuorum splendor mirábilis: quique hunc diem beáti Andréæ martyrio consecrásti; da Ecclésiæ tuæ de ejus natalítio semper gaudére: ut apud misericórdiam tuam, exémplis ejus protegámur & méritis. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Capitulum. Corde créditur. *ut suprà.*

℟. In omnem terram. *ut in Communi Apostol.* xv.

Oratio. Majestátem tuam. *ut suprà.*

Ad Sextam, Capitulum.

Rom. 10.

NOn enim est distínctio Judæi & Græci, nam idem Dóminus ómnium; dives in omnes qui ínvocant illum: omnis enim quicũque invocáverit nomen Dómini salvus erit.

℟. Constitues, xvj.

Orémus. *Oratio.*

ADjuvet Ecclésiam tuã tibi Dómine supplicándo, beátus Andréas Apóstolus; & pius intervéntor efficiátur: qui tui nóminis éxtitit prædicátor. Per Dóminum.

Ad Nonam, Capitulum.

Rom. 10.

ISaías enim dicit, quis crédidit audítui nostro; ergo fides ex audítu: audítus autem per verbum Christi.

℟. Nimis honoráti sunt. xvj.

Orémus. *Oratio.*

EXáudi Dómine pópulum tuum, cum sancti Andréæ Apóstoli tui patrocínio supplicántem; ut tuo semper auxílio: secúrâ tibi possit devotióne servíre. Per Dóminum.

Ad Vesperas. Aña. Vidit Dóminus. *cum reliquis de Laudibus. Psalmi ut in ij. Vesperis de Communi Apostolorum.* xvj.

Capitulum. Corde créditur. *ut suprà.*

℣. In omnem terram exívit sonus eórum.

℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat, Aña. Unus

Unus ex duóbus qui secúti sunt Dóminum erat Andréas, frater Simonis Petri. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DA nobis quæsumus Dómine Deus noster beáti Apóstoli tui Andréæ, intercessiónibus sublevári; ut per quos Ecclésiæ tuæ superni múneris rudiménta donásti: per eos subsídia perpétuæ salútis impéndas. Per Dóminum.

Processio ad sanctum Petrum.

℟. Homo Dei ducebátur. *ut suprà post ix. Lect.*

Ad ij. Magnificat, Ana. Biduo vivens. *ut suprà in Laudibus.*

Oratio. Exáudi Dómine. *ut suprà ad Nonam.*

FESTA DECEMBRIS.

DIE VI. DECEMBRIS.

In festo S. Nicolai Episcopi & Confessoris. Semid. Majus.

Omnia dicuntur de Communi Confess. Pontif. exceptis quæ hic sunt propria.

AD VESPERAS.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui ánimæ fámuli tui Nicolái, ætérnæ beatitúdinis præmia contulísti: concéde propítius; ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur: ejus apud te précibus sublevémur. Per Dóminum.

Ad primam Processionem.

℟. j. Euge serve bone lxxv.

Oratio. Da quæsumus. *ut in Communi Confessoris Pontificis.*

Ad secundã Processionem.

℟. ij. Jurávit Dóminus.

Oratio. Deus, qui cónspicis. lxxv.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura, quæ occurrunt per ordinem in Officio de Tempore.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

NIcoláum, illústri loco Pátaræ in Lyciâ natum: paréntes à Deo précibus impetrárunt. Cujus viri sánctitas quanta futúra esset jam ab incunábulis appáruit. Nam infans, cum réliquos dies lac nutrícis frequens súgeret; quartâ & sextâ fériâ semel dumtáxat, idque vésperi sugébat: quam jejúnij consuetúdinem in réliquâ vitâ semper ténuit. Adoléscens paréntibus orbátus: facultátes suas paupéribus distríbuit. Cujus illud insígne

gne est Christiánę benignitátis exémplum; quod cum eius civis egens, tres filias jam núbiles, in matrimónio collocáre non posset: earúmque pudicítiam prostitúere cogitáret; re cógnitâ Nicoláus, noctû per fenéstram, tantùm pecúniæ in ejus domum injécit: quantùm uníus vírginis doti satis esset. Quod cum íterum & tértiò fecísset: tres illæ vírgines, honéstis viris in matrimónium datæ sunt.

℟. Dñe quinque. lxxxij.

Lectio v.

CUm verò se totum Deo dedísset; in Palæstinam proféctus est ut loca sancta víseret: & præsens veneraretúr. Qua in peregrinatióne navem conscéndens, seréno cælo & tranquíllo mari; horríbilem nautis tempestátem prædíxit: moxque ortam; cùm in summo essent omnes perículo, orans mirabíliter sedávit. Undè cum domum revértens singuláris sanctitátis ómnibus documénta præbéret; Dei admónitu Myram quæ Lyciæ metrópolis erat, venit: quo témpore ejus urbis Epíscopo mórtuo, provinciáles Epíscopi, de successóre deligéndo consultábant. Itaque in eâ deliberatióne divinitùs admóniti sunt: ut eum elígerent; qui postrídie manè primus in Ecclésiam ingrederétur: Nicoláus nómine. Qua òbservatióne adhíbitâ; in Ecclésiæ jánuâ deprehénsus est Nicoláus: & summo ómnium consénsu, Myræ Epíscopus creátur. In Episcopátu castitátem quam semper colúerat: gravitátem; oratiónis assiduitátem; vigílias, abstinéntiam, liberalitátem & hospitalitátem; in adhortándo mansuetúdinem, & in reprehendéndo severitátem: perpétuo adhíbuit.

℟. Justus germinábit.

Lectio vj.

VIduis & órphanis pecúniâ, cons lio & óperâ non défuit; oppréssos ádeò sublevávit, ut étiam tres Tribúnos per calúmniam à Constantíno Augústo condemnátos: qui se propter famam ejus miraculórum; oratiónibus, longíssimè abscénti commendárunt: adhuc vivens, cùm Imperatóri, minácitet

náciter eum terrens apparuísset, liberáverit. Cùm verò contra edíctum Diocletiáni & Maximiáni, Christiánæ fidei veritátem Myræ prædicáret; ab Imperatórum satellítibus cōprehénsus & longíssimè abdúctus, in cárcerem conjéctus est, ubi fuit usque ad Constántinum Imperatórem; cujus jussu ex custódiâ ereptus Myram rédiit. Mox ad Nicænum Concílium se cóntulit; ubi cum trecéntis illis decem & octo Pátribus, Ariánam hæresim condemnávit. Indè revérsus ad Episcopátum, non ita multo post; instánte morte suspíciens in cælum; cum Angelos sibi occurréntes intuerétur; illo Psalmo pronuntiáto, in te Dómine sperávi, usque ad eum locum; In manus tuas comméndo spíritum meum; in cœléstem pátriam migrávit. Ejus corpus Bárium in Apúlia translátum; ibidem summâ cum devotióne cólitur.

℟. Stola jocunditátis.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij; secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris; Et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum; quandò revertátur à núptiis. Ut cùm vénerit & pulsáverit; conféstim apériant ei. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

Ex Sermone 24. post initium.

COnstringénda est caro continéntiæ cíngulo; ne effúsa vítiis ac toto peccatórum graváta póndere; supérnis & cæléstibus insístere non possit incéssibus. Benè Dóminus adjécit. Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris; quia semper ad innocéntiæ testimónium, lucérnæ noctúrno portántur in témpore; & sicut vítiis amícæ semper sunt ténebræ; ita lucérnæ semper inimícæ criminibus; sóciæ semper boni óperis sunt lucérnæ.

℟. Cibávit illum. lxxxvj.

Lectio viij.

SEd in mánibus sanctórum ipsa bona ópera sunt

sunt lucérnæ; dicénte Dómino: Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona. Et verè portant lucérnas suas: verè foméntis óperum, verè misericórdiæ unguénto inflámmant lãpades suas; qui cum loco, propósito stúdio látitant: ópere, virtúte, méritis, corúscant ac splendent, toto orbe terrárum. Et quia expectatiónis suæ Dóminus satis tristes, satis ánxias nóverat moras: ne quis superarétur tædio; ne quis lassésceret tarditáte; ne quis longæ expectatiónis fatigatióne succúmberet: perseverántibus beatitúdinem cæléstem, cæléste promíttit obséquium.

℟. Justum dedúxit.

Lectio ix.

ET ne ipsíus Beatitúdinis quálitas haberetur incérta, mox adjécit; Amen dico vobis quia præcinget se, & fáciet illos discúmbere: & tránsiens ministrábit eis. Præcínget se Deus, & fáciet servos discúmbere: & ministrábit eis. En mutátio inaudíta rerum; en terríbilis corréptio dominatiónis: en pavénda convérsio servitútis. Quia parúmper servus ástitit in Dómini sui expectatióne succínctus: & sustinéndi fidem brevi fatigatióne portávit; cui, ut taliónem rédderet: dissímulat se in ipsá Divinítate Divínitas. Discumbénti hómini Deus astat, & adstat in cæléstibus; epulanti servo servit Dóminus: & servit accínctus.

℟. In médio Ecclésiæ.

Ad Laudes, ad Tertiam, & ad Vesp. Oratio. Deus qui ánimæ fámuli tui. *ut suprà.*

Ad Sextam. Oratio. Da quæsumus. lxxxviij.

Ad Nonam. Oratio. Deus qui cónspicis. lxxxix.

DIE VIII. DECEMBRIS.

IN FESTO

Conceptionis beatæ Mariæ Virg. Duplex majus.

Ad Vesperas. Aña. Ave María. *cum reliquis de Laudibus, Psalmi de B. Maria, ut in ejus Officio parvo.*

Capitulum. Isaiæ 11.

EGrediétur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascéndet; & requiéscet super eum spíritus Dómini, spíritus sapiéntiæ

&

& intelléctus; spíritus consílii & fortitúdinis ; spíritus sciéntiæ & pietátis : & replébit eum spíritus timóris Dómini.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes.

℟. Quia fecit mihi magna quia pótens est.

Ad Magnificat, Aña. Quia respéxit Deus humilitatem meam:beátam me dicent omnes generatiónes. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

FAmulis tuis Dómine cæléstis grátiæ munus impartíre ; ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium : Concceptiónis ejus votíva solémnitas, pacis tribuat increméntum. Per Dóminum.

Processio ad S. Mariam.

℟. Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet. * Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus, & fides cinctórium renum ejus.

Ad ij. Magnificat, Aña. Sicut myrrha eléćta odórem dedisti suavitátis, sancta Dei Génitrix.

Orémus. *Oratio.*

SUpplicatiónem servórũ tuórum, Deus miserátor exáudi ; ut qui in Conceptióne Dei Genitrícis & Vírginis cõgregámur ejus intercessiónibus, à te, de instántibus perículis eruámur. Per eúndem.

Ad Completorium. Hymnus. Ave maris stella, *ut in Officio S. Mariæ in Sabbato*, † *& dicitur per totam Octavam.*

Ad Matutinum Invitat. Ave María grátia plena Dóminus tecum. *Duplicatur.* *Psalm.* Veníte exultémus 2.

In primo Nocturno.

Aña. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte. *Psalm.* Dómine Dóminus noster. *ut in Officio parvo B Virginis.*

Aña. Speciósa facta es & suávis in delíciis tuis sancta Dei Génitrix. *Psalmus.* Consérva me Dómine.

Aña. Unguéntum effúsum nomen tuum ; ídeò adolescéntulæ dilexérunt te nimis. *Psalm.* Dñi est terra.

℣. Spécie tuâ, & pulchritúdine tuâ. ℟. Inténde prósperè, procéde & regna.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 24.

EGo ex ore Altíssimi prodívi : primogénita ante

ante omnem creatúram. Ego feci in cælis ut orirétur lumen indeficiens: & sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi: & thronus meus in colúmnâ nubis. Gyrum cœli circuívi sola, & profúndum abyssi penetrávi; in flúctibus maris ambulávi, & in omni terrâ steti: & in omni pópulo, & in omni gente primátum hábui; & ómnium excelléntium & humílium corda virtúte calcávi: & in his ómnibus réquiem quæsívi, & in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit & dixit mihi Creátor ómnium; & qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo: & dixit mihi. In Jacob inhábita; & in Israël hęreditáre: & in eléctis meis mitte radíces.

℟. Vidi speciósam sicut Colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis, in vestiméntis ejus. * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, & lílium convállium. ℣. Jam enim hyems tránsiit, imber ábiit & recéssit. Et sicut dies.

Lectio ij.

AB inítio & ante sęcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam: & in habitatióne sanctâ coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi: & in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto; & in parte Dei mei hæréditas illíus: & in plenitúdine sanctórū deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano: & quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades: & quasi plantátio rosæ in Iéricho. Quasi olíva speciósa in campis: & quasi platánus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum & bálsamū aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris; & quasi storax, & gálbanus & úngula, & gutta, & quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónē meam: & quasi bálsamum non mixtum odor meus.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, & sicut cypressus in montē Sion: quasi

quasi myrrha elécta. * Dedi suavitátem odóris.

℣. Sicut cinnamómum & aspártum aromatizans. Dedi suavitátem.

Lectio iij.

EGo quasi terebínthus exténdi rámos meos : & rami mei honóris & grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris ; & flores mei : fructus honóris & honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, & timóris, & agnitiónis : & sanctæ spei. In me grátia omnis viæ & veritátis : in me omnis spes vitæ & virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, & à generatiónibus meis implémini ; spíritus enim meus dulcis : & hæréditas mea super mel & favum. Memória mea in generatiónes sæculórum ; qui edunt me adhuc esúrient : & qui bibunt me adhuc sitient. Qui audit me non confundétur : & qui operántur in me non peccábunt. Qui elúcidant me : vitam ætérnam habebunt.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abyssos constitúeret, priúsquã prodúceret fontes aquárum, ántequam montes collocaréntur. * Ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram. Ante omnes. Glória Patri. Ante omnes.

In secundo Nocturno.

Aña. Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ, inténde, próspere procéde & regna. *Psal.* Eructávit cor meum verbũ. clxxxij. *Aña.* Adjuvábit eam Deus vultu suo, Deus in médio ejus, non commovébitur. *Psalm.* Deus nostrum refúgium. *Aña.* Hortus conclúsus soror mea, Hortus cõclúsus, fons signátus. *Ps.* Magnus Dñs. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Ex Serm. de B. Virg. de verbis Apoc.

Lectio iv.

IN Sole & fervor & splendor stábilis ; in Lunâ solus splendor, atque is omnino mutábilis & incértus : qui nunquam in eódem statu permáneat. Jure ergo Maria, sole perhibétur amicta

amícta, quæ profundíssimam Divínæ sapiéntiæ, ultra quam credi váleat, penetrávit abyssum; ut quantùm sine personáli unióne, creatúræ condítio pátitur: luci illi inaccessibili videátur immérsa. Illo nimírum igne Prophétæ lábia purgántur: illo igne Séraphim accendúntur; longè verò áliter María: méruit non velut summátim tangi; sed operiri magis úndique & circumfúndi: & tanquàm ipso igne conclúdi. Candidíssimus sanè, sed & calidíssimus hujus mulíeris amíctus; cujus ómnia tam excellénter irradiáta noscúntur: ut nihil in eâ non dico tenebrósum; sed obscúrum saltem, vel minùs lúcidum: sed ne tépidum quidem aliquid, aut non ferventíssimum, líceat suspicári.

℟. Una est colúmba mea, perfécta mea. Una est matri suæ, eléćta Genitrici suę. * Vidérunt illā filiæ & beatíssimā prędicavérūt; reginę & laudavérunt eā. ℣. Quæ est ista quæ progréditur, quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, eléćta ut sol. Vidérunt illam filiæ.

Lectio v.

Ex deprecatione & laude ejusdem ad B. Virginem.

Verè beneplácitum fuit Deo habitáre in te: quando ex illibáta carnis tuæ substántia; quasi de lignis Líbani, architectúra ineffábili: domū sibi ædificávit Dei sapiéntia. Suffúlsit eam septem colúmnis argénteis: ac reclinatórium áureum in eâ collocávit. Hi sunt septem spíritûs Dei, & hæc est única illa Salvatóris fœmina; in qua sola quæsitâ, in ómnibus réquiem invénit: atque in ejus sinū omnes thesaúros suos absque mensurâ transfúdit. Unde benè sancto Spirítui in te complácuit ô María: cum Divínis ádeò mystériis úterum tuum consecráre dignátus est. Ipse est enim ignis consúmens; qui sanctíssimam ánimam tuam, totam inflammávit seipso: atque splendóre Divínæ Majestátis implévit.

℟. Dilexísti justítiam & odísti iniquitátem. * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus. ℣. Omnis glória ejus Fílię Regis ab intùs, in fimbriis aúreis. Proptéreà.

Lectio

Lectio vj.

Ex Sermone ejusd. de Nat. Beatæ Virg.

ALtiùs intuémini quãto devotiónis affectu à nobis eam volúerit honorári: qui tótius boni plenitúdinẽ pósuit in María; ut proinde si quid spei in nobis, si quid grátiæ, si quid salutis: ab eâ novérimus redundáre, quæ ascéndit delíciis áffluens. Hortus planè deliciárum; quem non modò affláverit veniens, sed & perfláverit supervéniens auster ille Divinus: ut úndique fluant & áffluant arómata ejus, charísmata scílicet gratiárum. Tolle corpus hoc soláre quod illúminat mundum; ubi dies? Tolle Maríam; hanc maris stellam, maris útique magni & spatiósi: quid nisi calígo invólvens, & umbra mortis, ac densíssimæ ténebræ linquúntur. Totis ergo medúllis córdium; totis præcordiórum affectibus & votis ómnibus: Maríam hanc venerémur; quia sic est volúntas ejus: qui totum nos habére vóluit per Maríam.

℟. Ante colles ego parturiébar, necdum erant abyssi, & ego jam concepta eram: quando præparábat cœlos áderam, quando appendébat fundaménta terræ. * Cum eo eram cuncta compónens.

℣. Quando æthera firmábat sursum, & librábat fontes aquárum, Cum eo eram. Glória Patri. Cum eo eram.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Homo natus est in ea, & ipse fundávit eam Altíssimus. *Psal.* Fundaménta ejus.

Aña. Surge Aquílo & veni Auster; persla hortum meum, & fluent arómata illíus. *Psalmus.* Dóminus regnávit exúltet.

Aña. Sicut Myrrha elécta, odórem dedisti suavitátis, sancta Dei Génitrix. *Psalmus.* Cantáte. ij.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

LIber generatiónis Jesu Christi filij David: filij Abraham. Abraham génuit Isaac: Isaac autem génuit

nuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 2. in Matth. post initium.

AUditû quidem mirábile est, quod ineffábilis Deus, & qui nec sermónibus explicári potest nec cogitatiónibus comprehéndi; Patríque per ómnia coæquális: per Vírginis ad nos venit úterum; & fieri ex mulíere dignátus est: & habére primogenitóres, David & Abraham. Et quid dico David & Abraham? étiam illas quod magis stupéndum est fœminas: quas paulò ante memorávi. Hæc ígitur áudiens mente consúrge, nihilque húmile suspicéris; sed pótiùs propter hoc ipsum máximè miráre: quia cum verus & diléctus Fílius sit sempitérni Dei; étiam filius David esse dignátus est: modò ut te filium fáceret Dei. Servum patrem habére dignátus est: ut tibi servo, Patrem fáceret ipsum Deum.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes. * Quia fecit mihi Dóminus magna quia potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus in progénie & progénies, timéntibus eum. Quia fecit.

Lectio viij.

VIdes ab ipso statim princípio: quàm læta sint hæc núntia. Quod si ámbigis de his quæ ad tuũ spectant honórem; ab iis quæ illíus sunt: étiam tua disce crédere. Quantum enim cónsequi potest humána rátio; multò est difficíliùs Deum hóminem fieri: quàm hóminem Dei fílium consecrári. Cum ergo audíeris quia Fílius Dei, Fílius sit & David & Abrahæ: dubitare jam désine; quod & tu, qui filius es Adæ: futúrus sis filius Dei. Nõ enim semetípsum ita humiliásset: nisi nos esset exaltatúrus. Natus est enim secúndùm carnem, ut tu nascerére spíritu; natus est ex mulíere: ut tu desíneres filius esse mulíeris.

℟. Gyrum cœli circuívi sola, & in flúctibus maris ambulávi: in omni Gente, & in òmni pópulo primátum ténui. * Superbórum & sublímium colla, própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis

tissimis hábito, & thronus meus in colúmna nubis, Superbórum.

Lectio ix.

PRoptéreà duplex facta generátio est. Hæc scílicet nostræ símilis: illa, nostram eminénter excédens. Quod enim natus ex fœmina est, & nobis cómpetit; quod verò non ex sánguine neque ex voluntáte carnis aut viri: sed ex Spíritu sancto; áliam nobis sublimiórem: futurámque, & spíritu consequéndam generatiónem promíttit. Sed ália quoque ómnia ex símili diversitáte constábant. Nam & Baptísma profectò tale suscépit; quod habéret quidē áliquid vétéris: habéret & novi. Quod enim baptizátus est à prophétâ, expréssit vetus: quod autem descéndit Spíritus, adumbrávit novum. ℟. Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet, * Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus, & fides cinctórium renum ejus. ℣. Et requiéscet super eum spíritus Dómini; Spíritus sapiéntiæ & intelléctûs, Et erit justítia. Te Deum. 19.

AD LAUDES.

Antiph. Ave María grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu, in mulíeribus. *Psalm.* Dóminus regnávit *cum reliq.* 20. *Ana.* Pulchra es & decóra, filia Jerúsalem, terribilis ut castrórum ácies ordináta. *Ana.* Benedícta tu in mulíeribus, & benedíctus fructus ventris tui. *Ana.* In odórem unguentórum tuórum currémus, Adolescéntulæ dilexérunt te nimis. *Ana.* Quàm pulchri sunt gressus tui calciaménti, filia Príncipis.

Capitulum. Isaiæ 11.

EGrediétur virga de radice Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet; & requiéscet super eum spíritus Dómini, spíritus sapiéntiæ & intelléctûs; spíritus consílii & fortitúdinis; spíritus sciéntiæ & pietátis: & replébit eum spíritus timóris Dómini.

℣. Elégit eam Deus & præelégit eam. ℟. In Tabernáculis suis habitáre eam facit.

Ad Benedictus. Ana. Egrediétur virga de radíce Jesse, & replébitur omnis terra glória Dómini, & vi-

débit omnis caro, salutáre Dei. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

FAmulis tuis Dómine cœléstis grátiæ munus impartíre; ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium: Conceptiónis ejus votíva solémnitas: pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Processio ad S. Mariam.

℟. ix. Egrediétur virga. *ut sup. post nonam Lectionem.*

Ad ij. Benedictus, Aña. Speciósa facta es & suávis in delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Orémus. *Oratio.*

SUpplicatiónem servórum tuórum Deus miserátor exáudi; ut qui in Conceptióne Dei Genitrícis & Vírginis congregámur: ejus intercessiónibus, à te, de instántibus perículis eruámur. Per eumdem.

Ad Tertiam. Capitulum. Egrediétur virga. *ut suprà.*

℟. Spécie tua & pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde prósperè procede & regna. Spécie tua. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non cõmovébitur.

Oratio. Fámulis tuis Dómine. *ut suprà.*

Ad Sextã, Capit. Eccli. 24.

AB inítio & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam; & in habitatione sancta: coram ipso ministrávi.

℟. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Adjuvábit eam. ℣. Glória. Adjuvábit eam. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio. Supplicatiónem servórum. *ut suprà.*

Ad Nonã, Capit. Eccl. 24.

ET sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta símiliter requiévi & in Jerúsalem potéstas mea; Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei hæréditas illíus: & in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℣. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnũ. Diffúsa est. Glória Patri. Diffúsa est. ℣. Elégit eam Deus, & præélegit eam.

℟. Et in tabernáculis suis habitáre

habitáre eam facit.

Orémus. *Oratio.*

Concéde miséricors Deus fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei Genitrícis & Vírginis Conceptiónem celebrámus: intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus. Per eundem Dñm nostrum.

Ad Vesperas, Antiphonæ & Psalmi ut in primis Vesperis. Capitulum. Egredietur virga. *ut suprà.*

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes. ℟. Quia fecit mihi magna qui potens est.

Ad Magnificat, Aña. Ego in altíssimis hábito, & thronus meus in colúmnâ nubis. *Duplic. Oratio.* Fámulis tuis. *ut suprà.*

Processio ad S. Mariam. *Aña.* Fœlix valdè es sacra Virgo María, & omni laude digníssima: quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster.

Ad ij. Magnificat, Aña. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrãt tuam sanctã Conceptiónem. *Oratio.* Supplicatiónem servórum. *ut sup.*

Ad Completoriũ. Hymn. Ave maris stella. *ut suprà.*

Infra Octavam Conceptionis Officium fit trium Lectionum hoc modo.

Ad Matutinum, Invitat. Ave María grátia plena Dóminus tecum. *Psal.* Veníte. *Deinde dicuntur novem Psalmi cum totidem Antiphonis de Nocturnis Festi, incipiendo ab Aña.* O quàm. *cum reliquis per ordinem.* ℣. Spécie tua.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente. Tertia propria de Octava. Responsoria de Nocturnis Festi prout infra qualibet die notantur. Non dicitur Te Deum laudámus.

Ad Laudes Aña & Psalmi & cætera, ut in die. Oratio. Fámulis tuis. *ut suprà. Non dicitur Psalm.* Levávi. *Hora ut in die.*

Ad Vesp. Aña & Psalmi de Feria occurr. ut in Psalterio. ℣. Beátam me dicent. *Ad Magnificat, Aña.* Ego in altíssimis. *ut suprà in ij. Vesperis Festi. Oratio.* Fámulis tuis. *Ad Comple-*

torium. Hymnus. Ave maris stella.

Sabbato infra Octavam. Vespera de Sabbato ante occurrentem Dominicam de Adventu ut in Proprio de Tempore. Dominica infra Octavam Officium fit de Dominica occurrente ut in Proprio de Tempore.

Sed ix. Lectio dicit. de Oct. & fit de ea comm. in Missa.

Si dies Octava Conceptionis occurrat in Sabbato. Vespera de Octava. Processio de Dominica.

Si occurr. Festum iij. Lect. infrà Oct. de eo legitur tertia Lectio & tũc prima erit de Script. secunda de Oct. tertia de Sancto & fit com. in Missa.

DIE IX. DECEMBRIS.

Secunda die infra Octavã. ℣. Spécie tua. *Duæ primæ Lectiones de Script. occurr.* ℟. j. Vidi speciósam. ℟. ij. Sicut cedrus.

Sermo S. Germáni Episc. Constantinopolitani.

Serm. in Annuntiat. Beatæ Mariæ.

Lectio iij.

AVe grátiâ plena. Urna manna habens; tota aúrea, tabernaculúmque púrpuræ revéra ópere: quod novus ille Beséleel, auro intéxtum, variúque effinxit. Ave grátiâ plena, úndiq; rútilans nubes Dei bájula: fonsque perénnis, univérsis aquas éffluens. Ave gratia plena, thronus ille excélsus & elevátus, universórum Creatóris & Redemptóris; manúque ómnia complecténtis & fovéntis: tum quæ in cœlo, tum quæ in terrâ. Ave gratiâ plena, vitam ferens, eúmque alens, qui alit; ac ei lac præbens: qui olim è petrâ, mellis fontes edúxit. Ave grátiá plena; mons Dei; mons pinguis; mons umbrósè; mons nõ cæse: mons in ómnium óculis pósite. Ave grátia plena; exultátio ánimæ, mundíque univérsi summè decóra venerátio: ómnium peccatórum mediátrix veré bona. Ave grátia plena; afflictórum, teque sincéro corde Dei genitrícem confiténtium: protéctio treménda. Ave grátia plena; quæ benígnum Dóminum inque humánum propensiórem genus: pro humáni géneris cõmuni salúte peperísti. Ave grátia plena; Christianórum ómnium mirábile,

mirábile,ac quod fácile afficiátur refúgium: omníque magníficâ spécie sublímius spectáculū. Tu autē.
℟. In princípio Deus.
In majori Eccles. iterùm Vesp. ad S. Eulaliam, seu ad S. Georgium, omnia de comm. Virg.

DIE X. DECEMBRIS.

Tertia die infra Octavam.
℣. Spécie tua. *j. Lect. de Script. occ.* ℟. j. Una est colúmba mea. *ut in ij. Noct. Festi.*

Sermo sancti Joannis Damascéni.

Orat. 1. *in Nativ. Mariæ.*

Lectio ij.

O Joáchim ac Annæ sacratíssima Filia, quæ principátus ac potestátes, atque maligna tela latuísti ac fefellísti; quæ in Spíritûs thálamo versáta es: atque immaculáta in Dei sponsam, ac naturâ Dei matrem fuisti elécta. O sacratíssima Fília, quæ in matérnis ulnis cernáris: sísque apostáticis virtútibus formidábilis. O chara Deo Fília; paréntum decus: quam (ut verè abs te dictū est) generatiónes omnes beátā prædicent. O digna Deo Fília, humánæ venústas natúræ; primígenæ matris Hevæ emendátio: tuo namque partu ea quæ ceciderat, excitáta atque erécta est. O Fília sacratíssima, gloriátio fœminárum; quamvis enim prima Heva prævaricatiónis rea extíterit, ac per eam adversùs primum paréntem serpenti navántem óperam, mors ingréssa sit: Maria tamen Divínæ obsequens voluntáti; deceptorem serpéntem ipsa decépit: ac mundo immortalitátem invéxit. O mirácula mentis captum atque oratiónis facultátem excedéntia. Te universórum Deus præsciens dignam diléxit: dilectámque prædestinávit; atque extrémis tempóribus in ortum prodúxit: ac Deíparam matrem suíque Fílii ac Verbi nutrítiam effécit. Tu autē.
℟. Dilexísti.

Pro sancta Eulalia Virg. & Martyre.

Lectio iij.

EUlalía virgo, Eméritæ in Hispánia nóbili génere orta; nobilióre morte: Christum conféssa est. Hæc sub Maximiáno Imperatóre, cùm esset annórum duódecim; & virgi-

nitátis amóre, mundíque contemptu, Christo gratíssima: sæviente in Christiános persecutióne; martyrium sitiens: se sponte Tyránno offérre cupiébat. Sed eam mater aliquãdiù procul ab urbe abscondit. Verùm illa martyrii impátiens; divíno afflàta spíritu, aufúgit sola: & se Daciáno Præsidi fidenter óbtulit; idolórum impietátem: & ejus in Christiános crudelitátem reprehẽdens. Cui blándiens primùm Tyránnus; deínde minas intentans: cùm virgo è contra, pede simuláchra & thuríbula, proculcáret; úngulis eam dirè laceràri jubet: quæ sine flétibus, Christi laudes læta canébat. Demùm fácibus úndique in látera, & stómachum accénsis; hausto igne: sacram Deo ánimam efflávit.

℟. Ante colles.

DIE XI. DECEMBRIS.

Quarta die infra Octavam. ℣. Spécie tua.

℟ j. Beátam me dicent. *ut in iij. Noct. Festi.*

℟. ij. Gyrum cœli.

Sermo sancti Cyrilli Epísc. Alexandrini.

Homil. contra Nestor.

Lectio iij.

Hillarem vídeo cœtum fidélium ómnium; qui convenérunt promptis ánimis: à sanctâ & Dei matre Maria semper Vírgine convocáti. Laus & glória tibi sit sancta Trínitas; quæ omnes nos ad hanc celebritátem convocásti: sit etiam tibi sancta Dei mater, Laus. Tu enim es, pretiósa Margaríta orbis terrárum; tu lampas inextinguíbilis; Coróna virginitátis; Sceptrum orthodóxæ fidei: Templum indissolúbile; cóntinens eum qui nusquam cõtinéri potest: Mater & Virgo. Tu benedícta inter mulíeres: ejus parens qui benedíctus venit in nómine Dómini. Per te Trínitas sanctificátur; per te Crux pretiósa celebrátur: & adorátur in toto orbe terrárum. Per te exúltat cœlum; lætántur Angeli atque Archángeli; fugántur Dæmones: & homo ipse ad cœlum revocátur. Per te Virgo, omnis creatúra idolórum erróre deténta, convérsa est ad agnitiónem veritátis; & fidéles hómines ad sanctũ

Baptísma pervenérunt: atque in toto orbe terrárum constrúctæ sunt Ecclésiæ. Te adjutríce gentes véniunt ad pœniténtiam. Quid plura? Per te unigénitus Dei filius; vera illa lux: effúlsit sedéntibus in ténebris & umbrâ mortis. Per te Prophétæ prænuntiárunt: per te Apostoli salútem géntibus prædicárunt. Quisnam póterit tuárum laudum præcónia explicáre, María mater & Virgo? Hanc fratres dilectíssimi celebrémus; ejus Fílium Ecclésiæ Sponsum immaculátum adorántes: cui honor & glória in sæcula sæculórum, Amen. Tu autem.

℟. Egrediétur.

DIE XII. DECEMBRIS.

Quinta die infra Octavam ℣. Spécie tua.

℟. j. Vidi speciósam. *ut in j. Noct. Festi.* ℟. ij. Sicut cedrus.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Ex deprec. ad B. Virginem.

Lectio ij.

TU sanctórum Aréola arómatum; è cœlesti cónsita pigmentário: virtútum ómnium speciósis flóribus, delectabíliter vernas. Inter quos pulchérrimos flores: tres mirámur in te, ô excellentíssima. Hi sunt quorũ odóre suavíssimo totam domum Dómini reples, ô María: Viola humilitátis; Lílium castitátis: Rosa charitátis. Meritò de Dei aréolâ flos ille speciósus præ flóribus paradísi eléctus est: super quem requiévit spíritus Dómini. Et cui te assimilábimus Mater pulchritúdinis? verè paradísus, Dei tu es: quia lignum vitæ mundo protulísti; de quo qui manducáverit: vivet in ætérnum. Fons vitæ qui ex ore Altíssimi pródiit, de médio ventris tui exilívit; atque indè in quátuor capita se dispergens: ad irrigándam fáciem aréntis mundi emanávit; lætíficans civitátem Dei: omnis enim qui bíberit ex eo, non sítiet in ætérnum. O quanta mundo contulísti: quæ tam sálubris aquæductus esse meruísti. O lampas luculentíssima; quantos lætificásti: quando splendóre Dei illustráta; desiderátum illud lumen quo invénta est

drachma décima: sedéntibus in ténebris & umbrâ mortis, protulísti. Te nimírum ille Divíni Epithalámij præcéntor à lõgè intúitus est: cum in admiratiónis vocem ita prorúpit. Quæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens; pulchra ut luna; eléćta ut sol: terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Tu autem.

℟. In princípio Deus.

DIE XIII. DECEMBRIS.

Sexta die infra Octavam.

℣. Spécie tua. *j. Lectiones de Scriptura occurrente.*

℟. j. Una est colúmba mea. *ut in ij. Noct. Festi.*

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

Orat. 4. in Nativ. Mariæ.

Lectio ij.

AVe rosa immarcescíbilis, summópere fragrans: ac ultrà quàm dici potest; cujus Dóminus odóre delectátus, in eâ requiévit: ac ex qua florens, mundi odórem depréssit. Ave pomum benè olens; fructus stérili prognátus, divinâ vetustáte decórus: canens in Cánticis. Stipáte me malis: quia vulneráta charitáte ego sum. Cujus Christus puritátem decérpens intemerátam: mundo fragrántem odóris suavitátem, in épulis hábuit. Ave lílium; cujus proles Jesus: agri hæc lília circumvéstit. Suáve-spirans Spíritûs rosárium: ex qua Christus nente némine; absque ullâ seménte: Salomónis ornátum omnem, decóre suo obscuránte stolâ, indútus est. Ave flos cunctis tinctórum colóribus, omni constans virtúte condiméntum: versicolórius, ex qua flos símilis símili; matérnâ expressióne accurátâ consúrgit: super quem requiéscunt septem Spíritûs ut Scriptúra dicit. Ave nardus prófluens; ac unguentariórum more castitátis arómata írrigans: quorum evaporátio odor suavíssimus; dicénti in Cánticis: nardus mea dedit ódorem suum. Tu autem.

℟. Dilexísti.

Pro S. Lucia Virg. & Mart.

Lectio iij.

LUcia Virgo Syracusána; génere & Christiána fide nóbilis: cum matre Eutychia, quæ sánguinis fluxu laborábat; ad Beátæ Agathæ

Agathæ sepúlchrum Cátanam pròfecta ? ipsi sanitátem impetrávit. Et continuo matrem exorávit ; ut quam sibi dotem esset datúra ? paupéribus tribui paterétur. Igitur Syracúsas rédiens ? ómnia sua in páuperes erogávit. Quod ubi rescívit is cui paréntes eam renuéntem despónderant; apud Paschásium Præféctum ? Lúciam quod Christiána esset , accusávit. Quam ille cùm nec précibus nec minis cedéntem, imò tantò magis Christum prædicantem vidéret ; cessábunt inquit verba cum ventum fúerit ad vérbera. At illa. Dei servis verba deesse non possunt; quibus à Christo dictum est ? non vos estis qui loquímini;sed Spíritus sanctus ? qui lóquitur in vobis. Interrogánte Paschásio ; est ne in te Spíritus sanctus? respóndit. Castè & piè vivéntes ? templum sunt Spíritûs sancti. At ille. Jubébo te ad lupánar duci ? ut te Spíritûs sanctus déserat.Cui virgo ; si invitam jusseris violári ? cástitas mihi duplicábitur ad corónam. Quare Paschásius ira inflammátus; Lúciam eò trahi jussit ? ubi ejus virgínitas violarétur. Sed divínitùs factum est ? ut immóbilis Virgo , nulla vi , de loco dimovéri posset. Cumque ab igne circumaccénso nullátenùs læderétur ; váriis torméntis cruciátæ , tandem guttur gládio transfigitur ? quo vúlnere accepto Spíritum Deo réddidit. ℟. Ante colles.

DIE XIV. DECEMBRIS.

Septima die infra Octavã. ℣. Spécie tua. ℟. j. Beátam me dicent. *ut in iij. Noct. Festi.* ℟. ij. Gyrum cœli.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Ex deprecat. ad B. Mariam Virginem.

Lectio iij.

SIcut auróra valdè rútilans in mundo progréssa es ô María ; quando veri solis splendórem tantæ sanctitátis júbare præcucurristi ? ut verè diem salútis ; diem propitiatiónis ; diem quem fecit Dóminus ? à tuâ claritáte initiári dignum fúerit.Fœlix auróra; fœlicis diei ? núntia extitísti. Talis dies talem auróram diei décuit. Et rectè quidem auróræ implesti

officium; ipse enim sol justitiæ de te processúrus: ortum suum quadam matutinâ irradiatióne præ véniens; in te lucis suæ rádios copiósè transfúdit: quibus potestátes tenebrárum quas Heva indúxerat, in fugam convertísti; atque ita desiderátum cunctis géntibus solem: mundo invexísti. Tu pulchra ut luna díceris: eique non immérito comparáris. Illa enim ómnium astrórum sola, soli simíllima; & candóre venústa argénteo: cæteris in cœlo præmicat sidéribus. Tu veri solis imágo expressíssima; inter míllia astrórum Deo assisténtium: virgináli puritáte in cœlo gloriósa præfúlges. Illa enim transfúsa in se solári lúmine noctem nostram illúminat; Tu virtútum tibi à Deo inditárum magníficis exémplis, ad imitatiónem tui nos próvocas: sicque noctem nostram illúminas. Qui enim vias tuas consectátus fúerit; non ambulábit in ténebris: sed lumen vitæ invéniet. Tu ergo pulchra es ut luna; imò & púlchrior lunâ; quia tota pulchra es & mácula non est in te: neque vicissitúdinis obumbrátio. Tu elécta ut sol: ille inquam sol, Solis cónditor. Ille enim eléctus est ex míllibus virórum: tu elécta ex míllibus fœminárum. Ille eléctus ex ómnibus quæ sunt: tu elécta ex ómnibus quæ per illum sunt. Tu autem.

℟. Egrediétur.

Vespera de die octava. Antiphona, & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum & cætera ut in primis Vesperis Festi. Processio sine Magnificat.

DIE XV. DECEMBRIS.

In die octava Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Semid. Maius.

In primo Nocturno.

Omnia ut in die Festi præter Lectiones.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 8.

EGo diligéntes me díligo; & qui manè vígilant ad me: invénient me. Mecum sunt divítiæ, & glória: opes supérbæ, & justítia. Mélior est enim fructus meus, auro & lápide pretióso: & genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo; in médio semitá-

femitárum judícij, ut ditem diligéntes me ⁄ & thesáuros eórum répleam. Dominus posśédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret à principio; ab ætérno ordináta sum ⁄ & ex antíquis ántequam terra fieret.

℞. Vidi speciósam.

Lectio ij.

NOndum erant abyssi, & ego jam concépta eram; necdum fontes aquárum erúperant, necdum montes gravi mole constíterant; ante colles ego parturiébar ⁄ adhuc terram non fecérat, & flúmina & cárdines orbis terræ. Quando præparábat cælos áderam; quando certá lege & gyro vallábat abyssos ⁄ quando æthera firmábat sursum, & librábat fontes aquárum. Quando circúmdabat mari términum suū; & legem ponébat aquis, ne transirent fines suos ⁄ quando appendebat fundaménta terræ.

℞. Sicut cedrus.

Lectio iij.

CUm eo eram cuncta compónens ⁄ & delectábar per singulos dies, ludens coram eo omni témpore; ludens in orbe terrárum ⁄ & deliciæ meæ, esse cum filiis hóminum. Nunc ergo filij audite me. Beáti qui custódiunt vias meas; audite disciplinam & estóte sapiéntes ⁄ & nolíte abjicere eam. Beatus homo qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotídie ⁄ & obsérvat ad postes ostij mei. Qui me invénerit invéniet vitam, & háuriet salutem à Dómino; qui autem in me peccáverit ⁄ lædet ánimam suam. Omnes qui me odérunt, díligunt mortem.

℞. In princípio.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Joánnis Damasceni.

Orat. 1. in Nat. B. Mariæ.

Lectio iv.

BEnedicta tu in muliéribus & benedictus fructus ventris tui. O fœmina regis David filia ⁄ Deíque omnium regis mater. O Divínum vivúmque simulachrum, ac plane excúlta imágo; cujus cónditor Deus pulchritudine delectátus est ⁄ mentem quidem divínitùs gubernátam habens, ac soli Deo óperam dantem; cupiditátem autem

omnem, ad id quod solum expeténdum est, ac amóre dignum inténtam: iram verò advérsùs peccátum dumtáxat, ejúsque paréntem. Tota thálamus Spíritûs; tota cívitas Dei vivi, quam lætíficant flúminis impetûs: sancti inquam Spíritûs, gratiárum fluctûs. Tota pulchra, tota Deo propínqua; ipsa namque Chérubim súperans, ac super Séraphim evécta: propínqua Deo éxtitit. O miráculum: miráculum omnem novitátem vincens. Múlier Séraphim sublímior efécta est: proptéreà quia Deus visus est paulò minùs ab Angelis minorátus. Síleat sapientíssimus Sálomon: nec jam nihil sub sole novum esse affirmet.

℟. Una est colúmba.

Lectio v.

O Virgo divínis aucta grátiis, templum Dei sanctum; quod spirituális Sálomon princeps ille pacis: abs sese extrúctum inhabitávit. Templum, inquam, non auro ac inánimis lapídibus præclárè ornátum; sed auri loco, Spíritûs nitens fulgóribus: pro lapídibus autem pretiósis, pretiosissimam margarítam Christum habens. Deitátis illum carbúnculum; quem, ut nostra lábia tangat, supplex precare: ut hac purgáti ratióne; ipsum cum Patre ac sancto Spíritu laudémus: in has voces clamántes. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth: natúra una Deitátis in tribus persónis. Sanctus Deus & Pater; qui in te ac ex te, mystérium pérfici vóluit: quod ante sæcula præfiníerat.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

SAnctus fortis Dei Fílius, ac Deus unigénitus ille; qui & primogénitam hodiérna die ex stérili prodúxit: ut Unigénitus ipse ex Patre, ac primogénitus omnis creatúræ; Unigénitus nascerétur ex te Vírgine matre: primogénitus in multis frátribus símilis nobis; ratióne carnis ac sánguinis, quæ ex te assúmpsit: efféctus párticeps. Haud verò te, ex solo patre, aut ex solâ prodúxit matre; ut soli Unigénito, Unigéniti propríetas, ómnibus modis absolúta servarétur:

varétur: solus enim ipse Unigénitus est ex solo Patre & solus ex sola Matre. Sanctus immortális sanctíssimus Spíritus; qui Divinitátis suæ rore te ita conservávit, ut ab igne Divíno mínime absúmpta fúeris: Nam hoc quoque Moysis rubus ille præsignábat.

℟. Ante colles.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi: filij David, filij Abraham. Abraham génuit Isaac: Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilia S. Hilárij Epísc.

Comment. in Matth. initio, Cap. 1.

Ressum quem Matthæus in órdine régiæ successiónis: eum Lucas per Sacerdotálem órdinem edíderat. Quem dum utérque dinúmerat; & agnatiónem in Dómino utriúsque tribûs, utérque, signíficat: & rectæ generatiónis gradum ponit; quia Sacerdotális & régiæ, tribûs socíetas, per David ex conjúgio iníta: jam à Saláthiel in Zoróbabel, confirmátur ex génere. Atque ita dum Matthæus fratérnam oríginem quæ ex Juda proficiscebátur recénset; Lucas verò accéptum per Nathan ex tribu Levi, genus édocet: suis utérque pártibus, Dómino nostro Jesu Christo qui est ætérnus Rex & Sacerdos; étiam in carnáli ortu utriúsque géneris, glóriam probavérunt.

℟. Beátam me dicent.

Lectio viij.

Quod verò Joseph pótius quàm Maríæ natívitas recensétur; nil refert: éadem est enim totíus tribus, atque una cognátio. Exémplum étiam Matthæus & Lucas dedérunt; patres ínvicem appellántes non tam génere quàm gente: quia ab uno tribus cœpta, sub uníus successiónis & oríginis família continétur. Cum enim fílius David atque Abrahæ sit ostendéndus; ita Matthæus cœpit: Liber generatiónis Jesu Christi filij David, filij Abrahæ.

℟. Gyrum cæli.

Lectio ix.

Non refert quis in oríginis número atque origine

origine collocétur; dúmmodo universórum família cœpta esse intelligátur ab uno. Itaque cum ejúsdem sint tribus Joseph & María; dum profectus esse ex Abrahæ génere Joseph ostenditur: profécta quoque docétur & María. Hæc enim in lege rátio serváta est: ut si mórtuus sine filiis, famíliæ princeps esset; defúncti uxórem postérior frater ejúsdem cognatiónis accíperet: susceptósque filios in famíliam ejus qui mórtuus esset, reférret. Manerétque ita in primogénitis successiónis ordo; cum patres eórum qui post se nati essent: aut nómine haberéntur, aut génere.

℞. Egrediétur virga.

Te Deum laudámus. 19.

Ad Processionem. Primum Respons. Feriæ occurrentis.

In Vigilia S. Thomæ Apost.

Tertia Lectio de Homilia Vigiliæ, ut in Communi Apostolorum. j.

DIE XXI. DECEMBRIS.

In festo S. Thomæ Apostoli.

Duplex. Minus.

Omnia de Communi Apostolorum exceptis his quæ hic sunt propria.

Ad utrasque Vesperas ad Magnificat una ex majoribus Antiphonis. O. quæ occurrerit.

Orémus. *Oratio.*

DA nobis quǽsumus Dómine beáti Apóstoli tui Thomæ solemnitátibus gloriári; ut ejus semper & patrocíniis sublevémur: & fidem congruâ devotióne sectémur. Per Dóminum.

Processio ad S. Thomam.

℞. j. Tóllite jugum. ij.

Ad ij. Magnificat. Aña. Quia vidísti me Thoma credidísti. Beáti qui non vidérunt & credidérunt, allelúia.

Orémus. *Oratio.*

QUǽsumus omnípotens Deus, ut Beátus Thomas Apóstolus, tuū pro nobis implóret auxíliū; ut à nostris reátibus absolúti à cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum.

Ad Matutinum.

In primo Nocturno.

De Isáía Prophéta.

Lectio j. Cap. 52. ℣. 7.

QUam pulchri sunt super montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem; annuntiántis bonum, prædicántis salútem: dicéntis

dicéntis Sion, regnábit Deus tuus. Vox speculatórum tuórum; levavérunt vocem, simul laudábunt: quia óculo ad óculum vidébunt, cum convérterit Dóminus Sion. Gaudéte & laudáte simul desérta Jerúsalem: quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem. Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium Géntium; & vidébunt omnes fines terræ: salutáre Dei nostri.

℟. Tóllite jugum. vij.

Lectio ij. Cap. 61. v. 6.

VOs autem sacerdótes Dómini vocabímini; Minístri Dei nostri, dicétur vobis: fortitúdinem Géntium comedétis, & in glóriâ eórum superbiétis. Pro confusióne vestrâ dúplici, & rubóre laudábunt partem suam; propter hoc in terra sua duplícia possidébunt: lætítia sempitérna erit eis. Quia ego Dóminus díligens judícium, & ódio habens rapínam in holocáusto; & dabo opus eórum in veritáte & fœdus perpétuum fériam eis: & scient in Géntibus, semen eórum, & germen eórum in médio populórum; omnes qui víderint eos cognóscent illos: quia isti sunt semen cui benedixit Dóminus.

℟. Ecce ego. vij.

Lectio iij. Cap. 66. v. 8.

ET vénient & vidébunt glóriam meam; & ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salváti fúerint ad Gentes in mare: in Africam & Lydiam tendéntes sagittam; in Itáliam & Græciam; ad ínsulas longè: ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam. Et annuntiábunt glóriam meam Géntibus; & addúcent omnes fratres vestros de cunctis Géntibus, donum Dómino.

℟. Cum stetéritis. viij.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

THomas qui & Dídymus; unus fuit ex duódecim quos Christus ex Discípulis suis elégit: & Apóstolos nominávit. Dóminum audíta morte Lázari, in Judæam profiscísci volèntem; cum Discípuli objécto lapidatiónis perículo, deterrére conaréntur: dixit Thomas. Eámus

& nos: ut moriámur cum eo. Cum autem Christus transitúrus ad Patrem dixísset discípulis; Vado paráre vobis locum: sciscitátus Thomas, quo váderet; & quam íniret viam: his ab eo verbis edóctus est. Ego sum via & véritas & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.

℟. Ego vos elégi. x.

Lectio v.

POst octo à Resurrectióne dies, vidit stantem Dóminum in médio discipulórum; & qui priùs eum resurrexísse non credíderat: præséntem intúitus exclamávit. Dóminus meus: & Deus meus. Erat autem cum Petro & Nathanaéle & filiis Zebedæi; & duóbus aliis discípulis: quando se manifestávit se íterùm Jesus ad mare Tiberíadis. Post accéptum Spíritum sanctum: Parthis & Medis Evangélium annuntiávit. Tum ad Indos se cóntulit; quibus in Christiánâ Religióne erudítis: Apostolátus honórem, Martyrij coróna cumulávit. ℟. Constítues. xj. *Lectio vj.*

MAximo in honóre apud Fidéles, fuit: cujus plúrima olim extitére monuménta. In Indiæ loco, in quo corpus ejus primùm cónditum fuit; extrúctum est Monastérium & Templum miræ magnitúdinis: in quo Deus multis miráculis, Apóstoli sui glóriam declarávit. Edéssæ in Mesopotámia quò ejus relíquiæ translátæ sunt: ædificáta est Basílica insígnis; ejúsque nómini dicáta: in qua propter loci sanctitátem, colléctæ sine intermissióne celebrabántur. Hujus spectándæ causâ Valens Imperátor Edéssam proféctus: cum pulsos ex eâ Orthodóxos úndique in campum civitáti vicínum conflúere; & colléctas ágere ægrè ferret: extréma quæque licet minátus; frustrà prohibére tentávit: & parátos omnes invénit, ad mortem pro fide Cathólicâ oppeténdam.

℟. Nimis honoráti sunt. xj.

In tertio Nocturno

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore: Thomas unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus; non erat

cum eis: quando venit Jesus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ.

Hom. 26. in Evang. circa medium.

QUid fratres charíssimi, quid inter hæc animadvértitis? Numquid casu gestum créditis, ut eléctus ille discípulus tunc deésset; post autem véniens audíret; áudiens dubitáret; dúbitans palpáret; palpans créderet? Non hoc casu: sed Divínâ dispensatióne gestum est. Egit namque miro modo supérna cleméntia; ut discípulus ille dúbitans, dum in magístro suo vúlnera palpáret carnis: in nobis vúlnera sanáret infidelitátis. Plus enim nobis Thomæ infidélitas ad fidem. quàm fides credéntium discipulórum prófuit; quia dum ille ad fidem palpándo redúcitur: nostra mens omni dubitatióne postpósita, in fide solidátur.

℟. O quam pulchri. xiv.

Lectio viij.

SIc quippe discípulum post Resurrectiónem suã dubitáre permísit Dóminus: nec tamen in dubitatióne deséruit; sicut ante nativitátem suam sponsum habére Maríam vóluit: qui tamen ad eius núptias non pervénit. Nam ita factus est discípulus dúbitans & palpans; testis veræ Resurrectiónis: sicut sponsus matris, fúerat custos integérrimæ virginitátis. Palpávit autem & exclamávit: Dóminus meus & Deus meus. Dicit ei Jesus. Quia vidísti me Thoma credidísti: cum Paulus Apóstolus dicat. Est autem fides sperandárum substántia rerum: arguméntum non apparéntium. Profécto liquet, quod fides illárum rerum arguméntum est: quæ apparére non possunt. Quæ enim appárent; jam fidem non habent: sed agnitiónem.

℟. Qui sunt isti. xiv.

Lectio ix.

DUm ergo vidit Thomas, dum palpávit; cur ei dícitur? Quia vidísti me Thoma credidísti. Sed áliud vidit: áliud crédidit. A mortáli quippe hómine divínitas vidéri non pótuit. Hóminem ergo vidit; & Deum conféssus est, dicens: Dóminus meus &

Deus

Deus meus. Vidéndo ergo crédidit; qui consideràndo verum hóminem ; hunc Deum quem vidére non póterat, exclamávit. Lætíficat valdè quod séquitur: Beáti qui non vidérunt & credidérunt. In qua nimírùm senténtiâ, nos speciáliter signáti sumus; qui eum, quem carne non vídimus ; mente retinémus. Nos signáti sumus; sed si fidem nostram óperibus séquimur; Ille étenim verè credit; qui exércet operándo quod credit.

℟. Via munda. xv.

Te Deum laudámus. 19.

Ad Laudes Antiphona de Communi Apostol. xv. *Psalmus.* Dóminus regnávit. *cumreliquis.* 20. *Capitulum & ℣. ut in Communi Apostól.* xv.

Ad Benedictus, Aña. Ego sum via; véritas & vita; nemo venit ad Patrem nisi per me, allel. *Duplic.*

Orémus. *Oratio.*

DA nobis quæsumus Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ solemnitátibus gloriári; ut ejus semper patrocíniis sublevémur; &, fidem congrua devotióne sectémur. Per.

Processio ad sanctum Thomam.

℟. ℣. Constítues eos príncipes super omnem terrã, mémores erunt nóminis tui Dómine: In omni progénie & generatióne.

Ad ij. Benedictus, Aña. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël, dicit Dóminus.

Oratio. Quæsumus omnípotens Deus. *ut suprà in primis Vesperis.*

Ad Vesperas, omnia de Communi Apostolorum præter Orationem.

Ad Magnificat, una ex majoribus Antiphonis O. quæ occurrerit.

Ad Processionem, Primum Responsor. Feriæ occurrentis.

Si hoc Festum occurrerit in una ex Feriis Quatuor Temporum pro nona Lectione legatur Homilia illius Feriæ.

FESTA JANUARII.

DIE XIV. JANUARII.

Hac die fit Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum.

In festo S. Felicis Nolani, dicti in Pincis, Presbyteri & Confess. iij. Lectionum.

Omnia

Omnia de Communi unius Confessoris non Pontificis; iij. Lect. præter Orationem & Lectionem.

Orémus. *Oratio.*

COncéde quęsumus omnípotens Deus: ut ad meliórem vitam sanctórum tuórum exémpla nos próvocent; quátenus quorum solémnia ágimus: étiam actûs imitémur. Per Dóminum.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Lectio ij.

FOelix Nolánus Presbyter, cum in idóla veheméntius inveherétur; ab infidélibus várie vexátus: in cárcerem conjícitur. Unde ab Angelo nocte edúctus, quærere jussus est Maximínum Nolæ Epíscopum; qui sénio conféctus declinándæ persecutiónis causâ juxta Dómini verbum, secesserat: & in monte latitábat. Quò cum Fœlix Deo duce perveníſset: sanctum Epíscopum humi jacéntem, penè mórtuum videt; quem recreátum ac sublátum in húmeros: apud fidélem víduam reficiéndum curávit. Sed cùm is íterùm idolórum cultóres impietátis argúeret; facto in ipsum ímpetu: fúgiens in angústo duórum paríetum intervállo se occultávit. Qui áditus cùm repéntè aranearum telis pertéxtus visus esset: némini recéntis látebræ suspiciónem relíquit. Indè igitur evádens Fœlix: in ædibus piæ mulíeris tres menses látuit. Cùm verò Dei Ecclésia requiéscere cœpísset, Nolam rédiens: postquàm multos ibi vitæ exémplis & doctrinæ præcéptis, miraculísque ad Christum convertísset; constánter étiam ejus urbis recusásset Episcopátum: obdormívit in Dómino, sepultúsque est propè Nolam in loco quem in Pincis appellábant.

Pro sancto Paulo Eremita.

Lectio iij.

PAulus Eremitárum auctor & magíster apud inferiórem Thebaïdem natus; cum quíndecim esset annórum: paréntibus orbátus est. Qui pósteà persecutiónem Décij & Valeriáni declínans; & Deo libériùs inservíre cupiens: in erémi speluncam se cóntulit.

tulit. Ubi palma ei victum & vestítum præbénte: vixit ad centésimum & décimum tértium annum. Quo témpore ab António nonagenário Dei mónitu invísitur: quibus inter se cū ánteà non nossent, próprio nómine consalutántibus; & multa de regno Dei colloquéntibus: Corvus, qui ánteà semper Paulo dimidiátum panem attúlerat, íntegrum détulit. Quare cum gratiárum actióne ad fontem capiéntes cibum; ubi tantísper recreáti sunt: noctem deínde in divínis laúdibus consumpsérunt. Dilúculò Paulus, de instánte sua morte ádmonens Antónium; hortátur ut pállium quod ab Athanásio accéperat: ad involvéndum suum corpus afférret. Quo ex itínere rédiens ille; vidit inter Angelórum choros: inter Prophetárū, & Apostolórū cœtûs Pauli ánimam ascéndere. Cumq; ad ejus cellam pervenísset; sanctum ejus corpus exánime pállio invólvit; Hymnos ac Psalmos ex Christiánâ traditióne decātans: cui sepeliéndo duo leónes ex erémo occurréntes, fóveam pédibus effecérunt. Cumque ei túmulum ex Christiáno more compósuísset; ábiit Antónius, túnicam Pauli ex palmæ foliis contéxtam aúferens: eóque vestitu diébus solémnibus Paschæ & Pentecóstes, quoad vixit usus est.

DIE XV. JANUARII.

In Festo S. Hilarij Episc. Confessoris & Ecclesiæ Doctoris, trium Lectionum.

Ad Vesperas, omnia de Communi Confessoris Pont,

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Hilárium minístrum tribuisti: præsta quæsumus, ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris: intercessórē habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In majori Ecclesia Processio ad Crucem, quia altare Crucis, est consecratum in honorem sancti Hilarii. ℟. ji. Iurávit Dóminus. *ad ij.* Magnificat, *Aña.* Similábo. ciij. *Oratio.* Da quæsumus. lxxv.

Ad Matutinum prima Lectio de Script. occurr,

Lectio ij.

HIlárius in Aquitániâ nóbili género natus: doctrinâ

doctrínâ & eloquéntiâ excélluit. Qui primùm in matrimónio quasi mónachi vitam egit; deíndè propter singuláres virtútes Pictavórum Epíscopus creátur: quod munus Episcopále sic gessit, ut à fidélibus summam laudem consequerétur. Quo témpore, cum terróribus, bonórum spoliatióne, exílio, & omni crudelitáte, Constántius Imperátor Cathólicos vexáret, nisi ad Ariánas partes transírent; Hilárius tanquàm firmíssimum murum, se Ariánis oppónens: illórum furórem in se concitávit. Itaque multis petítus insídiis; tandem dolo Saturníni Arelaténsis Epíscopi, de Synodo Biterrénsi in Phrygiam relegátus est: ubi & mórtuum suscitávit, & libros duódecim scripsit de Trinitáte contra Ariános. Quadriénnio post, coácto Concílio ad Seleúciã Isaúriæ urbem; Hilárius adésse compúlsus est: ac deíndè Constantinópolim profectus, ubi extrémum fidei periculum animadvertit; tribus libéllis públicè datis audiéntiam Imperatóris popóscit: ut de fide cum adversáriis coram disputáret. Verùm, cùm Ursácius & Valens Ariáni Epíscopi, quos Hilárius confutáret, præséntis eruditiónem pertiméscerent; Constántio persuasérunt: ut spécie honóris, eum in suum Episcopátum restitúeret.

Lectio iij.

TUnc Hilárium è prælio reverténtem; ut ait sanctus Hierónymus: Galliárum Ecclésia compléxa est. Quem ad Episcopátum secútus est Martínus, qui pósteà Turonénsi præfuit Ecclésiæ; tantúmque illo doctóre profécit: quantùm ejus pósteà sánctitas declarávit. Magna deínceps trãquillitáte Pictavórum Ecclésiam administrávit; Galliámque univérsam addúxit: ut Arianórum impietátem condemnáret. Multos libros scripsit mirâ eruditióne; quos omnes sanctus Hierónymus ad Lætam, sine ullâ erróris suspicióne, legi posse testátur illis verbis: Hilárii libros inoffénso decúrrat pede. Migrávit in cœlum Idibus Januárii, Valentiniáno & Valente

Impera

Imperatóribus; anno post Christum natum: trecentésimo sexagésimo nono.

DIE XVI. JANUARII.

In Festo S. Marcelli Papæ & Mart. trium Lect.

Orémus. *Oratio.*

PReces pópuli tui, quæsumus Dómine, cleménter exaúdi; ut beáti Marcélli Mártyris tui atq; Pontíficis méritis adjuvémur: cujus passióne lætámur. Per Dóminum. *Hæc Oratio dicitur ad Vesperas, Laudes & Tertiam.*

Duæ primæ Lectiones de Script. occurr.

Lectio iij.

MArcellus Románus; à Constántio & Galério, usque ad Maxẽtium: Põtificátum gessit. Vigínti quinque títulos in urbe instítuit quasi diœceses quasdam; & ad baptísmum, pœnitentiámque eórũ qui ex infidélibus Christiánam Religiónem suscíperent: & ad Mártyrum sepultúram. Quibus rebus irâ incénsus Maxéntius; Marcéllo grávia supplícia minátur: nisi depósito Pontificátu idólis immoláret. Qui cum insánas hóminis voces neglíret; misit eum in catábulum: ut bestiárum quæ públicè alebántur curam sustineret. Ubi Marcéllus assíduis jejúniis & précibus novem menses vitã duxit; paróchias quas præsens nõ poterat: vísitans per epístolas. Inde ereptus à Cléricis; hospítio recípitur à beáta Lucína matróna Romána: in cujus ædibus Ecclésiam dedicávit, quæ hódie título sancti Marcélli nominátur. Quibus cógnitis Maxéntius in eam Ecclésiam catábuli béstias transférri, & à Marcéllo custodíri jubet; ubi loci fœditáte multísque ærúmnis afflíctus: obdormívit in Dómino. Sedit annos quinque; ménsem unum: dies vigínti quinque. Ordinávit mense Decémbri Presbyteros vigínti quinque; Diáconos duos; Epíscopos per divérsa loca: vigínti unum.

Ad Sextam. Oratio. Infirmitátem nostram. xliv.

Ad Nonam. O*ratio.* Deus qui nos beáti. *de Communi Mart. Pontif.* xlv.

DIE XVII. JANUARII.

In Festo S. Antonii Abbatis Semidupl. majus.

Omnia de Communi Confessoris

fessoris non Pontificis præter ea quæ hic sunt propria.

Orémus. *Oratio.*

INtercéssio nos quǽsumus Dómine, beáti Antónii Confessóris tui cõméndet; ut quod nostris méritis non valémus ˊ ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente cum Responsoriis de Communi Confessoris non Pontificis.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANtónius Ægyptius, nobílibus & Christiánis paréntibus natus, quibus adoléscens orbátus estˊ cùm ingréssus Ecclésiam ex Evangélio audivísset; Si vis perféctus esse, vade & vende ómnia quæ habes; & da paupéribusˊ Tanquàm ea sibi dicta essent, sic Christo Dómino obtemperándum existimávit. Itaque vendita re familiáriˊ pecúniam omnem paupéribus distríbuit. Quibus solútus impediméntisˊ cœléstis vitæ genus in terris cólere instítuit. Sed cùm in periculósum illud certámen descénderet; ad fidei præsídium quo erat armátus, adhibendum sibi putávit subsídium reliquárum virtútumˊ quarum tanto stúdio incénsus fuit; ut quemcúmque videret áliqua virtútis laude excelléntemˊ illum imitári studéret.

℟. Audiam Dómine. xcix.

Lectio v.

NIhil ígitur eo continéntius ˊ nihil vigilántius erat. Patiéntia; mansuetúdine; misericórdia; humilitáte; labóre, ac stúdio divinárum Scripturárumˊ superábat omnes. Ab Hæreticórum & Schismaticórum hóminum; maximè Arianórum congréssu & collóquio sic abhorrébatˊ ut ne propè quidem ad eos accedéndum díceret. Humi jacébatˊ cum eum necessárius somnus occupásset. Jejúnium ádeò cóluit; ut salem tantúmmodò ad panem adhibéretˊ sitim aquá extíngueret. Neque se ante solis occásum cibo aut potu recreábat; sæpè étiã bíduum à cibo abstinébatˊ sæpíssimè in Oratióne pernoctábat. Cum talis tantúsque Dei miles evasísset Antónius;

nius; sanctíssimum júvenẽ hostis humáni géneris váriis tentatiónibus aggréditur: quas ille jejúnio & oratióne vincébat. Nec verò frequens de Sátana triúmphus secúrum reddébat Antónium: qui Diáboli innumerábiles artes nocéndi nóverat.

℟. Dómine quinque. xcix.

Lectio vj.

ITaque cóntulit se in vastíssimam Ægypti solitúdinem; ubi quotídiè ad Christiánam perfectiónem profíciens: dæmones ita contémpsit, ut illis exprobráret imbecillitátem; ac sæpè discípulos suos éxcitans ad pugnándum contra diábolum, docens quibus armis vincéretur: Mihi crédite, dicébat, fratres; pertiméscit sátanas piórum vigílias; oratiónes; jejunia; voluntáriam paupertátem; misericórdiam & humilitátem; maximè verò ardẽtem amórem in Christum Dóminum: cujus único sanctíssimæ Crucis signo debilitátus aufúgit. Sic autem dæmónibus erat formidándus; ut multi per Ægyptum ab illis agitáti: invocáto nómine Antonii liberaréntur. Tantáque erat ejus fama sanctitátis: ut per lítteras se ejus oratiónibus Constantinus Magnus & filii commendárent. Qui aliquándo quintum & centésimum annum agens; cum innumerábiles sui instituti imitatóres habéret: convocátis mónachis, & ad perféctam Christiánæ vitæ regulam instructis; sanctititáte & mirá culis clarus: migrávit in cœlum décimo sexto Kaléndas Februárii.

℟. Super salútem. xcix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii: secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore: Dixit Jesus adolescenti. Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes & da paupéribus; & habébis thesaúrum in cœlo: & veni, séquere me.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 64 in Matth. post initium.

ANtequàm Jesus adolescénti certáminis labórem osténderet; bravíũ præ óculis pósuit dicens: Si vis perféctus esse. At tunc

tunc infert : vende ómnia quæ habes & da paupéribus. Et mox íterùm præmia incúlcat ; & habébis thesaúrum in cœlo : & veni & séquere me. Magna enim retribútio est : diligénter Dóminum sequi. Et habébis, inquit, thesaúrum in cœlis. Nam quóniam magna illi cura de pecúniis erat, & quandóquidem ipsi cunctis denudári rebus cōsilium dabat ; ut osténdat non amissúrum bona sua, sed tantò plura, majoráque inventúrum, quantùm terra cœlum præstabílius est : retributiónis præstántiam thesaúrum appellávit. Et simul stabilitátem atque incorruptibilitátem præmii, ut fieri póterat : per res humánas expréssit.

℟. Notas mihi fecísti. c.

Lectio viij.

NOn ergo satis est pecúniam spérnere, verùm étiam oportet paupéribus opem ferre : & ante ómnia ipsum Christum sequi diligénter ; id est ómnia reipsâ præstáre quæ ab ipso jubéntur : paratúmq; semper esse, tam labóres subíre, quàm omne genus mortis sufférre. Si quis enim inquit, veníre post me velit : ábneget semetípsum ; tollátque crucem suam : & sequátur me. Majus quippe est quàm pecúniam contémnere : próprii sánguinis effúsio. Quā quidem ad rem, non parum confert : non fictus, non simulátus pecúniæ contémptus.

℟. Justum dedúxit Dóminus. cj.

Pro Sanctis Speosippo, Eleosippo, & Meleosippo Martyribus.

Lectio ix.

SPeosíppus, Eleosíppus & Meleosíppus, tergémini fratres natálibus illústres ; apud Língonas sub Aurélio Príncipe : illústre martyrium cōplevérunt. Cum enim sanctus Benígnus, à sancto Polycárpo Joánnis Evangelístæ auditóre in Gállias missus esset ; Leonillam eórum áviam apud Língonas : fidei lúmine illustrávit. Deínde tergéminos ejus nepótes, sacro Nemesi Deæ faciéndo inténtos aggréssus ; suâ prædicatióne convérsos : ad baptísmum perdúxit. Hi pósteà propter Némesis comminútam státuam ;

eversáque duódecim sacélla idolórum accusáti: cùm multa exquisíta torménta superássent; præcípites in ignem ex árbore in qua suspénsi fúerant, dejécti: sed ab eo nil læsi; demùm in summis cruciátibus: fortíssimos Spíritûs Dómino reddidérunt. Quorum perspecto certámine Junílla eórum mater; & Leonílla eórum ávia; ácribus excruciátæ torméntis: tandem abscíssis cervícibus eámdem glóriæ corónam accepérunt.

℟. Beátur vir. cj.

De sequenti Festo, post Vesperas, fit Processio ad sanctũ Petrum cum Resp. Quem dicunt *ut infra,*

Si hoc Festum occurrat in Sabbato ante Dominicam in Septuagesima, Vespera erunt de Sabbato ante Dominic. Septuagesima. Idem servabitur in aliis Festis Duplicibus, & Semiduplicibus occurrentibus in eodem Sabbato, & in Sabbatis ante Dominicam primam Quadragesima, Dominicam Passionis & Dominicã in Ramis Palmarũ, nisi Festa sint prima Classis vel Duplicia majora.

EOD. DIE XVII. JAN.

In Ecclesia S. Stephani. Officium Sanctorum Speosippi, Eleosippi & Meleosippi propter Reliquias eorum sub Altari conditas. Festum semiduplex majus.

Omnia de Communi plurimor. Martyr. præter Lectionem.

In primo Nocturno.

Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lect iv. Speosippus. *ut supra. v. & vj. de Ser. m. sancti Eucherij.* Quam pretiósa, *ut in Comm. plur. Mart. vij. & viij. de Hom. S. Gregorij* Mors justórum *ix. Lectio de S. Antonio ut in 2. Noct. Festi ipsius.* Antonius.

DIE XVIII. JANUARII.

In Festo Cathedra sancti Petri quâ Roma primum sedit. Trium Lectionum.

Processio ad S. Petrum.

℟. j. Quem dicunt. *ut infr.*

Ad ij. Magnificat, Aña. Tu es Pastor óviũ, Princeps Apostolórum, tibi tráditæ sunt claves regni cœlórũ.

Orémus. *Oratio.*

Deus qui Apóstolo tuo Petro collátis clávibus regni cœléstis, ligándi atque solvẽdi pontifícium tradidísti: concéde; ut intercessiónis

cessiónis ejus auxílio ⁄ à peccatórum nostrórum néxibus liberémur. Qui vivis.

Ad Matutinum, Invitat. Aña & Psal. de Communi Apostolor. iij.

Lectio j.

Incipit Epístola prima B. Petri Apóstoli. *Cap.* 1.

PEtrus Apóstolus Jesu Christi; eléctis ádvenis dispersiónis Ponti, Galátię, Cappadóciæ, Asiæ, & Bithyniæ ⁄ secúndùm præsciéntiam Dei Patris; in sanctificatiónem Spíritûs; in obediéntiam & aspersiónē sánguinis Jesu Christi ⁄ Grátia vobis & pax multiplicétur. Benedíctus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secúndùm misericórdiam suam magnam, regenerávit nos in spem vivam; per Resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis ⁄ in hæreditátem incorruptíbilem, & incontaminátam & immarcessíbilem, conservátam in cœlis in vobis; qui in virtúte Dei custodímini per fidem ⁄ in salútem parátam revelári, in témpore novíssimo. In quo exultábitis módicum nunc, si opórtet contristári in váriis tentatiónibus, ut probatio vestræ fidei multò pretiósior auro, quod per ignem probátur ⁄ inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem, in revelatióne Jesu Christi. Quem cum non vidéritis dilígitis ⁄ in quem nunc quoque non vidéntes créditis; credéntes autē exultábitis lætítia inenarrábili, & glorificáta ⁄ reportántes finem fidei vestræ salútem animárum.

℞. Quem dicunt hómines esse fílium hóminis, dixit Jesus discípulis suis? Respóndens Petrus dixit: Tu es Christus Fílius Dei vivi. * Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Beátus es Simon Petre, quia caro & sanguis non revelávit tibi; sed Pater meus qui est in cœlis. Et ego dico tibi.

Lectio ij.

Sermo S. Leónis Papæ. *Serm.* 1. *de SS. Apost. Petro & Paulo ante med.*

CUm duódecim Apóstoli, accepta per Spíritum sanctum ómnium locutióne linguárum ⁄ imbuéndum Evangélio mundū, distribútis sibi terrárū

pártibus suscepíssent: beatíssimus Petrus Princeps Apostólici órdinis ad arcem Románi destinátur Impérii; ut lux veritátis quæ in ómnium Géntium revelabátur salútem: efficáciu se ab ipso cápite per totum mundi corpus effúnderet. Cujus autem natiónis hómines in hac tunc urbe non essent? aut, quæ usquam gentes ignorárent quod Roma didicísset? Hic conculcándæ Philosóphiæ opiniónes; hic dissolvéndæ erant terrénæ sapiéntiæ vanitátes; hic confutándi dæmonum cultûs; hic ómnium sacrilegiórum impíetas destruénda: ubi diligētíssima superstitióne habebátur collectum, quidquid usquam fúerat vanis erróribus institutum. Ad hanc ergo urbem tu beatíssime Petre Apóstole veníre non métuis; & consórte glóriæ tuæ Paulo Apóstolo, aliárum adhuc Ecclesiárum ordinatiónibus occupáto: sylvam istam freméntium bestiárum, & turbulentíssimæ profunditátis Océanum; constántior quàm cum supra mare graderéris: ingrédderis. Jam pópulos, qui ex circūcisióne crediderant erudíeras; jam Antiochénam Ecclésiam, ubi primùm Christiáni nóminis dígnitas est orta, fundáveras; jam Pontum, Galátiam, Cappadóciam, Asiam & Bithyniam legibus Evangélicæ prædicatiónis impléveras; nec aut dúbius de provéctu óperis, aut de spátio tuæ ignárus ætátis: trophæum Crucis Christi, Románis árcibus inferébas; quò te divínis præordinatiónibus anteíbant, & honor potestátis: & glória passiónis.

℟. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclésiam meam & portæ ínferi non prævalebunt advérsùs eam. * Et tibi dabo claves regni cælorum.

℣. Quodcúmque ligáveris super terram erit ligátum & in cœlis, & quodcúmque sólveris super terram erit solútum & in cœlis. Et tibi dabo.

Pro sancta Prisca Virgine & Martyre.

Lectio iij.

PRisca, nóbilis virgo Romána, trédecim annos nata; Claúdio Imperatóre, Christiánæ

Christiánæ fidei accusáta, ejúsdem jussu ducta ad Apóllinis templum ut idólis immoláret: cum rem detestarétur, cólaphis cæsa, in cárcerem tráditur; atque indè emíssa, cum in fidei constántia perseveráret: affécta verbéribus, ferventíque ádipe delibúta, rursus in cárcerem inclúditur. Post tríduum in amphitheátrum prodúcta, leóni objícitur; qui suæ feritátis oblitus: humíliter se ad ejus pedes abjécit. Quæ pósteà in ergástulo triduū inédiâ afflícta, in equúleo suspénditur; & úngulis férreis excarnificáta, in rogum injícitur: undè etiam mirabíliter evásit incólumis. Dénique extra Urbem cápite abscísso: virginitátis palmam martyrii coróna cumulávit. Cujus corpus viâ Ostiénsi; décimo ab Urbe milliário: à Christiánis décimo quinto Kaléndas Februárii sepelítur.

℟. Dómine si tu es, jube me ad te veníre super aquas. * Et exténdens manum apprehéndit eum, & dixit Jesus: Módicæ fidei quare dubitásti? ℣. Videns verò ventum válidum tímuit, & cum cœpisset mergi clamávit dicens: Dómine salvum me fac. Et Exténdens. Glória Patri. Et exténdens.

AD LAUDES.

Aña. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. *Psal.* Dóminus regnávit. *cum reliquis.* 20. *Aña.* Petrus & Joánnes ascendébant in templū, ad horam oratiónis nonam. *Aña.* Argéntum & aurum non est mihi quod autem habeo hoc tibi do. *Aña.* Misit Dóminus Angelum suum & liberávit me de manu Heródis, allelúia. *Aña.* Dixit Angelus ad Petrum, circumda tibi, vestiméntum tuum & sequére me. *Capit. & ℣. de Com. Apostol.* xv.

Ad Benedictus, Aña. Quodcúmque ligáveris super terram erit ligátum & in cœlis, & quodcúmque sólveris super terram erit solútum & in cœlis, dicit Dñs Simóni Petro. *Oratio* Deus qui Apóstolo. *ut sup.*

Processio ad S. Petrum.

℟. Si díligis me Simon Petre, pasce oves meas. Dñe tu nosti quia amo te, & ánimā meā pono pro te.

Ad ij. Benedictus, *Aña.* Ego pro te rogávi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquádo convérsus confirma fratres tuos. *Oratio.* Exáudi, *ut in comm. Apost.* xxj. *Ad Horas. ut in Communi Apost. Ad Tertiam.* *Oratio.* Deus qui Apostolo. *ut supra. Ad Sextam.* Oratio. Exaudi. xvj. *Ad Nonam. Oratio.* Protége Dómine. xvj.

Si festum Cathedræ S. Petri occurrerit in Dominica Septuagesima nil fit de festo nisi Processio post Laudes. ℟. Tu es Petrus. *ut suprà. Ad Benedict. Aña.* Ego pro te rogávi. *Oratio.* Deus qui Apóstolo.

DIE XX. JANUARII.

In festo sanctorum Fabiani & Sebastiani Martyrũ. Duplex minus.

Omnia de Communi plurimor. Martyrum præter ea quæ hic sunt propria.

Oremus. *Oratio.*

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus; & quia pondus própriæ actiónis gravat: Beatórum Mártyrum tuórum Fabiáni & Sebastiáni, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In majori Ecclesia, Processio ad sanctum Sebastianum in Capella B. Mariæ Magdalenæ. ℟. vij. Sancti tui. lxiv. *Ad ij. Magnifi. Aña.* Isti sunt Sancti. lxvij.

Orémus. *Orat. o.*

DEus, qui beátum Sebastiánum Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti; ex ejus nos imitatióne tríbue, pro amóre tuo próspera mundi despícere: & nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FAbiánus Románus à Maximíno usque ad Décium regens Ecclésiam; septem Diáconis regiónes divísit, qui páuperum curam habérẽt: tótidem Subdiáconos creávit, qui res gestas Mártyrum à septem Notáriis scriptas collígerent. Ad hunc Pontíficem Orígenes epístolam de suâ fide conscrípsit. Passus est in persecutióne Décij; cum sedísset annos quíndecim, dies quátuor: & in cœmetério Callísti via Appia sepultus

sepúltus. De cujus agóne sanctus Cypriánus per epistolam cleri Románi cértiór factus : sic rescrípsit. Plúrimum grátulor quòd ejus memóriam tam celebri, & illústri testimónio prosequámini ; ut & per vos innotésceret nobis quod & vobis esset circa Præpósiti memóriam gloriósum : & nobis quoque fidei ac virtútis præbéret exémplum.

℟. Beáti éritis. lx.

Lectio v.

Sebastiánus, ex patre Narbonénsi, matre Mediolanénsi natus ; ob géneris nobilitátem, & virtútem : Diocletiáno charus fuit. Dux primæ cohórtis ; Christiános, quorum fidem clam colébat, óperâ & facultátibus adjuvábat : & qui ex eis tormentórum vim reformidáre videbántur ; cohortatióne sic confirmábat : ut pro Jesu Christo, multi se ultrò tortóribus offérrent. In illis fuére Marcus & Marcelliánus fratres, qui Romæ in custódia erant apud Nicóstratum ; cujus uxor Zoë, vocem quam amíserat : Sebastiáni oratióne recuperávit. Quibus Diocletiáno delátis, Sebastiánum accersit ; & vehementius objurgátum : ómnibus ártibus a Christi fide conátur avértere. Sed cum nihil, nec pollicéndo, nec terréndo proficeret : ad palum alligátum, sagíttis cónfici jubet.

℟. Effudérunt. lxj.

Lectio vj.

Quem ómnium opinióne mórtuum, noctu sancta Múlier Iréne, sepeliéndi grátia jussit auférri ; sed vivum repértum : domi suæ curávit. Itaque paulò post confirmáta valetúdine ; Diocletiáno óbviam factus : ejus impietátem libériùs accusávit. Cujus aspéctu cùm ille primùm obstupuísset, quòd mórtuum créderet ; rei novitáte & acri Sebastiáni reprehensióne excandéscens : eum támdiù virgis cædi imperávit, donec ánimam Deo rédderet. Ejus corpus in cloácam dejéctum : Lucína à Sebastiáno in somnis admónita, ubi esset, & quo loco humári vellet ; ad Catacúmbas sepelívit : ubi sancti Sebastiáni célebris

Ecclésia est ædificáta.

℟. Adoravérunt. lxj.

In tertio Nocturno.

Homil. S. Gregorij ut in Communi Martyrum.

Ad Tertiam. Oratio. Infirmitátem. *ut suprà.*

Ad Sextam. Deus qui nos concédis. lxvj.

Ad Nonam. Præsta quæsumus. lxvj.

Post Vesperas fit Processio de Festo sequenti.

DIE XXI. JANUARII.

In festo sanctæ Agnetis Virginis & Mart. Semid. Minus. Sive ix. Lect.

Processio ad S. Mariam cum ℟. vij. Diem festum. *ut infrà.*

Ad ij. Magnificat, Aña. Beáta Agnes in médio flammárum expánsis mánibus orábat: Benedíco te veneránde, treménde, Pater metuénde, quia per sanctum Fílium tuum minas evási sacrílegi tyránni, & carnis spurcítias, immaculáto calle transívi; & ecce vénio ad te, quem amávi, quem quæsívi, quem semper optávi.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus qui infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut qui beátæ Agnétis Vírginis & Mártyris tuæ solémnia cólimus: ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dñm.

Ad Matutinum, omnia de Communi Virginum præter ea quæ hic propria notantur, Invitator. Regem Vírginum.

Psalmus. Veníte. 2.

In primo Nocturno.

Aña. Discéde à me pábulum mortis, quia jam ab álio amatóre prævénta sum.

Psalm. Beátus vir. *ut in Communi unius Martyris.* xxxiij.

Aña. Pósuit signum in fáciem meam, ut nullum præter eum amatórem admíttam.

Psalmus. Quare fremuérunt gentes.

Aña. Mel & lac ex ore ejus suscépi, & sanguis ejus ornávit genas meas.

Psalmus. Dómine quid multiplicáti.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Responsoria de Communi Virginum.

In secundo Nocturno.

Aña. Christus circúmdedit

dit me vernántibus atque coruſcántibus gemmis pretióſis.

Pſalm. Cum invocárem.

Aña. Induit me Dóminus cyclade auro texta, & imménſis monílibus ornávit me.

Pſalmus. Verba mea.

Aña. Dextram meam & collum meum cinxit lapídibus pretióſis, trádidit áuribus méis ineſtimábiles margarítas.

Pſalmus. Dómine Dóminus.

Ex libro ſancti Ambróſij Epíſcopi de Virgínibus.

Libro 1. poſt init.

Lectio iv.

HOdiè natális eſt Vírginis: integritátem ſequámur. Natális eſt Mártyris: hóſtias immolémus. Natális eſt ſanctæ Agnetis: miréntur viri; non deſpérent párvuli; ſtúpeant nuptæ: imiténtur innúptæ. Sed quid dignum eâ loqui póſſumus; cujus ne nomen quidem vácuum laudis eſt? Fuit devótio ſuprà ætátem; virtus ſupra natúram; ut mihi videátur, non hóminis habuiſſe nomen, ſed orácculum mártyris: quod indicávit quid eſſet futúra. Nomen Vírginis: titulus eſt pudóris. Appellábo mártyrem: prædicavi ſatis. Prolíxa laudátio eſt quæ non quæritur: ſed tenétur. Nemo eſt laudabílior: quàm qui ab ómnibus laudári poteſt. Quot hómines tot præcónes: qui mártyrem prædicánt dum loquúntur.

℟. Dilexíſti. cxvij.

Lectio v.

HÆc trédecim annórum mártyrium fecíſſe tráditur; Quo deteſtabilior crudelitas: quæ nec minúſculæ pepércit ætáti. Immò magna vis fidei: quæ étiam ab illâ teſtimónium invénit ætáte. Fuitne in illo corpúſculo vúlneri locus? Et quæ non hábuit quò ferrum recíperet: hábuit quo ferrum vínceret. Hæc inter cruéntas carníficum impávida manùs; hæc ſtridéntium grávibus immóbilis tráctibus catenárum; nunc furéntis mucróni mílitis totum offérre corpus; mori adhuc neſcia: ſed paráta vel ſi ad aras invíta raperetur téndere Chriſto inter ignes manùs; atque in ipſis ſacrílegis focis trophæum Dómini

signáre victóris: nunc ferratis colla, manúsque ambas insérere néxibus. Sed nullus tam tenúia membra, póterat nexus inclúdere. Novum mártyrij genus; Nondum idónea pugnæ: & jam matúra victóriæ. Certáre difficilis: & fácilis coronári. Magistérium virtútis implévit: quæ præjudícium vehébat ætátis.

℟. A dextris. cxviij.

Lectio vi.

NOn sic ad thálamum nupta properáret; ut ad supplícij locum: læta succéssu; gradu festina: virgo procéssit. Flere omnes: ipsa sine fletu. Mirári plerique, quód tam fácile vitæ suæ pródiga; quam nondum haúserat: jam quasi perfuncta donáret. Stupére univérsi, quod jam Divinitátis testis exísteret: quæ adhuc árbitra sui, per ætátem ésse non posset. Quanto terróre egit cárnifex ut timerétur; quantis blandítiis ut suadéret; quantórum vota ut sibi ad núptias proveníret? At illa, Et hæc sponsi injúria est, inquit: expectáre placitúram. Qui me sibi prior elégit, accípiet; quid percússor moráris: péreat corpus, quod amári potest óculis quibus nolo. Stetit; orávit: cervícem inflexit. Cérneres trepidáre carníficem quasi ipse addíctus fuísset; trémere percussóris déxteram; pallére ora, aliéno timéntis perículo: cum puélla non timéret suo. Habétis ígitur in una hóstia duplex martyrium: pudóris & religiónis. Et virgo permánsit: & mártyrium obtinuit.

℟. Induit me. cxviij.

In tertio Nocturno.

Aña. Ipsi sum desponsáta: cui Angeli sérviunt: cujus pulchritúdinem sol & luna mirántur.

Psal. In Dómino confido.

Aña. Cujus pulchritúdinem sol & luna mirántur, ipsi soli servo fidem.

Psalmus. Dómine quis habitábit.

Aña. Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotióne commítto.

Psalmus. Eructávit. *ut in Communi Vírginum.* cxiv.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam

bolam hanc. Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro; quem qui invénit homo, abscóndit: & præ gáudio illíus vadit; & vendit univérsa quæ habet: & emit agrum illum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ.

Homil. 2. in Evang.

COeléste regnum negotiatóri hómini símile dícitur: qui bonas margarítas quærit. Sed unam pretiósam invénit; quam vidélicet invéntam, ómnia vendens, emit: quia qui cœléstis vitæ dulcédinem in quantùm possibílitas admíttit, perféctè cognóverit; ea quæ in terris amáverat: libénter cuncta derelínquit. In comparatióne ejus viléscunt ómnia: déserit hábita; congregáta dispérgit; inardéscit in cœléstibus ánimus: nil in terrénis libet; defórme conspícitur quidquid de terrénæ rei placébat spécie: quia sola pretiósa margarítæ cláritas fulget in mente.

℞. Diem festum sacratíssimæ Vírginis celebrémus; quáliter passa sit beata Agnes ad memóriam revocémus: tértio décimo ætátis suæ anno mortem perdidit, & vitam invénit; * Quia solum vitæ diléxit auctorem. ℣. Ingréssa Agnes turpitúdinis locum, Angelum Dómini præparátum invénit. Quia solum vitæ.

Lectio viij.

DE cujus dilectióne rectè per Salomónem dícitur, Fortis est ut mors diléctio; quia vidélicet sicut mors corpus intérimit: sic ab amore rerum corporálium, ætérnæ vitæ cháritas occidit. Nam quem perféctè absorbúerit; ad terréna foris desidéria: velut insensíbilem reddit. Nec enim sancta hæc cujus hódiè natalítia celebrámus; mori pro Dómino potuísset in córpore: si priùs à terrénis desidériis mórtua non fuísset in mente. Eréctus namque in virtútis culmine, ánimus; torménta despéxit: præmia calcávit. Ante armátos Reges & Præsides invícta stetit; feriénte robústior: judicánte sublímior.

℞. Amo Christum in cujus thálamum introívi, cujus

mater Virgo est, cujus Pater fœminam nescit, cujus mihi organa modulátis vócibus cantant: * Quem cùm amávero casta sum, cum tetígero munda sum, cum accepero virgo sum. ℣. Ipsi soli servo fidem, ipsi me totà devotióne commítto. Quem cùm.

Lectio ix.

QUid inter hæc nos barbáti & débiles dícimus; qui ire ad Regna cæléstia puellas vidémus? Quos ira súperat; supérbia inflat; ambitio pertúrbat; luxúria ínquinat. Qui si adipísci Regna cœlórum per bella persecutiónum non póssumus; hoc ipsum nobis turpe fit, quod Deum nólumus saltem per pacem sequi. Ecce nulli nostrùm hoc témpore dicit Deus; pro me morere: sed illícita tantúmmodò desidéria occide. Qui ergo in pace subígere carnis desidéria nólumus; quando in bello pro Dómino ipsam carnem darémus?

℟. Omnípotens, adorándé, coléndé, treméndé benedíco te; quia per Fílium tuum Unigénitum, evási minas hóminum impiórum: * Et spurcítias diáboli impollúto calle transivi. ℣. Benedíco te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Filium tuum ignis extínctus est à látere meo. Et spurcítias. Glória Patri. Et spurcítias.

AD LAUDES.

Antiph. Ingressa Agnes turpitúdinis locum, Angelum Dómini præparátum invénit. *Psalm.* Dóminus regnávit *cum reliq.* *Aña.* Mecum enim hábeo custódem córporis mei Angelum Dómini. *Aña.* Annulo suo subarrhávit me Dóminus meus Jesus Christus, & tanquam sponsam decorávit me coróna.

Aña. Benedíco te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Fílium tuum ignis extínctus est à látere meo.

Aña. Congaudéte mihi & congratulámini; quia cum his ómnibus lúcidas sedes accépi.

Capitulum, & ℣. ut in Comm. Virg. cxxiij.

Ad Benedictus, Aña. Ecce quod cupívi jam vídeo; quod sperávi jam téneo, illi sum juncta in cœlis, quem in terris pósita, tota devotióne diléxi.

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui infirma mundi éligis ut fortia quæque confundas: concéde propítius; ut qui beátæ Agnétis Vírginis & Mártyris tuæ solémnia cólimus: ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dñm.

Horæ ut in Communi Virg.

Ad Tertiam.

Oratio. Omnípotens sempitérne. *ut suprà.*

Ad Sextam.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nos ánnua beátæ Agnétis Vírginis & Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas; da, ut quam venerámur officio: étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dñm.

Ad Nonam.

Oratio. Indulgéntiam nobis quæsumus- cxxiij.

Vesperæ de sancto Vincentio Martyre.

DIE XXII. JANUARII.

In festo S. Vincentij Martyris. Semid. Majus.

Omnia de Communi unius Martyris præter ea quæ hic sunt propria.

Orémus. *Oratio.*

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris; ut qui ex iniquitáte nostrâ reos nos esse cognóscimus: beáti Vincéntij mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

VIncéntius, Oseæ in Hispaniâ citerióre natus, à prima ætáte, stúdiis deditus, lítteras à Valério Cæsaraugustáno Epíscopo didicit; cujus étiam partes suscépit prædicándi Evangélium: quòd Epíscopus propter linguæ impediméntum prædicatiónis officio fungi non póterat. Eâ re ad Daciánum, provínciæ à Diocletiáno & Maximiáno præpósitum, delátâ; Vincéntius Cæsaraugústæ comprehénditur: & vinctus ad Daciánum Valéntiam addúcitur. Ubi verbéribus & equúleo tortus, multis præséntibus: cum nullâ aut tormentórum vi, aut acerbitáte, vel lenitáte verbórum à propósito deterréri posset; in craticulâ pósitus ac férreis únguibus excarnificátus, candentibúsque láminis exústus:

exústus: íterum dúcitur in cárcerem stratum testáceis fragméntis; ut ejus nudum corpus somno oppressum: à subjéctis etiam testárum acúleis torquerétur.

℞. Justus germinábit. xxxix.

Lectio v.

VErum illo, in tenebricósa inclúso custódia: clarissimus splendor obórtus totum cárcerem illustrávit; quæ lux cùm summa admiratióne, omnes qui áderant, affecísset: res à custóde cárceris ad Daciánum défertur. Qui edúctum in molli cúlcitrà cóllocat; & quem cruciátibus in suam senténtiam tráhere non póterat: delíciis perdúcere conátur. Sed invíctus Vincéntij ánimus Jesu Christi fide, speque munítus vicit ómnia: & ignis; ferri; tortórum; immanitáte superáta: victor ad cæléstem martyrij corónam advolávit undécimo Kaléndas Februárij. Cujus corpus cùm projéctum esset inhumátum; corvus, & à volúcribus, & à lupo: únguibus, rostro, alis mirabíliter defféndit. Qua re cógnita, Daciánus illud in altum mare demérgi jubet; sed indè étiam divinitùs ejéctum ad littus: Christiáni sepéliunt.

℞. Stola jocunditátis. xl.

Lectio vj.

Ex Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Serm. 12. de Sanctis.

QUæ hódiè régio, quæve província ulla, quousque vel Románum Impérium, vel Christiánum nomen extenditur; natálem non gaudet celebráre Vincéntij Diáconi? Quis autem hódiè vel nomen Daciáni audísset; nisi passiónem Vincéntij legísset? Quòd verò tanta cura servávit Dóminus Mártyris corpus: quid áliud demonstrávit; nisi gubernásse se vivéntem: quem non relíquit exánimem. Vicit ergo Daciánum vivens Vincentius: vicit & mórtuus. Vivens torménta calcávit: mórtuus mária transmeávit. Sed ipse inter undas gubernávit cadáver extínctum: qui inter úngulas donávit ánimum invíctũ. Non flexit flamma tortóris cor ejus: non mersit aqua maris corpus ejus. Sed in his & hujúsmodi nihil est áliud:

aliud; nisi pretiósa in conspectu Dómini semper: mors sanctórum ejus.

℟. Cibávit illum. xl.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis; Nolite timére eos qui occídunt corpus: animam autem non possunt occídere. Sed pótiùs timéte eum; qui potest, & ánimam & corpus: pérdere in gehénnam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

De diversis, Sermon. 10. post initium.

PRæstitit Deus sanctórum Mártyrum córpora Ecclésiis suis; ad memórias oratiónum: non ad glórias Mártyrum. Illi enim habent íntegram glóriam suam apud Creatórem suum; Nec ipsi córpori áliquid timent: quóniam non est quid tímeant. Magis si párcant córpori: præstant & córpori. Ecce hoc atténdite & fidem vestram interrogáte. Sanctus Vincéntius si formídine tormentórum negáret Christum; viderétur córpori pepercísse: quadam autem conditióne mortáli córpore solverétur; quid ágeret in resurrectióne cum in ætérnum ignem præcipitarétur? negans Christum: negátur à Christo. Qui negáverit me, inquit, coram homínibus: negábo eum coram Patre meo, qui est in cælis.

℟. Probávit me Dóminus. xliij.

Lectio viij.

ECce negáret; quiéscerent illi tortóres: & vulneráto ánimo sanum esset corpus. Immò occíso ánimo víveret corpus. Quid prodésset in ætérnum mórtuo brevis córporis vita? veníret dies quam commémorat Dóminus; quando omnes qui in monuméntis sunt áudient vocem ejus & procédent: sed cum magna differéntia. Omnes procédent. Sed non omnes ad eándem rem procédent; omnes surrectúri: sed non omnes immutándi. Qui enim benè fecérunt, inquit, in resurrectiónem vitæ: qui autem malè in resurrectiónem judícij. Hæc ergo dif-

feréntia

feréntia separatúra est justos ab injústis; fidéles ab infidélibus; confessóres à negatóribus: amatóres vitæ peritúræ, ab amatóribus vitæ ætérnæ. Et ibunt justi in vitam ætérnam: ímpij verò in ignem ætérnum. Ibi cum córpore torquebúntur: qui córpori pepercérunt. Timéndo enim torménta córporis, córpori pepercérunt; & parcéndo córpori Christum negavérunt: & negándo Christum, pœnas ætérnas étiam córpori distulérunt. Si distulérunt; numquid abstulérunt?

℟. Beátus vir. xliij.

Lectio ix.

ERgò prudénter Mártyres Christi: non sua córpora contempsérunt; pervérsa est ista Philosóphia: eórum qui non credunt córporum resurrectiónem. Vidéntur enim sibi, quasi magni córporis contemptóres; quia ipsa córpora quasi pro carcéribus se habére arbitrántur, quo detrúsas putant ánimas: quòd álibi ante peccavérunt. Deus autem noster & corpus fecit & spíritum; & utriúsque Creátor est, utriúsque recreátor: utriúsque institútor, utriúsque étiam restitútor. Non ergo carnem tanquàm inimicam vel contempsérunt vel persecúti sunt Mártyres: nemo enim unquàm carnem suam odio hábuit. Magis ei consuluérunt quando eam neglígere videbántur; quando in ea fideliter persisténtes, temporália torménta tolerábant: ætérnam étiam ipsi carni glóriam comparábant.

℟. Coróna áurea xliv.

DIE XXIII. JANUARII.

In festo sancti Barnardi Episcopi, & Confessoris.

Trium Lectionum.

Omnia de Communi Conf. Pontif. præter sequentem Lectionem.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

BArnárdus nóbilis Lugdunénsis à prima ætáte lítteris erudítus; Patri morem gerens: in castris Cároli magni, milítiæ ascríptus est. Defúncto patre: hæreditárias opes ad Dei honórem, & in próximi subsídium convértit. Monastérium in Diœcesi Lugdunénsi instaurávit apud

Ambro

Ambroníacum; in quo omnibus vitæ monásticæ virtútibus, summa præsertim humilitáte insígnis: in Abbátis demórtui locum præter voluntátem suffé- ctus est. Cumque ibi aliquandiù contemplatióni, & misericórdiæ opéribus vacans præfuísset: in Epíscopum Viennénsem divínitùs elígitur. In quo pastoráli múnere; licet ómnibus ómnia factus: nihil tamen de prístinis vigíliis, jejúniis, hospitalitáte & misericórdiâ remísit. Beáto Agobárdo Lugdunénsi Epíscopo auctor fuit ut opúsculum de Privilégio & Jure Sacerdótij scriberet; in quo ímpiam temporum illórum perstríngit consuetúdinem, qua dívites ferè omnes doméstícum habébant Sacerdótem: à quo non solum in divínis verùm étiam in humánis, lícitam simul atque illícitam obediéntiam exigébant. Cum eódem Agobárdo & álio Epíscopo librum scripsit ad Ludovícum Pium Imperatórem: & Concílio Lugdunénsi, ejúsdem Imperatóris ordinatióne celebráto intérfuit. Romanénse Monastérium constrúxit, relíquum ibi vitæ in contemplatióne ductúrus; quò, cum morbo corréptus advenísset, & diem últimum instáre divínitùs accepísset: sacrum Córporis Christi Viáticum; his verbis postulávit. Panis inquit ille jam jam fratres mei suméndus est, sine quo nec in mundo nec in cœlis vivitur: cujus sapor réficit Angelos; Apóstolos pascit; sanctos récreat: quo quisquis vescitur nunquam in ætérnum móritur. Sacraméntum ítaque hujúsmodi panis mihi deférte; ut eo accépto Viático: viam univérsæ carnis ingrédiar, in pátriam profectúrus. Migrávit ad Dóminum décimo quarto Kaléndas Februárij: circa annum Dómini octingentésimum quinquagésimum. Corpus ejus in eádem Romanénsi Basílicâ sepúltum: multis cláruit miráculis.

DIE XXIV. JANUARII.

In festo sancti Timothei Apostoli.

Trium Lectionum.

Omnia de Communi Apostolorum, trium Lectionum.

Dua

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

Timótheus Lystris in Lycaónia natus ex patre Gentíli; matre Eunice Judæa, & Lóide, ávia fidélibus: Christiánam colébat Religiónem quandò eò venit Paulus Apóstolus. Huic cum testimónium bonum rédderent qui in Lystris erant & Icónio fratres: ipsum vóluit Paulus secum proficísci. Cum autem pertransírent civitátes; tradébant eis custodíre dógmata: quæ erant decréta ab Apóstolis & senióribus qui erant Jerosólymis. Hunc Apóstolus mittens Corínthum: testimónium istud de illo perhíbuit. Misi ad vos Timótheum qui est filius meus charissimus & fidélis in Dómino; qui vos commonefáciet vias meas quæ sunt in Christo Jesu: sicut ubíque in omni Ecclésia dóceo. Et íterum; opus Dómini operátur: sicut & ego. Revérsum è Macedónia, Paulus per impositiónem mánuum suárum Ephesínæ Ecclésiæ consecrávit Epíscopum; scriptísque ad illum duábus epístolis, prióre Laodicéa, posterióre Roma: confirmávit in cura Pastorális offícij. Quem étiam quanti fécerit Apóstolus Philippénsibus declarávit his verbis; Néminem hábeo tam unánimem, qui sincera affectióne pro vobis sollícitus sit: Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Experiméntum autem ejus cognóscite; quia sicut patri filius: mecum servívit in Evangélio. Tandem post multos pro Christo agónes: cum sacrifícium, quod soli Deo debétur; fíeri dæmonum Simulácris, ferre non posset: pópulum Ephesínum, Dianæ in ejus celebritáte immolántem, ab illa impietáte removére conátus; lapídibus óbrutus est: ac pene mórtuus, à Christiánis eréptus, & in montem óppido vicínum delátus: nono Kaléndas Februárij obdormívit in Dómino.

DIE XXV. JANUARII.

In Festo Convers. S. Pauli Apostoli. Semid. majus.

Ad Vesperas, Añæ & Psalmi de Feria occurr.

Capitu

Capitulum. Actor, 9.

SAulus adhuc spirans minárum, & cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem Sacerdótum, & pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad Synagogas; ut si quos invenísset hujus viæ viros, ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem.

℣. In omnem terram.

℟. Et in fines.

Ad Magnificat, Aña.

SAulus qui & Paulus magnus prædicátor à Deo confortátus convalescébat & confundébat Judæos.

Sequens Versus dicitur in tono Psalmi post Versum Glória Patri. *ante Antiphonam, quod in reliquis observandum.*

℣. Affirmans quia hic est Fílius Dei. Saulus.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui univérsum mundum beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti: da nobis quæsumus; ut qui hódie ejus Conversiónem cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Processio ad S. Petrum.

℟. j. Qui operátus est Petro.

Ad ij. Magnificat, Aña.

Tu es vas electiónis sancte Paule Apóstole; prædicátor veritátis in univérso mundo.

℣. Per quem omnes Gentes cognovérunt grátiam Dei. Tu es vas.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui cónspicis quia ex nulla nostra actióne confídimus: concéde propítius; ut contra advérsa ómnia Doctóris Géntium protectióne muniámur. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitat. Regem Apostolórum. iij. *Psalm.* Veníte. 2.

In primo Nocturno.

Antiph. Qui operátus est Petro in Apostolátu circumcisiónis, operátus est & mihi inter Gentes, & cognovérunt grátiam quæ data est mihi à Christo Dómino. *Psal.* Cœli enárrant. *ut in comm. Apost.* iij.

℣. Qui me segregávit ex útero matris meæ, * & vocávit per grátiam suam: Qui operátus. *Aña.* Scio cui crédidi, & certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem justus judex. *Psalm.* Benedícam Dóminum.

℣. Certus.

℣. Certus sum enim quia neque mors neque vita póterit nos separáre à charitáte Dei quæ est in Christo Jesu Dómino nostro. Scio cui crédidi.

Ana. Mihi vívere Christus est & mori lucrum: gloriári me opórtet in Cruce Dómini mei Jesu Christi.

Psalm. Eructávit cor meũ.

℣. Per quem mihi mundus crucífixus est, & ego mundo. Mihi vívere.

℣. Non sunt loquélæ.

℟. Quórum.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap 9.

SAulus, adhuc spirans minárum, & cædis in discipulos Dómini accéssit ad príncipem Sacerdótum; & pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad Synagogas: ut si quos inveníslet hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem. Et cum iter fáceret; cóntigit ut appropinquáret Damásco: & súbitò circũfúlsit eum lux de cœlo, Et cadens in terram audívit vocẽ dicéntem sibi; Saule, Saule, Quid me persé queris? Qui dixit. Quis es Dñe? Et ille; Ego sum Jesus quem tu perséqueris: Durum est tibi contra stímulum calcitráre.

℟. Qui operátus est Petro in Apostolátu, operátus est & mihi inter Gentes. *Et cognovérunt grátiam Dei, quæ data est mihi. ℣. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. Et cognovérunt.

Lectio ij.

ET tremens ac stupens dixit. Dómine; Quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum; Surge & ingrédere civitátem: & ibi dicétur tibi quid te opórteat fácere. Viri autem illi qui comitabántur cum eo stabant stupefácti; audiéntes quidem vocem: néminem autem vidéntes. Surrexit autem Saulus de terrâ, apertísque óculis nihil vidébat; ad manus autem eum trahéntes: introduxérunt Damáscum. Et erat ibi tribus diébus non videns: & non manducávit neque bibit.

℟. Scio cui crédidi, & certus sum quia potens est depósitum meum serváre. * In illum diem justus judex. ℣. Repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet

det mihi Dóminus. In illum diem.

Lectio iij.

ERat autem quidam discípulus Damásci, nómine Ananías: & dixit ad illum in visu Dóminus. Ananía. At ille ait: Ecce ego Dómine. Et Dóminus ad eum. Surge & vade in vicum qui vocátur Rectus; & quære in domo Judæ Saulum nómine Tarsénsem: ecce enim órat. Et vidit virum Ananíam nómine: introeúntem & imponéntem sibi manus ut visum recípiat. Respóndit autem Ananías; Dómine audívi à multis de viro hoc quanta mala fécerit sanctis tuis in Jerúsalem: & hic habet potestátem a princípibus Sacerdótum, alligándi omnes qui invocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus; vade quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Géntibus: & Régibus, & filiis Israël. Ego enim osténdam ei quanta opórteat eum pro nómine meo pati.

℟. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi: * Ideóque repósita est mihi coróna justítiæ. ℣. Grátia Dei sum id quod sum, & grátia ejus in me vácua non fuit. Ideóque. Glória Patri. Ideóque.

In secundo Nocturno.

Aña. Tu es vas electiónis sancte Paule Apóstole prædicátor veritátis in univérso mundo. *Ps.* Omnes Gentes. ℣. Per quem omnes Gentes cognovérunt grátiam Dei. Tu es.

Antiph. Saulus qui & Paulus magnus prædicátor à Deo confortátus convalescébat, & confundébat Judæos. *Psalm.* Exaudi Deus deprecatiónem. ℣. Affirmans, quia hic est Fílius Dei. Saulus.

Aña. Ter virgis cęsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium feci pro Christi nómine. *Psal.* Exaudi Deus oratiónem meam. ℣. Nocte & die in profúndo maris fui. Ter virgis. ℣. Constítues. ℟. Memores.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 14. *de Sanctis.*

Lectio iv.

HOdie nobis de Actib⁹ Apostolórum léctio hæc pronuntiáta est: ubi

Paulus

Paulus ex persecutóre Christianórum annuntiátor factus est Christi. Prostrávit enim Christus persecutórē, ut fáceret Ecclésiæ doctórem ; percútiens eum & sanans ; occidens & vivíficans ; occísus agnus à lupis, & fáciens agnos de lupis. Ita enim in præclára prophetia, cùm Jacob Patriárcha benedíceret filiis suis, præséntes tangens ; futúra prospíciens ; prædíctum erat : quod in Paulo cóntigit. Erat autem Paulus ; sicut ipse testátur : de tribu Bénjamin. Cùm autem Jacob benedícens filios suos ; veníſſet ad benedicéndum Benjamin : ait de illo. Bénjamin lupus rapax. Quid ergo? Lupus rapax semper? Absit. Sed qui manè rapit prædam : ad vésperam dívidit escas. Hoc in Apóstolo Paulo implétum est : quia & de illo dictum erat. Jam si placet, audiámus illum manè rapiéntem : ad vésperam escas dividéntem. Manè, & véspere posita sunt pro eo ac si dicerétur : priùs & pòstea. Sic ergo accipiámus ; Priùs rápiet ? Posteà dividet escas.

℟. Repósita est mihi coróna justítiæ quam reddet mihi Dóminus in illum diem. * Justus judex.

℣. Scio cui crédidi ; & certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. Justus.

Lectio v.

Atténdite raptórem. Saulus, inquit, accéptis epístolis à princípibus Sacerdótum, ibat, ut ubicúmque inveníret Christiános ; ad Sacerdótes attráheret, & addúceret : utique puniéndos. Ibat spirans & anhelans cædes : hoc est, manè rápiens. Nam & quando lapidátus est Stéphanus primus martyr pro nómine Christi, evidéntiùs áderat & Saulus ; & sic áderat lapidántibus, ut ei non sufficeret : si tantùm suis mánibus lapidáret. Ut enim esset in ómnium lapidántium mánibus ; ipse ómnium vestiménta servábat : magis sæviens omnes adjuvándo, quàm suis mánibus lapidándo. Audívimus, manè rápiet : videámus ad vésperam quáliter dívidat escas. Voce Christi prostrátus de cœlo, & accípiens

desuper interdíctum jam sæviéndi ? cécidit in fáciem suam ; priùs prosternéndus, póstea erigéndus : priùs percutiéndus, pósteà sanándus.

℟. Damásci præpósitus Gentis Arétæ regis vóluit me comprehéndere. * A frátribus per murum submíssus sum in sporta, & sic evási manus ejus in nómine Dómini. ℣. Deus & Pater Dómini mei Jesu Christi scit, qui est Benedíctus in sæcula, quòd non mentior. A fratribus.

Lectio vj.

QUid ergo prostrátus audit ? Saule Saule ; Quid me perséqueris ? Et ille. Quis es Dómine ? Et vox Dómini désuper : Ego sum Jesus Nazarénus quē tu perséqueris. Membris adhuc in terra pósitis caput in cœlo clamat : & non dicebat, quid perséqueris fidéles meos ; sed, quid me perséqueris ? Et ille ; Quid me jubes fácere ? Jam parat se ad obediéndum : qui priùs serviébat ad persequéndum. Jam informátur ex persecutóre prædicátor ; ex lupo ovis ; ex hoste miles : audit quid fácere débeat. Cæcus sanè factus est : ut interióre luce fulgeret cor ejus. Extérior lux ad tempus subtrácta est persecutóri, ut redderétur prædicatóri ; & eo tamen témpore quâ cætera non vidébat : Jesum vidébat. Ita ex ipsa ejus cæcitáte, informabátur mystérium credéntium ; quóniam qui credit in Christum ipsum intuéri debet : cætera nec nata computare ; ut creatura viléscat : & ut Creátor in corde dulcéscat.

℟. Constitues eos príncipes super omnem terram, memóres erunt nóminis tui Dómine. * In omni progénie & generatióne. ℣. Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum & in sæculum sæculi. In omni. Glória Patri. In omni progénie.

In tertio Nocturno.

Antiph. Ne magnitúdo revelationū extóllat me, datus est mihi stímulus, Angelus Sátanæ qui me colaphíset, propter quod ter Dóminum rogávi ut aufferétur à me & dixit mihi Dóminus : Súfficit tibi, Paule, grátia mea. *Psalm.* Confitébimur tibi. ℣. Nam

virtus in infirmitáte perfícitur. Ne magnitúdo.

Antiph. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. *Psal.* Dóminus regnávit exultet terra. ℣. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. Bonum. *Aña.* Repósita est mihi coróna justítiæ quam reddet mihi Dóminus in illum diem justus judex.

Psal. Dóminus regnávit irascántur pópuli.

℣. Non solùm autem mihi; sed & his qui díligunt advéntum ejus. Repósita. ℣. Annunciáverunt. ℟. Et facta ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cáp. 19.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum. Ecce nos relíquimus ómnia & & secúti sumus te: Quid ergo erit nobis. Jesus autem dixit illis. Amen dico vobis quod vos qui secúti estis me: in regeneratióne cum sederit filius hóminis in sede majestátis suæ; sedébitis & vos super sedes duódecim: judicántes duódecim tribus Israël. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Homil. in natali sancti Benedicti.

PErféctus ille est, qui ábiens vendit ómnia quæ habet & dat paupéribus; ac véniens séquitur Christum: habébit enim thesaúrum non deficiéntem in cœlis. Undè benè interrogánte Petro, dixit tálibus Jesus. Amen dico vobis quòd vos qui secúti estis me: in regeneratióne cum séderit Filius hóminis in sede majestátis suæ; sedébitis & vos super sedes duódecim: judicántes duódecim tribus Israël. In hac quippe vita pro ejus nómine laborántes in ália præmium speráre dócuit; id est in regeneratióne, cum vidélicet in vitam immortálem fuérimus resurgéndo regeneráti: qui in vitam cadúcam mortáliter erámus géniti.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus, nimis confortátus est principátus eórum: dinumerábo eos. * Et super arénam multiplicabúntur ℣. Confitebor tibi quia terribíliter magnificátus es, mirabília ópera tua

tua. Et super arénam.

Lectio viij.

JUsta prorsus retribútio, ut qui hic pro Christo, humánæ glóriam celsitúdinis neglexérunt; illic à Christo júdices glorificáti, singuláriter cum eo assídeant: qui à sequéndis ejus vestígiis nulla ratióne póterant avélli. Nemo autem putet duódecim tantùm Apóstolos (quia pro Juda prævaricánte Máthias eléctus est) tunc esse judicatúros; sicut nec duódecim solæ sunt tribus Israël judicándæ: alióquin tribus Levi quæ tertiadécima est, injudicáta recédet.

℟. O quàm pulchri super montes, pedes annuntiántis pacem. * Annuntiántium bona. ℣. In omnem terram exívit sonus eórū, & in fines orbis terræ verba eórum. Annuntiántium bona,

Lectio ix.

ET Paulus qui tertiusdécimus est Apóstolus; judicándi sorte privábitur? Cum ipse dicat. Nescítis quóniam Angelos judicábimus; quantò magis sæculária? Sciéndum namque est omnes qui ad exēplum Apostolórum sua reliquérunt ómnia, & secúti sunt Christum; júdices cum eo ventúros: sicut étiam omne mortálium genus esse judicándum. Quia enim duodenário sæpé número, solet in Scriptúris univérsitas designári; per duódecim sedes Apostolórum, ómnium numerósitas judicántium: & per duódecim tribus Israël univérsitas eórum qui judicándi sunt osténditur.

℟. Coróna aúrea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glória honóris. * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et opus fortitúdinis. Te Deum.

AD LAUDES.

Aña. Ego plantávi, Apóllo rigávit; Deus autem increméntum dedit, allelúia. *Ps.* Dñs regnávit, *cum reliq.* ℣. Unusquísque própriam mercédem accípiet secúndúm suum labórem. Ego plantávi. *Aña.* Libénter gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi, ℣. Quan-

do enim infirmor tunc fortior sum & potens. Libénter. *Aña.* Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis, & doctor Géntium, intercéde pro nobis ad Deum qui te elégit. ℣. Ut digni efficiámur grátia Dei. Sancte Paule, *Antiph.* Grátia Dei in me vácua non fuit, sed grátia ejus, semper in me manet.

℣. Grátia Dei sum id quod sum. Gratia. *Aña.* Damásci præpósitus gentis Arétæ regis, vóluit me comprehéndere: à frátribus per murum submíssus sum in sporta, & sic evási manus ejus in nómine Dómini, ℣. Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi scit, qui est benedíctus in sæcula, quòd non méntior. Damásci.

Capitulum. Actor. 9.

Saulus adhuc spirans minárum & cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem Sacerdótum, & pétiit ab epístolas in Damáscum ad Synagógas; ut si quos inveníSset hujus viæ viros ac mulíeres: vinctos perdúceret in Jerúsalem.

℣. Tu es vas electiónis sancte Paule *Apóstole. ℟. Prædicátor veritátis in univérso mundo.

Ad Benedict. Aña. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israël dicit Dóminus. ℣. Cum séderit Filius hóminis in sede majestátis suæ. Vos qui.

Orémus. *Oratio.*

Deus, qui univérsum mundum beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti: Da nobis quæsumus; ut qui hódié ejus conversiónem cólimus: per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Processio ad S. Petrum. ℟. ij. Scio cui crédidi. *ut suprà.*

Ad ij. Benedictus, Aña. iij. Sancte Paule Apóstole. *cum* ℣. *ut sup. in Laudib. Oratio.* Deus qui cónspicis. *ut suprà. Ad Tertiam. Capitulum.* Saulus adhuc spirans. *ut suprà.* ℟. In omnem terram. xv.

Oratio. Deus qui univérsum mundum.

Ad Sextam. Capit. Act. 4.

Stupébant autem omnes qui audiébant & dicébant; Nonne hic est qui expugnábat in Jerúsalem: eos

eos qui invocant nomen istud.

℟. Constitues. xvj.

Orat. Deus qui cónspicis.

Ad Nonam. Capit. Act. 9.

SAulus autem multò magis convalescébat; & confundébat Judæos qui habitábant Damásci: affirmans quóniam hic est Christus.

℟. Nimis honoráti sunt.

Oratio. Exáudi nos Deus salutáris noster. *ut in communi Apostolorum.* xvj.

Capitulum. Saulus adhuc spirans. ℣. In omnem terram. ℟. Et in fines.

Ad Magnificat, Aña. Vos qui reliquístis ómnia, & secúti estis me, céntuplum accipiétis & vitam ætérnam possidébitis. ℣. Cum vénerit Filius hóminis in glória Patris sui cum Angelis suis, tunc reddet unicuíque secúndùm ópera sua. Vos qui. *Orat.* Deus qui univérsum mundum.

Processio de Festo sequenti.

DIE XXVI. JANUARII.

In Festo sancti Polycarpi Episcopi & Martyris.

Trium Lectionum.

Omnia de communi unius Martyris Pontificis præter sequentes Lectiones.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Ex libro S. Hierónimi Presbyteri, de Scriptóribus Ecclesiásticis. *Cap.* 17.

Lectio ij.

POlycárpus, Joánnis Apóstoli discípulus, & ab eo Smyrnæ Epíscopus ordinátus; totíus Asiæ princeps fuit: quippe qui nonnullos Apostolórum & eórum qui víderant Dóminum, magístros habúerit & víderit. Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiónes sub Imperatóre Antonino Pio, Ecclésiam in Urbe regénte Anicéto, Romam venit; ubi plúrimos credéntium Marciónis & Valentíni persuasióne decéptos: redúxit ad fidem. Cumque ei fortúitò obviam fuísset Márcion & díceret; Cognóscis nos? Respóndit. Cognósco primogénitum sátanæ. Posteà verò regnánte Marco Antoníno & Lúcio Aurélio Cõmodo, quartâ post Nerónem persecutióne; Smyrnæ sedénte Procónsule, & univérso pópulo in amphitheátro advérsus eum personánte: igni tráditus est. Scripsit ad Philippénses

valde útilem epístolam: quæ usque hódie in Asiæ convéntu légitur. Hæc quoque inter cætera de ipso testificátur beátus Irenæus Lugdunénsis Epíscopus: apud Eusébium. Sed & Polycárpus vir qui non solùm ab Apóstolis erudítus & cum multis qui Dóminum víderant, familiáriter versátus; verùm étiam in Asiâ, Smyrnénsis Ecclésiæ ab ipsis Apóstolis ordinátus est Epíscopus: quem nos quoque adhuc adolescéntes vídimus. (Vixit enim diutíssimè;) & in ultima senectúte summa cum glória: illústre perpéssus martyrium, excéssit è vita.

Ex Epístola Ecclésiæ Smyrnénsis ad Ecclésias Ponti.

Apud Eusebium lib. 4. Historiæ Ecclesiast. c. 15.

Lectio iij.

Cum ad tribúnal addúctus esset Polycárpus; suadére cœpit eum Procónsul: ut Christum negáret. Polycárpus respóndit. Sex & octogínta contínuos annos ei ministrávi; nec ulla me unquam affécit injuria: Et, quómodo possum impiè loqui advérsùs regem meum; creatóremque salútis meæ? Tunc omnes consénsu acclamavérunt: ut Polycárpus vivus comburéretur. Cúmq; eum clavis affigere étiam vellent: Sínite me, inquit; qui enim mihi vires dat ad ignis supplícium fórtiter sustinéndum: idem dabit ut immótus rogo insístam. Proíndè omíssis clavis: vinculis dumtáxat eum adstrinxérunt. Et cum precatiónem complésset: ministri rogum accéndunt. Cumque ingens flamma exarsísset; mira res visa est: ignis enim fórnicis spéciem præbens, tanquam velum navis ventórum flatu sinuátum, circum corpus Mártyris stetit; quod quidem in médio pósitum non ut caro assa videbátur: sed velut aurum aut argéntum quod in fornáce excóquitur. Quippe odórem suavíssimum quasi thuris alteriúsve pretiósi arómatis: náribus nostris inhalántem hauriebámus. Postrémo cernéntes impii ac profáni hómines corpus flammis non posse consúmi; confectórem própiùs accēdere:

accedére ; ensémque alté in corpus adigere jussérũt. Quo facto, tanta vis sánguinis effluxit, ut ignis prorsùs extingueretur; plebsque univérsa mirarétur ; tantum esse discrímen inter infidéles, atque eléctos. Porró Centúrio corpus in médio collocátum concremári jussit. Atque ita nos demùm ossa illíus gemmis pretiosíssimis chariora; & quovis auro puriora colligéntes ; ubi decébat condídimus. Quo étiam in loco nobis si fieri póterit conveniéntibus; concédet Deus natálẽ ejus martyrii diem ; cum hilaritáte & gaúdio celebráre.

DIE XXVII. JANUARII.

In Festo S. Ioannis Chrysostomi Episcopi, Confessoris & Ecclesiæ Doctoris. Trium Lectionum.

Omnia de communi Confessoris & Pontificis præter Orationem & sequentes Lectiones.

Orémus. *Oratio.*

ECcléſiam tuam, quæsumus Dómine, grátia cœléstis amplíficet ; quam beáti Joánnis Chrysóstomi Confessóris tui atque Pontíficis; illustráre voluísti ; gloriósis méritis, & doctrinis. Per Dóminum.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Lectio ij.

JOánnes Antiochénus, propter aúreum eloquẽtiæ flumen cognoménto Chrysóstomus; à sæculáribus stúdiis ad divínas lítteras summâ cum ingénii, & indústriæ laude se contulit. Itaque post Angélicam in solitúdine vitam aliquándiu ductam ; Sacris initiátur; ac présbyter Antiochénæ Ecclésiæ factus ; mortuo Nectário, invítus Constantinopolitánæ Ecclésiæ præficitur. Quo suscépto pastoráli múnere; depravátos mores, & nobiliórum hóminum vivéndi licéntia ; veheméntius objurgáre cœpit. Dívitum fastum retúdit ; omnes à spectáculis detérruit. Ipse autẽ forma gregis factus; resécuit sumptus inútiles Ecclésiæ ac famíliæ Episcopális ; & supérfluum in páuperum, præsértim verò infirmórum cõmoda convértit. Qua ex libertáte multórum súbiit invídiã; Eudóxiæ Augústæ imprimis ; quæ concionántis

verba quædam quaſi in ſe contumelióſa indígné ferébat. Quare Epiſcopórum áliquot Chrysóſtomo infensórum, hábita eſt apud Quercum Chalcédónis ſubúrbium, tumultuária Synodus; in qua anniténte Eudóxiâ ejícitur in exílium: quem pópulus incredíbili ſtúdio, nocte licèt urgénte longè proſecútus eſt. Sed paulò poſt facto terræ motu; & coórta ſeditióne plebis: ab exílio revocátur.

Lectio iij.

VErùm cùm pérditos mores increpáre non desíſteret; & ad argénteam Eudóxiæ ſtátuam in foro ſanctę Sóphiæ eréctam hyſtriónes lúdere; & à vulgi clamóribus divínam Pſalmódiam turbári mínimè paterétur; conſpiratióne inimicórum Epiſcópórum íterum exuláre cógitur: in quo exílio incredibile eſt quanta mala perpéſſus ſit & quàm multos ad Chriſtum convérterit. Sed dum Concílio Romæ hábito, decréto Innocéntii primi Pontíficis reſtituítur; à milítibus qui eum cuſtodiébant: miris in itínere malis & calamitátibus afflígitur. Cumque per Arméniam ducerétur: Cománā advéniens pernoctávit in Eccléſia ſancti Baſiliſci; ubi beátus Martyr ſic eum in ſomnis affátus eſt: Confide frater Joánnes, cras enim ſimul érimus. Sumpto poſtrídie Euchariſtiæ Sacraménto; conſignans ſe in modum Crucis: ánimam Deo réddidit. Quo mórtuo horríbilis grando Conſtantinópoli cécidit: & quatríduò Augúſta excéſſit è vitâ. Ejus corpus poſt áliquot annos Theodóſius Arcádii filius Conſtantinópolim tránſtulit insígni pompâ; ejúſque Relíquias venerátus: pro paréntibus véniam precátus eſt. Multitúdinem, pietátem ac ſplendórem conciónum cæterorúmq; eius ſcriptórum; interpretándi étiam rationem mirántur omnes: dignúmque exíſtimant cui Paulus Apóſtolus; quem ille mirífice cóluit: ſcribénti & prædicánti multa dictáſſe videátur.

DIE XXVIII. JANUAR.

In feſto S. Agnetis ſecundo.
Trium Lectionum.

Omnia de Communi Virginum

ginum præter ea, quæ hic sunt Propria.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nos ánnuâ beátæ Agnétis Vírginis & mártyris tuæ solemnitáte lætíficas; da quæsumus, ut quam venerámur officio: étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente cum duobus Respons. de Communi Virg. quæ occurrent.

Lectio iij.

BEáta Agnes, paréntibus ad ejus sepúlchrum assíduè vigilántibus; quadam nocte choro Vírginum comitáta cum apparuísset: sic ad eos locúta dícitur. Ne me paréntes mórtuam lugeátis; nam unà cum his virgínibus vivo apud illum in cœlis: quem in terris totâ mente diléxi. Cum áliquot post annos Constántia Constantíni Imperatóris fília insanábili últeri medicínam quærens; nondum Christiána ad idem sepúlchrum accessísset: obdormíscens sibi audíre visa est vocem hanc Agnétis. Constánter age Constántia; crede in Jesum Christum Filium Dei: qui te sanam fáciet. Quæ sanáta paulò post unà cum multis ex família Imperatóris baptísmum suscípiens: ibi Ecclésiam nómine beátæ Agnétis ædificávit.

℟. Omnipotens, adorándc, coléndc, treméndc benedico te: quia per Filium tuum Unigénitum evási minas hóminum impiórum, * Et spurcítias diáboli, impollúto calle transívi. ℣. Benedíco te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Filium tuum ignis extínctus est à látere meo. Et spurcítias. Glória Patri. Et spurcítias.

DIE XXIX. JANUARII.

In festo S. Francisci Salesij Confess. & Episc. Genevensis. Semid. Majus.

Omnia de Communi Confess. & Pontif. præter ea quæ hic sunt propria.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui ad animárum salútem beátum Francíscum Confessórem tuum atque Pontíficem, ómnibus ómnia factum esse voluísti: concéde propítius; ut charitátis tuæ dulcédine perfúsi, ejus diri-

géntibus mónitis ac suffragántibus méritis ; ætérna gáudia consequámur, Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FRancíscus, in Oppido Salésio undè famíliæ cognómen, piis & nobilibus paréntibus ortus; à téneris annis futúræ sanctitátis índícia præbuit ; morum innocéntiâ & gravitáte. Adoléscens liberálibus disciplínis erudítus; mox Philosóphiæ ac Theológiæ Parísiis óperam dedit ; tum Patávij Juris utriúsque láuream summâ cum laude obtínuit. In sacrâ æde Lauretánâ, perpétuæ virginitátis votum, quo pridem Parísiis se obstrínxerat, innovávit; à cujus virtútis propósito ; nullis unquam dæmonum fráudibus, nullis sénsuum illécebris pótuit dimovéri. Recusáta in Sabaúdiæ senátu amplíssimâ dignitáte ; Clericáli milítiæ, nomen dedit. Tum Sacerdótio initiátus, & Genevénsis Ecclésiæ Præpositúram adéptus; ejus múneris partes ádeò perfécte explévit ; ut eum Garnérus Epíscopus, vindicándis ab hærési Calviniána Chaballicénsibus, aliísque Genévæ finítimis pópulis, Divíni verbi præcónem destinarit. Quam expeditiónem álacri ánimo suscípiens; aspérrima quæque perpéssus est ; sæpè ab hæréticis conquisítus ad necem, variísque calúmniis & insídiis vexátus,

℟. Dómine quinque. lxxxij

Lectio v.

INter tot discrímina & agónes ; insuperábilis ejus constántia semper enítuit. Insídiis hæreticórum appetítus; látuit sæpè in sylvis, in furnis & rudéribus ; nec idcirco suscéptos pro extirpánda hæresi labóres deséruit, Cumque his in locis, Thunóne præsértim, Sacrum fácere non licéret; in arcem Albingiánam quátuor milliáribus distántem se recípere; & Druéntiam amnem, inníxus trabi, quæ glácie plerúmque obrigúerat ; pédibus & mánibus reptans, traiícere cogebátur. Tandem Dei protéctus ope ; septuagíntà duo míllia hæreticórum ad Cathólicam fidem reduxisse

duxisse dícitur: inter quos multi nobilitáte & doctrína numerántur insignes. In coadiutórem ascítus à Garnéro Genevénsi Epíscopo, Annécij seminárium Clericórum instítuit; quo mórtuo Epíscopus consecrátus: sanctitátis suæ rádios circunquáque diffúdit. Zelo Ecclesiásticæ disciplínæ; pacis stúdio; misericórdiâ in páuperes: omníque virtúte sed præsértim suavitáte & charitáte mirábili conspícuus.

℟. Iustus germinábit. lxxxiij

Lectio vj.

AD Divíni cultûs augméntum, novum Ordinem Sanctimoniálium instítuit; à Visitatióne beátæ Maríæ nuncupátum, sub régulâ sancti Augustíni: cui áddidit Constitutiónes, sapiéntiâ discretióne, & suavitáte mirábiles. Suis étiam scriptis cæléstí doctrína refértis; & sincérum Dei amórem spirántibus, Ecclésiam illustrávit: quibus iter ad Christiánam perfectiónem tutum ac planum demónstrat. Annum dénique agens quinquagésimum: dum è Gálliâ, recusáto Parisiénsis Coadjutóris múnere Annécium regréditur; Lugdúni (ubi sæpius Divíni verbi præco extíterat:) post Sacrum, in die sancti Joánnis Evangelístæ celebrátum, gravi morbo corréptus; múnitus Sacraméntis sequénti die migrávit in cœlum: anno Dómini millésimo sexcentésimo vigésimo secúndo. Ejus corpus Annécium delátum in Ecclésiâ Moniálium dicti Ordinis honorífice cónditum fuit: cœpitque statim miráculis claréscere; quibus ritè probátis, ab Alexándro séptimo Pontífice Máximo in Sanctórum númerum relátus est: qui ejus memóriam coléndam státuit quarto Kaléndas Februárij, quo die, Annécij sepúltus fuit. Sanctíssimum ejus Cor, Divínæ Charitátis dulcédine perfúsum; Lugdúni in primo Visitatiónis Monastério sũma cũ veneratióne, & fidéliũ concúrsu servátur: ibíq; étiamnũ plúrimis miráculis corúscat.

℟. Stola jocũditátis. lxxxii

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore: Respóndens Jesus dixit. Confíteor tibi Pater, Dómine cæli & terræ; quia abscondísti hæc à sapiéntibus & prudéntibus: & revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 9. de verbis Domini.

MIrum quibúsdam vidétur fratres charíssimi; cum áudiunt Dóminum dicéntem, Veníte ad me omnes qui laborátis & oneráti estis: & ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos: & díscite quia mitis sum & húmilis corde; & inveniétis réquiem animábus vestris: jugum enim meum suáve est & onus meum leve. Et consíderant eos qui jugum ipsum intrépida cervíce subjérunt; & illam sárcinam mansuetíssimis húmeris accepérunt; tantis agitári & exercéri difficultátibus hujus sæculi: ut non à labóribus ad quiétem, sed à quiéte ad labórem vocáti videántur. Cùm & Apóstolus dicat: Omnes qui volunt in Christo piè vívere, persecutiónem patiéntur. Ait ergo áliquis. Quómodo jugum leve est, & sárcina levis; quandóquidem illud jugum & sárcinam ferre, nihil est áliud quã piè vívere in Christo? ℟. Cibávit. lxxxvj.

Lectio viij.

SEd in his ómnibus, qui hæc non amant, eádem grávia patiúntur. Qui verò amant; eádem quidem: sed non grávia pati vidéntur. Omnia enim sæva & immánia: prorsus facília, & propè nulla éfficit amor. Quantò ergo cértius ac facílius ad veram Beatitúdinem cháritas facit: quòd ad misériam quantùm pótuit cupíditas fecit. Quàm fácilè tolerátur quælibet advérsitas temporális; ut ætérna pœna vitétur: ætérna réquies comparétur. Non immeritò ille vas electiónis cum ingénti lætítia dixit. Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis: ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. Ecce unde illud jugum suáve est: & sárcina levis. Et si angústa est paucis èligéntibus: fácilis tamen ómnibus

bus diligéntibus. Dicit Psalmísta; Propter verba labiórum tuórum: ego custodívi vias duras. Sed quæ dura sunt laborántibus: eísdem ipsis mitéscunt amántibus. Nihil enim tam fácile bonæ voluntáti est, quàm ipsa sibi: & hæc sufficit Deo.

℞ Justum dedúxit. lxxxvij.

Pro sancto Valerio.

Lectio ix.

VAlérius beáti Petri Apóstoli discípulus ab eo in Gálliam missus; cum Euchário & Matérno ejúsdem Príncipis Apostolórum discípulis: Trevirórum urbem advénit. Cumque ibi primum Euchárius aliquándiu gessisset Episcopátum; Valérius ingénti sollicitúdine ad Evangélij propagatiónem inténtus: mórtuo Euchário in ejus locum Epíscopus creátus est. Cujus prædicatiónis tanta fuit instántia; ut adhuc eo vivénte: per Gálliam & Germániam Christiáni Pagános número simul & religióne superárent. Tandem cum annos quíndecim Trevirénsi præfuisset Ecclésiæ: vitæ innocéntia; pietátis atque Episcopálium virtútũ laude florens: obdormívit in Dómino quarto Kaléndas Februárij. Cujus corpus colligéntes discípuli; beáti Euchárij venerándo córpori coaptántes: eódem túmulo condidérunt.

℞. In médio. lxxxviij.

FESTA FEBRUARII.

DIE I. FEBRUARII.

In festo S. Ignatij Episcopi, & Martyris.

Trium Lectionum.

Omnia de Communi unius Martyris preter ea quæ sequuntur.

Oratio. Infirmitátẽ. xxxij.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Ex libro S. Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis. *Cap. 26.*

Lectio ij.

IGnátius Antiochénæ Ecclésiæ tértius post Petrum Apóstolum Epíscopus; commovénte persecutiónem Trajáno, damnátus ad béstias: Romam vinctus míttitur. Cumque návigans Smyrnam venísset; ubi Polycárpus audítor Joánnis, Epíscopus erat: scripsit unam epístolam ad Ephésios; álteram ad Magnesiános; tértiam ad

Trallénses : quartam ad Romanos. Et indè egrédiens scripsit ad Philadélphios, & ad Smyrnæos: & própriam ad Polycárpum, comméndans ei Antiochénsem Ecclésiam; in qua & de Evangelio quod nuper à me translátum est super personâ Christi ponit testimónium dicens: Ego verò & post resurrectiónem in carne eum vidi. Dignum autem vidétur quia tanti viri fécimus mentiónem; & de epístolà ejus quam ad Romános scribit: pauca pónere. De Syriâ usque ad Romam pugno ad béstias in mari & in terrâ; nocte diéque ligátus cum decem Leopárdis hoc est milítibus qui me custódiunt: quibus & cùm benefécceris, pejóres fiunt. Iníquitas autem eórum mea doctrína est: sed non idcircò justificátus sum.

Lectio iij.

UTinam fruar béstiis quæ mihi sunt parátæ: quas & oro mihi velóces esse ad intéritum, & ad supplícia; & állici ad comedéndum me: ne sicut & aliórum Mártyrum, non áudeant corpus attíngere. Quod si veníre nolúerint; ego vim fáciam: ego me urgébo ut dévorer. Ignóscite mihi filíoli: quid mihi prosit ego scio. Nunc incípio Christi esse discípulus; nil de his quæ vidéntur desíderans: ut Jesum Christum invéniam. Ignis, Crux, béstiæ, confráctio óssium, membrórum divísio; & totíus córporis contrítio, & tota torménta diáboli in me véniant: tantùm Christo fruar. Cumque jam damnátus esset ad béstias; & rugiéntes audíret leónes: ardóre patiéndi ait. Fruméntum Christi sum: déntibus bestiárum molar, ut panis mundus invéniar. Passus est anno undécimo Trajáni; Relíquiæ córporis ejus Antióchiæ jacent extrà portam Daphníticam: in cœmetério.

DIE II. FEBRUARII.

In festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis. Dupl. Majus.

Ad Vesperas. Antiphona. Símeon justus. *cum reliquis de Laudibus. Psalmi de Beata Maria. ut in ejus Officio parvo.* clxxv.

Capitulum.

Capitulum.

ECce ego mittam Angelum meum & præparábit viam ante fáciem meam; & statim véniet ad templum suum, Dominátor quem vos quæritis: & Angelus testaménti quem vos vultis.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes.

℟. Quia fecit mihi magna qui potens est.

Ad Magnificat, Aña. Cum indúcerent Púerum Jesum paréntes ejus; accépit eum Símeon in ulnas suas, & benedíxit Deum dicens: Nunc dimíttis Dómine servum tuum in pace. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices exorámus; ut sicut Unigénitus Fílius tuus, hodiérna die cum nostræ carnis substántia in templo est præsentátus: ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári. Per eúmdem Dóminum.

Processio ad sanctam Mariam ℟. j. Postquam impléti sunt.

Ad ij. Magnificat, Aña. Respónsum accépit Símeon à Spíritu sancto, non visúrum se mortem nisi vidéret Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

ERudi quæsumus Dómine plebem tuam; & quæ extrínsecùs ánnuâ tríbuis devotióne venerári: intérius ássequi, grátiæ tuæ luce concéde. Per Dñm.

Ad Completorium. Hymnus. Ave maris stella. clxx.

Ad Matutinum, Invitat. Ave María grátia plena Dñs tecum. *Duplicatur.*

Psalmus. Venite.

In primo Nocturno.

Aña. Post partum Virgo invioláta permansísti, Dei Génitrix intercéde pro nobis. *Psalm.* Dómine Dóminus noster. clxxx.

Aña. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte.

Psalm. Consérva me Dñe.

Aña. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui.

Psalm. Dómini est terra.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde prósperè procéde & regna.

Pater noster. *Deprecatio.*

℣. Exúrge Dómine.

℣. Súscipe. 1. *Bened.* Adjútor.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 13.

LOcútus est Dóminus ad Moysen, dicens. Sanctifica mihi omne primogénitum quod áperit vulvam in filiis Israël: tam de homínibus quàm de juméntis. Mea enim sunt ómnia. Et ait Moyses ad pópulum. Cùm introdúxerit te Dóminus in terram Chananæi sicut jurávit tibi & pátribus tuis & déderit tibi eam; separábis omne quod aperit vulvam, Dómino, & quod primitívum est in pecóribus tuis: quidquid habúeris masculíni sexûs consecrábis Dómino. Primogénitum ásini mutábis ove: quòd si non redémeris interficies. Omne autem primogénitum hóminis de filiis tuis: prétio rédimes. Cumque interrogáverit te filius tuus cras dicens; Quid est hoc? Respondébis ei. In manu forti edúxit nos Dóminus de terrâ Ægypti, de domo servitútis; nam cum indurátus, esset Phárao & nollet nos dimíttere: occídit Dóminus omne primogéni tu in terrâ Ægypti; à primogénito hóminis usque ad primogénitum jumentórum: idcírco ímmolo Dómino omne quod áperit vulvam masculíni sexûs, & ómnia primogénita filiórum meórum rédimo.

℟ Postquàm impléti sunt dies purgatiónis Maríæ, secúndùm legem Moysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem ut sísterent eum Dómino: * Sicut scriptum est in lege Dómini, quia omne masculinum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur. ℣. Et ut darent hóstiam secúndùm quod scriptum est in lege Dómini, par túrturum, aut duos pullos columbárum. Sicut scriptum est.

2. *Benedictio.* Benedictiónibus suis.

De libro Levítici.

Lectio ij. Cap. 12.

LOcútus est Dóminus ad Moysen dicens. Lóquere filiis Israël: & dices ad eos. Múlier si suscépto sémine pepérerit másculum; immúnda erit septem diébus: juxtà dies separatiónis mēstruæ. Et die octávo circūcidétur infántulus: ipsa verò trigínta tribus diebus manébit in

sánguine

sãguine purificatiónis suæ. Si autem fœminam pepérerit; immúnda erit duábus hebdomádibus juxtà ritum fluxûs ménstrui: & sexagínta sex diébus manébit in sánguine purificatiónis suæ.

℟. Símeon justus & timorátus expectábat redemptiónem Israël, * Et Spíritûs sanctus erat in eo. ℣. Et respónsum accéperat à Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi priùs vidéret Christum Dómini. Et Spíritus.

3. *Benedictio.* Cœléstem.

Lectio iij.

Cumque expléti fúerint dies purificatiónis suæ; pro filio sive pro filiâ, déferet agnum annículum in holocáustum, & pullum, colúmbæ, sive túrturem pro peccáto: ad óstium tabernáculi testimónij; & tradet Sacerdóti qui ófferet illa coram Dómino: & orábit pro eâ, & sic mundábitur à proflúvio sánguinis sui. Ista est lex pariéntis: másculum aut fœminam. Quod si non invénerit manus ejus nec potúerit offérre agnum: sumet duos túrtures, vel duos pullos columbárum; unum in holocáustum & álterum pro peccáto: orabítque pro eâ Sacérdos & sic mundábitur.

℟. Respónsum accépit Símeon à Spíritu sancto. * Non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini. ℣. Et homo iste justus & timorátus; expéctans consolatiónem Israël, & respónsum accéperat à Spíritu sancto Non visúrum. Glória Patri, Non visúrum.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Spécie tua & pulchritúdine tua, inténde, prósprere procéde, & regna.

Psalm. Eructávit. clxxxij.

Antiphona. Suscépimus Deus misericórdiam tuam, in médio templi tui.

Psalm. Magnus Dóminus.

Antiphona. Mater Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea, & ipse fundávit eam Altíssimus.

Psalmus. Fundaménta.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur Pater noster. *Deprecatio.*

℣. Osténde nobis.

1. Bene

2. *Benedictio.* Deus Dei Filius.

Sermo sancti Augustini Epíscopi.

Ser. 13. *de Temp. post ini.*

Lectio iv.

SIc olim prædíctum est, Mater Sion dicet; Homo & homo factus est in eâ: & ipse fundávit eam Altíssimus. O omnipoténtia nascéntis: ô magnificéntia de cœlo ad terram descendéntis, Adhuc in útero portabátur: & ex útero matris à Joánne Baptísta salutabátur. In templo præsentabátur: & à Simeóne sene famóso; annóso; probáto; coronáto: agnoscebátur. Tunc cognóvit; tunc adorávit: tunc dixit. Nunc Dómine dimíttis servum tuum in pace: quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

℟. Respónsum accéperat Símeon à Spíritu sancto non visúrum se mortem nisi vidéret Christum Dómini, & benedixit Deum & dixit: Nunc dimíttis servum tuum in pace, * Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum Dómine.

℣. Nunc dimíttis servum tuum Dómine secúndum verbum tuum in pace. Quia vidérunt.

2. *Benedictio.* Ætérnam benedictiónem.

Lectio v.

DIfferebátur exíre de sæculo: ut vidéret natum per quem cónditum est sæculum. Agnóvit infántem senex: factus est in púero puer. Innovátus in ætáte: qui plenus erat pietáte. Símeon senex; ferébat Christum infántem: Christus regébat Simeónis senectútem. Dictum ei fúerat à Dómino; quod non gustáret mortem: nisi vidéret Christum Dómini natum. Natus est Christus; & implétum est desidérium senis: in mundi ipsíus senectúte. Ipse ad senem hóminem venit: qui mundum inveterátum invénit.

℟. Suscípiens Jesum in ulnas suas Símeon, exclamávit & dixit; * Tu es verè lumen ad illuminatiónem Géntium, & glóriam plebis tuæ Israël. ℣. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, & ipse accépit eum in ulnas suas & benedíxit Deum & dixit. Tu es vere.

3. *Benedictio.* Grátia Spíritûs sancti.

Lectio vj.

IN isto quidem sæculo diù esse nolébat, & Christum in hoc sæculo vidére cupiébat; cantans cum Prophéta, & dicens: osténde nobis Dómine misericórdiam tuam & salutáre tuum da nobis. Dénique ut novéritis ita esse istíus lætitiam: conclúdit dicens. Nunc dimíttis servum tuum in pace: quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. Prophétæ cecinérunt conditórem cœli & terræ in terrâ cum homínibus futúrum; Angelus nuntiávit, creatórem carnis & Spíritûs in carne ventúrum; salutávit Joánnes ex útero in útero Salvatórem: Simeon senex Deum agnóvit infántem.

℟. Jerúsalem surge & sta in excélso & vide. * Jocunditátem quæ véniet tibi à Deo tuo. ℣. Leva in circúitu óculos tuos & contempláre. Jocunditatem. Glóira Patri. Jocunditátem.

In tertio Nocturno.

Aña. Tóllite hóstias & introíte in atria ejus. Adoráte Dóminum in áulâ sancta ejus.

Psalmus. Cantáre. j. 125.

Aña. Parátus esto Israël in occúrsum Dómini quóniam venit.

Psalmus. Dóminus regnávit exúltet terra. clxxxv.

Aña. Ecce veniet desiderátus cunctis géntibus, & replébitur glória domus Dómini.

Psalm Cantáte. ij. clxxxvj.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptéreà benedixit te Deus in ætérnum.

Pater noster. *Deprecatio iij.*

℣. Adjutórium nostrum.

1. *Bened.* Redémptor.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore: postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ; secúndùm legem Móysi: tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino. Sicut scriptum est in lege Dómini; Quia omne masculínum, adapériens vulvam: sanctum Dómino vocábitur. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. Cōment. in Luc. c. 2.

ECce homo erat in Jerúſalem cui nomen Símeon ; & homo iſte juſtus & timorátus : expéctans conſolatiónem Iſraël. Non ſolùm ab Angelis & Prophétis & Paſtóribus ; ſed étiam à ſeniòribus & juſtis : generátio Dómini ácipit teſtimónium. Omnis ætas ; utérque ſexus ; eventorúmque mirácula : fidem áſtruunt. Virgo génerat ; ſtérilis parit ; mutus lóquitur ; Elízabet prophetat ; Magus adórat ; útero clauſus Joánnes exúltat ; vidua confitétur : juſtus expéctat.

℟. Cánite tubâ in Sion, vocáte Gentes, annuntiáte pópulis, * Et dícite : Ecce Deus Salvátor noſter advéniet. ℣. Congregáte ſenes, omnes habitatóres terræ in domum Dei noſtri. Et dícite.

ij. Bened. Unigénitus.

Lectio viij.

ET benè juſtus ; qui non ſuam ſed pópuli grátiam requirébat : cúpiens ipſe corpóreæ vínculis fragilitátis exólvi. Sed expéctans vidére promíſſum : ſciébat enim, quia beáti óculi qui eum vidérent. Et accepit eum in mánibus ſuis ; & benedíxit Deum & dixit : Nunc dimíttis ſervum tuum Dómine, ſecúndum verbum tuum in pace. Vide juſtum ; velut corpóreæ cárcere molis incluſum, velle diſsólvi : ut incípiat eſſe cum Chriſto. Diſsólvi enim & eſſe cum Chriſto : multò mélius eſt.

℟. Docébit nos Dóminus vias ſuas, & ambulábimus in sémitis ejus ; * Quia de Sion exíbit lex, & verbum Dómini de Jerúſalem. ℣. Domus Jacob veníte, & ambulémus in lúmine Dómini. Quia de Sion.

iij. Bened. Ad ſupernórum.

Lectio ix.

SEd qui vult dimítti, véniat in templúm ; véniat in Jerúſalem : expéctet Chriſtum Dómini. Accípiat in mánibus Verbum Dei ; compleƈtátur velut quibuſdam fidei ſuæ bráchiis : tunc dimittétur ut non vídeat mortem, qui víderit vitam. Vides úberem in omnes grátiam Dómini generatióne diffúsā ; & prophetíam incrédulis eſſe negátam : non juſtis. Ecce & Símeon prophétat, in ruínam & reſurrectiónem

nem multórũ venísse Dóminum Jesum Christum; ut justórum, iniquorúmque mérita discérnat: & pro nostrórum qualitáte factórum; judex verus & justus: aut supplícia decérnat, aut præmia.

℟. Tolle púerum & matrem ejus & vade in terram Israël,* Defúncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri. ℣. Appáruit Angelus Dómini in somnis Joseph in Ægypto dicens: Surge & áccipe púerum & matrem ejus & vade in terram Israël. Defúncti sunt enim. Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Antiph. Símeon justus & timorátus expectábat redemptiónem Israël & Spíritus sanctus erat in eo. *Psalm.* Dóminus regnávit. *cum reliquis.* *Aña.* Respónsum accépit Símeon à Spíritu sancto non visúrum se mortem nisi vidéret Dóminum. *Aña.* Accípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens benedíxit Dóminum. *Aña.* Tolle púerum & matrem ejus, & vade in terram Israël. *Aña.* Revértere in terram Israël, defúncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri.

Capitulum. Málach. 3.

ECce ego mittam Angelum meum & præparábit viam ante fáciẽ meam; & statim véniet ad templum suum Dominátor quem vos quæritis: & Angelus testaménti quem vos vultis.

℣. Audívit & lætáta est Sion. ℟. Et exultavérunt fíliæ Judæ.

Ad Benedict. Aña. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, accépit eum Símeon in ulnas suas, & benedixit Deum dicens: Nunc dimíttis Dómine servum tuum in pace. *Duplic.*

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus majestátem tuam súpplices exorámus; ut sicut Unigénitus Fílius tuus, hodiérna die cum nostræ carnis substántia in templo est præsentátus: ita nos fácias purificátis sibi méntibus præsentári. Per eúndem Dóminum.

Processio ad S. Mariam. ℟. *ij.* Símeon justus. 579. *Ad ij. Benedictus, Aña. iij.* Accípiens Símeon. *ut sup.*

in Laudib. Oratio. Erudi. *ut in primis Vesperis. Ad Tertiam, Capitulum.* Ecce ego mittam Angelum.

℟. Spécie tua. clxxj.

Oratio. Omnípotens sempitérne Deus. *ut suprà.*

Ad Sextã, Capit. Malac. 3.

Ecce véniet dicit Dóminus exercítuum, & quis póterit cogitáre diem advéntûs ejus; & quis stabit ad vidéndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullónum.

℟. Adjuvábit eam. clxxij.

Oratio. Erudi. 577.

Ad Nonã. Capit. Malac. 3

Et placébit Dómino sacrificium, Juda & Jerúsalem sicut dies sæculi; & sicut anni antíqui? dicit Dóminus omnípotens.

℟. Diffúsa est. clxxij.

Orémus. *Oratio.*

Perfice in nobis quæsumus Dómine grátiam tuam? qui justi Simeónis longam expectatiónem cõpléſti; ut sicut ille mortem non vidit priúsquàm Christum Dómini vidére mererétur? ita nos vitam obtineámus ætérnam. Per eúndem.

Ad Vesperas, Aña. Simeon justus. *cum reliquis de Laudibus. Psalmi de B. Maria.* clxxv.

Capitul. Ecce ego mittam Angelum. *ut suprà.*

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes.

℟. Quia fecit mihi magna qui potens est.

Ad Magnificat, Aña. Puer Jesus proficiébat ætáte & sapiéntia coram Deo & homínibus. *Duplicatur.*

Oratio. Omnípotens sempitérne Deus. *ut suprà.*

Processio ad S. Mariam.

℟. Fœlix valdè es sacra Virgo María & omni laude digníssima, quia ex te ortus est sol justítiæ Chrístus Deus noster.

Ad ij. Magnificat, Aña. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Purificatiónem.

Oratio. Erudi. 577.

Ad Completor. Hymnus. Ave maris stella. clxx.

DIE III. FEBRUARII.

In festo sancti Blasij Episcopi & Mart. Trium Lectionum.

Omnia

Omnia de communi Martyris Pontificis præter Lectionem.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

BLásius Epíscopus Sebasténus in Arménia, quo témpore Agricoláus Præses sub Diocletiáno Christiános vexábat; se in spelúncam ábdidit montis Argæi: ubi tándiù látuit, donec à milítibus Præsidis venántibus deprehénsus, & ad eum ductus in cárcerē conjicerétur. Plúrimos eo in loco suis précibus sanávit; quos inter púerum liberávit: cui piscem comedénti spina faúcibus adhæserat. Cum verò adduci non posset ut Deos venerarétur; virgis primùm cæsus, deindé in equúleo férreis pectínibus dilaniátus: rursúm detrúditur in cárcerem. Sequebántur autem eum septem mulíeres; quæ cùm guttas ex ejus vulnéribus defluéntes excíperent: hoc indício deprehénsæ; post adhíbitos ignes, péctines, & túnicas æreas candéntes: martyrii palmā adéptæ sunt. Priúsquàm verò sécuri collum præberent; impetráto precándi spátio: flexis génibus dixérunt. Glória tibi Christe qui regnas in sæcula; Quis est magnus sicut tu Deus noster, qui vocásti nos ad veram & suavíssimam lucem? Rogámus te Dómine connúmera nos cum prima mártyre tua Theclà; accípiens intercessiónem sanctíssimi patris nostri & pastóris Blásij: qui deduxit nos ad hanc veritátem. Tum edúctus è custódia Blásius, & in lacum demérsus; inde exívit incólumis: ac demùm unà cum duóbus púeris cápite truncátus est.

DIE V. FEBRUARII.

In festo sanctæ Agathæ Virginis & Martyris. Semiduplex minus, sive novem Lectionum.

Ad Vesp. Capitul. Qui gloriátur. *ut in com. Virg.* cix.

Ad Magnificat, Aña. Agatha lætíssimè & gloriánter ibat ad cárcerem, & quasi ad épulas invitáta agónem suum Dómino précibus commendábat.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam

ctóriam Martyrii contulísti concéde propítius; ut qui beátæ Agathæ Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

Processio ad S. Mariam.

℟. j. Cùm torqueretur.

Ad ij. Magnificat, Ana.

Agatha sancta dixit: Si feras mihi promíttas, audíto Christi nómine mansuéscunt.

Orémus. *Oratio.*

INdulgéntiam nobis Dómine beáta Agatha Virgo & Martyr implóret; quæ tibi grata semper éxtitit & mérito castitátis, & tuæ professióné virtútis. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitat.

Regem Vírginum Dóminum veníte adorémus. *Ps.* Veníte. 2.

In primo Nocturno

Aña. Ingénua sum & spectábilis génere, ut omnis parentéla mea testátur. *Ps.* Beátus vir. *& cæteri ut in communi unius Martyris.* xxxiij. *Aña.* Ancílla Christi sum, ídeò me osténdo servílem personam. *Psalm.* Quare fremuérunt Gentes. *Aña.* Summa ingenúitas ista est in qua sérvitus Christi comprobátur. *Ps.* Dómine quid multiplicáti sunt.

℣. Spécie tua. ℟. Inténde.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. Cum torquerétur beáta Agatha in mammilla, dixit ad júdicem: * Impie, crudélis & dire Tyránne; non es confúsus amputáre in fœmina, quod ipse in matre suxísti. ℣. Ego hábeo mammíllas íntegras intus in ánima mea quas Dómino consecrávi. Impie, crudélis.

℟. ij. Vidísti Dómine & spectásti agónem meum, quómodo pugnávi in stádio; sed quia nólui obedíre mandátis Príncipum, * Jussa sum in mammílla torquéri. ℣. Propter veritátem & mansuetúdinem & justítiam. Jussa sum.

℟. iij. Quis es tu qui venísti ad me curáre vulnera mea. Ego sum Apóstolus Christi nil in me dúbites filia. * Ipse me misit ad te, quem dilexísti mente & puro corde. ℣. Nam & ego Apóstolus ejus sum. Ipse me misit. Glória Patri. Ipse me.

In

In secundo Nocturno.

Ana. Agatha sancta dixit. si feras mihi promíttas, audito Christi nómine mansuéscunt.

Psalmus. Cùm invocárem. *ut in comm. unius Mart.* xxxvij.

Ana. Si ignem adhíbeas, rorem salvificum de cœlo Angeli ministrábunt. *Psal.* Verba mea. *Ana.* Nisi diligénter fúerit corpus meum à carnificibus attráctatum, non potest ánima mea in Paradisum Dómini cum palma intráre Martyrii.

Psalmus. Dómine Dóminus noster.

℣. Adjuvábit eam. ℟. Deus in médio.

Lectio iv.

AGatha Virgo, in Sicília nobílibus paréntibus nata, quam Panormitáni & Catanénses civem suam esse dicunt; in persecutióne Décii Imperatóris, Cátanæ gloriósi martyrii corónam cõsequúta est. Nam cùm pari pulchritúdinis & castitátis laude commendarétur: Quintiánus Silíciæ Prætor ejus amóre captus est. Sed cùm tentátâ modis ómnibus ejus pudicitiâ, Agatham in suam senténtiam perdúcere non posset; Christiánæ superstitiónis nómine comprehénsam, Aphrodísiæ cuidam mulíeri depravándam tradit. Quæ Aphrodísiæ consuetúdine, cum de constántia coléndæ Christiánæ fidei, & servándæ virginitátis removéri non posset; núntiat illa Quintiáno, se in Agatha óperam pérdere. Quare ille ad se Vírginem adduci jubet; &, Nonne, inquit, te pudet nóbili génere natam húmilem & servílẽ Christianórum vitam ágere? Cui Agatha; Multò præstãtior est Christiána humílitas & sérvitus, Regum ópibus ac supérbia.

℟. Dilexísti. cxvij.

Lectio v.

QUamóbrẽ irátus Prætor; hanc ei optiónem dat, velitne pótiùs venerári Deos, an vim tormentórum subíre. At illa constans in fide; primùm cólaphis cæsa míttitur in cárcerem, undè postrídie edúcta, cùm in senténtiâ permanéret; admótis candéntibus láminis in equúleo torquétur, tùm ei mamilla

milla abscínditur. Quo in vulnere Quintiánum appéllans Virgo: Crudélis, inquit, tyránne; non te pudet amputáre in fœmina, quod ipse in matre suxísti? Mox conjécta in víncula; sequénti nocte à beáto Petro sub spécie senis apparénte: sanáta est. Rursum evocáta à Prætóre, & in Christi confessióne persevérans: in acútis téstulis, candéntibus carbónibus ei subjéctis volutátur.

℟. A dextris: cxviij.

Lectio vj.

QUo témpore ingénti terræ motu urbs tota contrémuit; ac duo paríetes corruéntes: Silvínum & Falcónium íntimos Prætóris familiáres oppressérunt. Quare veheménter commóta civitáte; véritus pópuli tumúltum Quintiánus: Agatham semimórtuam, clam redúci ímperat in cárcerem. Quæ sic Deum precáta. Dómine qui me custodísti ab infántiâ; qui abstulísti à me amórem sæculi; qui me carníficum torméntis superiórem præstitísti: áccipe ánimam meam. Hac in oratióne migrávit ad cœlum. Cujus corpus cùm à Christiánis sepelirétur; appáruit adoléscens, qui ad caput sepúlchri depósuit tábulam marmóream cum hac Epígraphe: Mentem sanctam, spontáneam; honórem Deo: pátriæ liberatiónem. Anno reverténte; Pagáni, velo quo sanctæ Vírginis túmulus tegebátur oppósito: ignem ab Æthnâ monte exundántem represérunt.

℟. Induit me. cxviij.

In tertio Nocturno.

Ana. Agatha lætíssimè & gloriánter ibat ad cárcerem, & quasi ad épulas invitáta, agónem suum Dómino précibus commendábat.

Psalmus. In Dómino confido. 8.

Ana. Vidísti Dómine agónem meum, quómodo pugnávi in stádio: sed quia nólui obedíre mandátis Príncipum, jussa sum in mammíllâ torquéri.

Psalmus. Consérva me. 11.

Ana. Propter fidem castitatis jussa sum suspéndi in equúleo, ádjuva me Dómine Deus meus in tortúra mammillárum meárum.

Psalmus.

Psalmus. Exáudi Dómine justítiam meam. 12.

℣. Diffúsa est.

Homilia & Lectiones de Communi Virginum. cxx.

℟. vij. Ego autem adjuváta à Dómino perseverábo in confessióne ejus; * Qui me salvam fecit & consolátus est me. ℣. Grátias tibi ago Dñe Jesu Christe, quia misísti ad me Apóstolum tuum. Qui me salvam.

℟. viij. Qui me dignátus est ab omni plaga curáre, & mammíllam meam meo péctori restitúere. * Ipsum ínvoco Deum vivum.

℣. Medicínam carnálem córpori meo numquam exhíbui; sed hábeo Jesum Christum, qui solo sermóne restáurat univérsa. Ipsum ínvoco.

℟. ix. Beáta Agatha ingréssa cárcerem expándit manus suas ad Deum & dixit: Dómine qui me fecísti víncere torménta carníficum, * Jube me Dómine, ad tuam misericórdiam perveníre. ℣. Dómine qui me creásti, & tulísti à me amórem sæculi, qui corpus meum à pollutióne separásti. Jube me. Glória Patri. Jube me.

AD LAUDES.

Antiphona. Quis es tu qui venísti ad me curáre vúlnera mea? Ego sum Apóstolus Christi, nihil in me dúbites filia. ℣. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.* 20.

Antiph. Medicínam carnálem córpori meo numquàm exhíbui; sed hábeo Jesum Christum qui solo sermóne restáurat univérsa. *Aña.* Grátias tibi ago Dómine, quia memor es mei: & misísti ad me Apóstolum tuum curáre vúlnera mea. *Aña.* Benedíco te Pater Dómini mei Jesu Christi: quia per Apóstolum tuum mamíllam meam meo péctori restituísti. *Aña.* Qui me dignátus, est ab omni plagâ curáre & mamíllam meam meo péctori restitúere: ipsum ínvoco Deum vivum. *Capitul. & ℣. de communi Virg.* cxxiij.

Ad Benedict. Aña. Mentem sanctam, spontáneam: honórem Deo, & pátriæ liberatiónem. *Oratio.* Deus qui inter cætera. 585.

Ad Horas. ut in Comm. Virg. cxxiij.

Ad Tertiam. Orat. Deus

qui inter cæterá. *Ad Sextam. Orat.* Indulgéntiam. *Ad Nonam.* Orémus.

DEus qui nos ánnua beátæ Agathæ Vírginis & Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas; da, ut quam venerámur officio: étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Ad Vesperas. Capit. & ℣. ut in comm. Virginum. cix.

Ad Magnificat, Aña. Paganórum multitúdo, fúgiens ad sepúlchrum Vírginis, tulérunt velum ejus contra ignem: ut comprobáret Dominus quòd à perículo incéndii, méritis Agathæ Mártyris suæ eos liberáret. *Oratio.* Deus qui inter cætera. 585.

DIE IX. FEBRUARII.

In festo sanctæ Apolloniæ Virginis & Martyris.

Trium Lectionum.

Omnia de Communi Virg. & Mart. præter sequentem Lectionem, & Orat.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotẽs sempitérne Deus, qui infirma mũdi éligis, ut fórtia quæque cõfũdas: cõcéde propítius; ut qui beátæ Apollóniæ Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus: ejus apud te patrocinia sentiámus. Per Dóminum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Ex Epístola sancti Dionysii Alexandríni ad Fábium Antiochénum.

Euseb. Hist. lib. 6. cap. 41.

Lectio iij.

NEquáquam ex Décii Imperatóris edícto persecútio apud nos cœpta est: sed integro anno antevérterat. Nam infaústus quidam vates ac Poëta: commóvit Alexándriæ advérsùs nos Gentílium turbas. Ab illo igitur stimuláti; hanc solam pietátem, cultúmque dæmonum suórum existimábant: si cædibus advérsùs nos sævírent. Tunc admirándam illam provéctæ jam ætátis vírginem Apollóniam comprehendérunt; & maxillas quidem ejus percutiéntes: cunctos ei dentes excussérunt. Accénso autem extrà urbem rogo; minabántur se illam vivam combustúros: nisi unà cum ipsis ímpia verba pronunciáret. At illa véniam deprecári paulísper visa; atque ínterim dimíssa: celériter

riter in ignem insíliit & conflagrávit.

DIE XI. FEBRUARII.

In festo S. Desiderij Episcopi Viennensis & Mart.

Trium Lectionum.

Omnia de Communi Martyris & Pontificis præter Lectionem.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

DEsidérius Augustodúni, è nóbili prosápiâ oriúndus : liberálibus stúdiis à púero incúbuit. Ecclesiásticæ disciplínæ stúdio Viénnam profectus, Clericáli milítiæ nomen dedit; cúmque Vero ejúsdem urbis Antístiti in órdine Diáconi aliquándiù ministrásset : ei defúncto succéssor in Episcopátu datus est. Illi & Syágrio Augustodunénsi ; Gregórius Magnus, Augustínum à se in Angliam, prædicándi Evangélii causa missum : per lítteras commendávit. Cum autem Brunichíldis Regínæ impietátes, libériùs argúeret; & ad pœniténtiam zelo Episcopáli privátim & públicè illam hortarétur : capitáli eum ódio prosecúta, tandem periméndum curávit. Sed ut fraudem tégeret, Cabilonénse convocári curat Concílium ; in quo Regina instigánte Desidérius depónitur : subrogatóque in ejus locum Dómnolo in ínsulam quamdam exílio detrúditur. Post annos quátuor cum in eádem senténtia, (Adóne teste,) constans permanéret ; Brunichíldis jussu apud Prisciníacum, agri Lugdunénsis vicum, anno Dómini círciter sexcentésimo duodécimo : lapidátus est, & in eodem loco sepúltus. Sacrum ejus corpus ab Æthério Viennénsi Epíscopo, posteà trãslátum est Viennam, tértio Idus Februárii ; quo die ejus festum Lugdúni celebrátur : & in Ecclésiâ sanctórum Apostolórum cónditum multis cláruit miráculis.

DIE XIII. FEBRUARII.

In festo S. Stephani Episcopi Lugdunensis & Conf.

Trium Lectionum.

Omnia de communi Confessoris Pontificis præter sequentem Lectionem.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Sermo S. Eucherii Lugdunénsis Epíscopi.

Serm. 4. *in depositione Sacerdotis circa finem.*

Lectio ij.

SUmmæ alacritátis instántia beátus Stéphanus vestrárum fuit cultor & custos animárum : Cupiditátes résecans ; iras cómprimens : malítias extírpans. His magis vir ille tempórib⁹ necessárius fúerat ; quibus tanta iníquitas sumptis quotídiè (deficiénte justítia) víribus : convaléscit. Et quidem ille in hac peregrinatióne, cum aviditáte, in illa ætérna pátria conversátus est : qui huic mundo crucifíxus ac mórtuus ; quidquid laborávit de hac vita : ad illam vitam tránstulit. Et quasi bonus ratiocinátor ; velut ad céntuplum manum pórrigens, semper de sinistra transmísit ad déxteram : & in cœlo repósuit sudóres suos. Nam etsi hic ópera ejus vidéntur : illuc mérita óperum transiérunt. Illíus ergo in quantùm póssumus vestígiis insistámus ; quibus per illam nimis arctam viam ad cœlos festínans : qua eum sequerémur ostendit. Ideò enim illum huic terræ, huic regióni Dóminus dedit : ut omnem vitæ nostræ actum ad illíus informémus exémplum ; & animárum nostrárum fácies ad eum respiciéntes, tanquam ad spéculum componámus : & quasi boni filii similitúdinem patris excolámus in nobis.

DIE XIV. FEBRUARII.

In festo SS Valentini Interamnensis Episcopi, atque Valentini Romani Presbyteri, Martyrum. Trium Lectionum.

Omnia de communi plurimorum Martyrum præter Orationem & Tertiam Lectionem. Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta quæsumus, omnípotens Deus ; ut qui beatórum Mártyrum tuórum Valentíni, atque Valentíni natalítia cólimus : à cunctis malis imminéntibus eórum intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Lectio iij.

VAlentínus Interamnénsis Epíscopus sanctitáte & miráculis clarus ; cùm à Cratóne quodam in urbe Roma utriúsque linguæ

linguæ oratóre accersítus fuiſſet; & ejus filium Chærémonem ità ægritúdine incurvátum, ut caput inter génua deprimerétur, oratióne ſua ſanáſſet: hoc miráculo Cratónem & multos Scholáſticos ad Chriſti fidem convértit. Inter quos Abūdius Præfécti Urbis filius, ità fervénti Chriſtiáni nóminis zelo accénſus eſt: ut tota fidei plenitúdine, Chriſti ſe fámulum públicà voce teſtarétur. Hinc verò indignátio penè ómnium Senatórum accénſa eſt: & tentus Valentínus Epíſcopus; atque virgis cæſus: poſt diutúrnam cædem cuſtódiæ mancipátur. Vidéntes autem eum conſtantiórem fieri; omniúmque qui per ipſum Chriſto credíderant ánimos confirmáre: ejéctum de cárcere, juſſu Plácidi Urbis Præfécti decollavérunt. Eódē die feſtū beáti Valentíni Románi Presbyteri celebrátur; qui multis ſanitátum & doctrínæ clarus insígnibus, ſub Claúdio Príncipe apprehéndi juſſus: caténis & compédibus vinctus eſt. Qui poſt longum cárcerem; ad ſupplícium ſequénti anno ductus: via Flamínia décimo ſexto Kaléndas Mártii cápite truncátus eſt.

DIE XVI. FEBRUARII.

In feſto S. Oneſimi Apoſtoli.
Trium Lectionum.

Omnia de Communi Apoſtolorum.

Orémus. *Oratio.*

QUæſumus omnípotēs Deus, ut beátus Onéſimus Apóſtolus, tuum pro nobis implóret auxílium; ut à noſtris reátibus abſolúti: à cunctis etiam perículis eruámur. Per Dóminum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

ONéſimus ſervus Philémonis relícto Dómino ſuo; ad Apóſtolum Paulum Romæ captívum, ſe cóntulit: à quo benignè ſuſcéptus, ac de fide inſtrúctus baptizátus eſt. Eídem Apóſtolo in cárcere miniſtrávit, donec ipſi viſum eſt eū ad Philémonem remíttere cum epiſtola; in qua inter cætera, quæ de ipſo dicit: hanc de eo facit honoríficam mentiónem. Obſecro te pro meo filio quem génui in vincu-

lis, Onésimo; qui tibi aliquándo inútilis fuit: nunc autem & mihi, & tibi útilis, quem remísi tibi. Tu autem illum ut mea víscera súscipe. Hunc beátus idē Apóstolus Epíscopum órdinans prædicationísque verbum ei commíttens; apud Ephesiórum civitátem relíquit: cui Epíscopus post beátum Timótheum & ipse præfuit. De quo & beátus Ignátius Martyr ad Ephésios mittens epístolam; hæc quoque de eo inter ália sic habet: Benedíctus Dóminus, qui vobis tálibus, talem Epíscopum donávit habére in Christo. Hic Romam perdúctus, atque ibi pro fide Christi lapidátus: sepúltus est Christi Martyr ibi primùm; indè ad loca ubi fúerat ordinátus Epíscopus: corpus ejus est delátum.

DIE XXII. FEBRUARII.

In festo Cathedræ S. Petri qua primum sedit Antiochiæ. iij. Lect.

Ad Vesperas, Capitul. Et. ℣. *de Comm. Apostolor. ij.* *Ad Magnificat, Aña.* Tu es Pastor óvium, Princeps Apostolórum tibi tráditæ sunt claves regni cælórum. *Oratio.* Deus qui Apóstolo tuo. *ut suprà in Cathed. Romana.* xviij. *Ianu.* 542.

Processio ad S. Petrum. ℟. j. Quem dicunt.

Ad ij. Magnificat, Aña. Tu es Petrus & super hanc petram ædificábo Ecclesiam meam. *Oratio.* Exaudi. *in comm. Apost.* xvj.

Cætera ut in eadem Cathedra Romanæ exceptis Lectionibus. Si hoc festum in Dominica Septuag. vel in aliis quinque sequentibus Dominic. evenerit; fit tantùm processio post Laudes modo supra dicto in Cathedra Romana. Similiter fit quando evenerit à Feria iv. Cinerum & deinceps. Dicitur Hymnus Ferialis non verò Psalm. Levávi, *nec Litania, sed post* Orationem *pro peccatis, (si in Quadrag. venerit) fit Processio.*

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. 5.

SEnióres qui in vobis sūt, óbsecro consenior & testis Christi passiónum; qui & ejus quæ in futúro revelánda est: glóriæ communicátor. Páscite qui in vobis

bis est gregem Dei, providéntes nō coáctè sed spontáneè secúndùm Deum; neque turpis lucri grátia, sed voluntáriè: neque dominántes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo; & cum apparúerit Princeps pastórum: percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. Simíliter adolescéntes súbditi estóte senióribus. Omnes autem invicem humilitátem insinuáte; Quia Deus superbis resístit: humílibus autem dat grátiam.

℟. Quem dicunt. 543.

Lectio ij.

HUmiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis; omnem sollicitúdinem vestram projiciéntes in eum: quóniam ipsi cura est de vobis. Sóbrii estóte & vigiláte, quia adversárius vester diábolus, tanquam leo rúgiens círcuit quærens quem dévoret; cui resístite fortes in fide: sciéntes eándem passiónem quæ in mundo est, vestræ fraternitáti fieri. Deus autem omnis grátiæ qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu: módicum passos ipse perficiet, confirmábit, solidabitque; ipsi glória & impérium: in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Tu es Petrus. 544.

Ex Epíst. S. Gregórij Papæ, ad Eulógium Epíscopum Alexandrínum.

Ex Lib. 6. Epist. 37.

Lectio iij.

QUis nésciat sanctam Ecclésiam in Apostolorum Príncipis soliditate firmátam; qui firmitátem mentis traxit in nómine, ut Petrus à Petrâ vocarétur: cui veritátis voce dícitur, Tibi dabo claves regni cœlórum. Cui rursùs dícitur: Et tu aliquándo convérsus confirma fratres tuos. Iterúmque; Simon Joánnis amas me? Pasce oves meas. Itaque cùm multi sint Apóstoli; pro ipso tamen principátu, sola Apostolórum Príncipis sedes in authoritáte conváluit: quæ in tribus locis uníus est. Ipse enim sublimávit sedem in qua étiam quiéscere, & præséntem vitam finíre dignátus est: ipse decorávit sedem in qua Evangelístam discípulum misit; ip-

se firmávit sedem : in qua septem annis quamvis discessúrus, sedit.

℟. Dómine si tu es. 545.

DIE XXIII. vel XXIV. FEB. *in Anno Bissextili.*

In Vigilia sancti Mathiæ Apostoli.

Trium Lectionum.

Si non venerit in Quadrages. Officium de Psalterio cum tertia Lectione de Homilia in Vigilia Apostolorum. j.

Si autem venerit in Quadragesima non fit de ea nisi in Missa.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus ; ut beáti Máthiæ Apóstoli tui, quam prævenímus veneránda solémnitas : & devotiónem nobis áugeat & salútem. Per Dóminum,

DIE XXIV. vel XXV. FEB. *in Anno Bissextili.*

In festo sancti Mathiæ Apostoli.

Duplex minus.

Omnia dicuntur de communi Apostolorum præter Orationem & Lectiones.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui beátum Máthiam Apostolórum tuórum collégio sociásti ; tríbue quæsumus, ut ejus interventióne : tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 1.

IN diébus illis exúrgens Petrus in médio fratrum dixit ; (erat autem turba hóminũ simul : feré centũ vigínti.) Viri fratres opórtet impléri Scriptúrã quam prædíxit Spíritus Sanctus per os David : de Juda qui fuit dux eórum qui comprehendérunt Jesum ; qui connumerátus erat in nobis : & sortítus est sortem ministérii hujus. Et hic quidem possédit agrũ de mercéde iniquitátis ; & suspénsus crépuit médius : & diffúsa sunt ómnia víscera ejus.

℟. Tollite jugum. vij.

Lectio ij.

ET notum factum est ómnibus habitántibus Jerúsalem : ita ut appellarétur ager ille lingua eórum Hakéldamach, hoc est ager sánguinis. Scriptum est enim in libro Psalmórum ; fiat commorátio eórum desérta, & non sit qui

inháb itta

inhábitet in ea: & Epíscopátum ejus accípiat alter. Opórtet ergo ex his viris qui nobíscum sunt congregáti in omni témpore quo intrávit & exívit inter nos Dóminus Jesus; incípiens à Baptísmate Joánnis usque in diem qua assúmptus est à nobis: testem Resurrectiónis ejus nobíscum fieri unum ex istis.

℟. Ecce ego. vij.

Lectio iij.

ET statuérunt duos; Joseph qui vocábatur Bársabas, qui cognominátus est justus: & Máthiam. Et orantes dixérunt. Tu Dómine qui corda nosti ómnium; osténde quem elégeris ex his duóbus unū accípere locum ministérii hujus & Apostolátûs: de quo prævaricátus est Judas, ut abíret in locum suum. Et dedérunt sortes eis; & cécidit sors super Máthiam: & annumerátus est cum úndecim Apóstolis.

℟. Cum stetéritis. viij.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 3. circa medium.

Lectio iv.

ET statuérunt duos; Joseph qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est justus: & Máthiam. Quidni plures? Ne major animórum perturbátio fieret: néve res in multos distraherétur. Quin nec téme rè illum antepónit; sed ut osténdat sæpenúmero, eum qui præclárus apud hómines sit: apud Deum inferiórem esse. Et verò precántur omnes ac dicunt; Tu Dómine qui nosti corda ómnium: osténde. Tu, inquiunt: non nos. Aptè córdium cognitórem appéllant; indè enim: non ab exterióribus erat faciénda eléctio. Ità certi erant fore ómninò, ut unus creerétur. Neque dixérunt, Elige; sed, Osténde eléctum, hoc est, quem elegísti: sciéntes ómnia esse à Deo præfinita & prædestináta.

℟. Ego vos elégi. x.

Lectio v.

ET dedérunt sortes eis; necdum enim se dignos arbitrabántur, ut rem ipsi sibi permítterent: ídeò exígunt signo áliquo edocéri. Ad hæc verò, si ubi

nec preces erant, nec viri ádmodùm probi; tantùm sors váluit, eò quòd recto ánimo fieret super Iona: multò magis hic explévit chorum ac perfécit órdinem. At nec alter dóluit: neque enim Apóstoli deféctus suos occultássent. Cum néquidèm de ipsis Princípibus, sint vériti dícere ălio loco, indignatióne commótos esse: idque non semel sed sæpiùs. Hos ígitur & nos imitémur. Non jam ómnibus loquor: sed his tantùm, qui sacrum ámbiunt Principátum. Si Dei esse electiónem credis, ne indignéris; illi enim indignáris & advérsùs illum irritáris: ille namque est qui elégit. Si autem elégit ille, tu verò audes illi indignári: hoc idem ac Cain facis. Cùm enim probáre oportéret; secùs ille, quòd fratris víctima fuísset præláta, mœstus factus est: indignátus est, cùm eum compúngi par esset.

℟. Constitues. xj.

Lectio vi.

EGo verò non hoc dico; sed quòd propensióri Deus consílio: rerum éxitus ut cómmodum est, sóleat dispónere. Fit enim crebrò ut qui modéstus atque honéstis præditus móribus es: non sis idóneus. Rursùs, est tibi vita inculpáta, ac mores liberáles: cæterùm in Ecclésia non his tantùm opus est. Quin & alióqui álius ad áliud appósitus; nō vides quanta his de rebus Divína Scriptúra locúta sit. Verùm; dicam quam ob causam: æmulánda res facta sit. Non tanquam ad Principátum ac Præfectúram, fratrum accédimus: sed velut ad honórem & réquiem. Etenim si novísses debére Epíscopum cunctis impénsum esse; ómnium portare ónera; esse véniam áliis si irascántur, illi verò nusquàm; áliis peccántibus non leve quid, suppétere quò excuséntur; nihil illi jam ad excusatiónē relíctū esse: haudquáquā ad sacrū Principátum festinásses, haudquáquàm accurrísses.

℟. Nimis honoráti. xj.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii: secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore: Respóndens Jesus dixit. Confíteo

feor tibi Pater Dómine cœli & terræ ; quia abscondísti hæc à sapiéntibus & prudéntibus : & revelásti ea párvulis. Ita Pater : quóniam sic fuit plácitum ante te. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 10. de Verb. Domini.

VEníte ad me omnes qui laborátis. Quare enim omnes laborámus, nisi quia sumus hómines mortáles ; frágiles ; infirmi ; lútea vasa portántes ; quæ fáciunt invicem angústias ? Sed si angustiántur vasa carnis : dilaténtur spátia charitátis. Quid ergo dicit ; Veníte ad me omnes qui laborátis, nisi ut non laborétis ? Dénique promíssio ejus in promptu est : quóniam laborántes vocávit. Quærent fortè, qua mercéde vocáti sunt : Et ego vos, inquit, refíciam. Tóllite jugum meũ super vos, & díscite à me : non mundum fabricáre ; non cuncta visibília & invisibília creáre ; non in ipso mundo mirabília fácere ; & mórtuos suscitáre : sed, Quóniam mitis sum, & húmilis corde.

℟. O quam pulchri. xiv.

Lectio viij.

MAgnus esse vis ? à mínimo íncipe. Cógitas magnã fabricam constrúere celsitúdinis ? de fundaménto priùs cógita humilitátis. Et quantum quísque vult & dispónit super impónere molem ædificii ; quantò erit majus ædifícium : tantò áltiùs fodit fundaméntum. Et fábrica quidem cùm constrúitur ; in supérna consúrgit : qui autem fodit fundamẽtum, ad ima deprímitur. Ergo & fábrica ante celsitúdinem humiliátur : & fastígium post humiliatiónem erígitur.

℟. Qui sunt isti. xiv.

Lectio ix.

QUod est fastígium construéndæ fábricæ, quam molímur ? Quo perventúrum est cacúmen ædifícii ? Citò dico : usque ad conspéctum Dei. Vidétis quàm excélsum est : quanta res est conspícere Deum. Qui desíderat, quod dico : & quod audit intélligit. Promíttitur nobis conspéctus Dei ; veri Dei : summi Dei. Hoc enim bonum est vidéntem vidére.

Nam

Nam qui colunt falsos Deos, fácilè illos vident; sed eos vident: qui óculos habent, & non vident. Nobis autem promíttitur vísio Dei vivéntis & vidéntis.

℟. Via munda. xv.

DIE XXVII. FEBRUARII

In festo S. Baldomeri Subdiac. Lugd. & Confessoris.

Trium Lectionum.

Omnia de communi Confessoris non Pontificis præter sequentem Lectionem.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

BAldomérus apud Lugdúnum in juventute fabrum ferrárium agens; in pietátem, & curam paúperum totam óperam conjécit: usque ádeò ut instruménta artis, cùm áliud non suppetébat in egénos distráheret. Cui in paúperes beneficéntiæ; castitátis decus, sinceritátis stúdium adjungébat: Ac super ómnia jugem ac familiárem cum Deo, per preces & ánimum gratíssimum necessitúdinem. Ejus perpétua vox erat ad omnem occúrsum; & cujúsvis óperis princípium: in nómine Dómini Deo grátias semper. Tantæ fuit innocéntiæ & simplicitátis vir ille Dei; ut ipsæ avículæ ejus innocéntiæ véluti cónsciæ; ad eum convolárent: quas manu prehensas pascebat; & post cibi sumptiónem & benedictiónem Dei: hoc mónitu adhortabátur. Reficímini: & Dómino cœli benedícite semper. In his Religiósis exercítiis; Dei amóre mirè accénsus: annos non paucos exégit. Cùm autem aliquándo in in vico Auditíaco oráret: à beáto Vivéntio sancti Justi Abbáte deprehénsus est, velut aurum sub púlvere latens; pannosi sub homúnculi spécie: sapiéntiam quæ de cœlo est, exímiam occultáre. Quare Vivéntius in cœnóbio suo domicílium sancto viro constítuit; ubi crescénte in dies sanctitátis famâ: sacro Subdiaconátûs honóre à Gaudérico Lugdunénsi Præsule licèt invítus decorátus est. Quo in gradu cōsuétum oratiónis & piórum óperum stúdium in dies auxit & cumulávit; quoúsque immaculátam ánimam, circa annum Christi

Christi sexcentésimū quinquagésimum: fœlici morte Deo redderet.

FESTA MARTII.

DIE VII. MARTII.

In festo S. Thomæ Aquinatis Confessoris & Ecclesiæ Doctoris. Semidupl. minus, sive ix. Lectionum. Omnia de Communi Conf. non Pontificis præter ea quæ hic sunt propria.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui Ecclésiam tuā beáti Thomæ Confessóris tui, mirâ eruditióne clarificas & sancta operatióne fœcúndas: Da nobis quæsumus; & quæ dócuit intelléctu conspícere: & quæ egit imitatióne complére. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Ex libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 7.

OPtávi & datus est mihi sensus; & invocávi, & venit in me spíritus Sapiéntiæ; & præpósui illam regnis & sédibus: & divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum; quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua: & tanquàm lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem diléxi illam; & propósui pro luce habére illam: quóniā inextinguíbile est lumen illíus.

℟. Euge serve. xcvij.

Lectio ij.

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa: & innumerábilis honéstas per manus illíus. Et lætátus sum in ómnibus; quóniam antecedébat me ista sapiéntia: & ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici; & sine invídia commúnico: & honestátem illíus nō abscondo. Infinítus est enim thesaúrus homínibus; quo qui usi sunt, partícipes facti sunt, amicítiæ Dei: propter disciplínæ dona commendáti.

℟. Justus germinábit. xcvij

Lectio iij.

QUæcúmque sunt abscónsa & improvísa dídici: ómnium enim ártifex dócuit me sapiéntia. Est enim in illa spíritus intelligéntiæ, sanctus; únicus; múltiplex; subtílis: disértus. Móbilis, incoinquinátus, certus; suávis, amans bonum: acútus, quem nihil

hil vetat. Benefáciens, humánus, benignus.; stábilis, certus, secúrus, omnem habens virtútem:' ómnia prospíciens; & qui cápiat omnes spíritus:' intelligíbilis, mundus, subtílis. Omnibus enim mobílibus mobílior est sapiéntia:' attíngit autem ubíque propter suam mundítiam.

℟. Stola jocūditátis.xcviij.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

THomas Landúlphi Cómitis Aquinátis ac Theodóræ Neapolitánæ fílius; quintum annum agens:' Cassinátibus Mónachis pietáte ac litteris imbuéndus tráditur. Indè Neápolim studiórum causâ missus; infra pubertátis annos:' hábitum órdinis sancti Dominici invíto patre suscépit. Lutétiam Parisiórum idcírco míttitur; sed in itínere jussu fratrum per vim raptus, in castrum quoddam dedúctus est:' ubi cum à frátribus, tum à soróribus variè exagitátus quo sanctum mutáret propósitum; eárum álteri persuásit:' ut contémptis sæculi pompis sacris se virgínibus adjúngeret. Mulíerem quoque impudícam, quæ ad labefactādam ejus castitátem introdúcta fúerat:' titióne fugávit; quo ex témpore nullos cum fœminis vóluit habére sermónes:' nisi quos necéssitas vel utílitas exígeret.

℟. Aúdiam Dómine.xcix.

Lectio v.

E Castro per fenéstram post biénnium emíssus Neápolim redúcitur; unde Romam, póstea Lutétiā à Joánne Teutónico Ordinis Generáli ductus:' tum Colóniam Agrippínā missus; ut sancto Albérto Magno:' doctóre uterétur. Lutétiam revocátus.; Post publicè prælēctam Theológiam:' gradum magistérii júvenis licèt obtínuit. Nūquam se lectióni aut scriptióni dabat nisi post oratiónem; ad quam in exponéndis difficilióribus Scriptúræ locis jejúnium adhibébat' dícere sólitus; quidquid sciret, non tam se stúdio aut labóre suo peperísse:' quàm Divínitùs tráditum accepísse. Nullum penè fuit scriptórum genus in quo non esset diligētíssime versátus; ac ne ex rerū subtiliórum inquisitióne affectum

ctus tepésceret collatiónes Patrũ assidùè pervolvébat. ℞. Dómine quinque.xcix.

Lectio vj.

DElátum sibi à Clemente Quarto Archiepiscopátum Neapolitánum humíliter recusávit. Missus à Gregório Décimo ad Concilium Lugdunénse secúndum; in itinere morbo corréptus divértit in Monastérium Fossæ novæ Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Terracinénsi: & in ipso ingréssu mortem vicínam esse præséntiens, ait; Hæc réquies mea in sæculũ sæculi: hic habitábo quóniã elégi eam. Tum rogátus à frátribus: expósuit Cántica Canticórum. Deficiéntibus paulátim víribus; priúsquam sacrum Viáticum suscíperet: Ego, inquit, de Sanctíssimo Córpore Dómini nostri Jesu Christi, & áliis Sacraméntis multa dócui; multa scripsi in fide Jesu Christi, & sanctæ Románæ Ecclésiæ: cujus correctióni cuncta subjicio, cuncta suppóno. Recépto deínde ipso eódem vivífico Sacraménto; atque áliis Sacraméntis Ecclésiæ débitâ veneratióne suscéptis: anno ætátis quinquagésimo, Christi verò millésimo ducentésimo septuagésimo quarto, obdormívit in Dño. ℞. Super salútem, xcix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. 6.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Vos estis sal terræ; quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra; nisi ut mittátur foras: & conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

Hom. S. Thomæ Aquinatis *Opusc. de offic. Sacerdotis.*

CIrca instructiónem pópuli duo sunt necessária, scílicet doctrína, & vita pura; ut dóceat pópulum verbo: & ópere ædíficet exemplo. Debet enim frequénter expónere verba Scripturæ, Sanctórum Patrum exémpla: prout juxta congruitátem témporis & moris víderit expedíre ad cognitiónem veritátis; & per exémpla suæ conversatiónis & vitæ ædificáre auditóres: & approbare quod dicit in córdibus auditórum. Ad quod

designándum, in vestiméntis Sacerdótis tintinnábula insérta dicuntur; ut audiátur sónitus quando ingréditur sanctuárium in conspectu Dómini: ut non moriátur. Quia contra se iram júdicis cæléstis erigit: nisi vita Sacerdótis simul cum linguæ sónitu unifórmiter clámitet.

℟. Notas mihi fecisti. c.

Lectio vij.

MOdum téneat in prædicándo; ut juxta capacitátem audiẽtium prædicet utília, non alia quæ non possunt intélligi: vel quę áliquo erróre vúlnerẽt consciéntias audiéntium. Neque supérflua: quæ fastídium génerant aut tædium in ánimas auditórũ; Sit doctor: non enim súfficit vita bona sine doctrína. Si enim Sacérdos ex ignorántia vel negligéntia non prædicet pópulo suo veritátem; nec expónat eis viam salutis: reus erit animárum illárum, quæ sub ipso periérunt. Si verò Sacérdos diligénter dóceat pópulum, & quantùm in se est annúntiet eis viam salutis; & illi non acquiescéntes ei péreant: Sacérdos sine culpa erit in die judicii ad Deum.

℟. Justum dedúxit. cj.

Lectio ix.

EX sola negligéntia quã habet Sacérdos ad súbditos: damnátur. Sic proptérea Heli Sacérdos in se sanctus fuit; sed quia filios non erudívit in omni disciplína & correptióne: supérius cécidit, & mórtuus est. Nec íterum súfficit doctrína sine vita; si enim Sacérdos malæ vitæ sit: perdit fructum doctrínæ. Quia cùm ipse sit criminósus: non habet frontem corripiéndi críminis. Láici enim de fácili corrumpúntur per exémpla malæ vitæ Sacerdótis; ex hoc contémnunt verbum Dei: & ex pravis exémplis pejóres fiunt. Tot enim Sacerdótes digni sunt mortibus: quot ad perditiónis exémpla súbditos trãsmíttunt. Ergo patet, quia Sacérdos debet utrúmque habére: puritátem vitæ & doctrínam. Dóminus noster Jesus Christus, qui est fons ómnium bonórum; tales fáciat nostris tempóribus Sacerdótes: quales descrípti sunt.

℟. Beátus

℟. Beátus vir. cj.

DIE XII. MARTII.

In festo S. Gregorij Magni, Papæ Confess. & Ecclesf. Doct. Semid. majus.

Omnia de communi Confessoris Pontificis præter ea quæ sequuntur.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui ánimæ fàmuli tui Gregórii ætérnæ beatitudinis præmia contulísti: concéde propítius; ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur: ejus apud te précibus sublevémur. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Ex libro Ecclesiastìci.

Lectio j. Cap. 46.

FUit Magnus secundùm nomen suum. Máximus in salútem electórum Dei; expugnáre insurgéntes hostes: ut consequerétur hæreditátē Israël. Quam glóriam adéptus est in tollèndo manus suas; & jactándo contra civitátes romphæas? Quis ante illum sic réstitit? Nam hostes ipse Dóminus perdúxit. Invocávit Altíssimum poténtē in oppugnándo inimícos úndique: & audívit illum magnus & sanctus Deus.

℟. Euge serve, lxxix.

Lectio ij.

IN lege Dómini congregatiónem judicávit: & in fide sua probátus est Prophéta. Cógnitus est in verbis suis fidélis; quia vidit Deum lucis: & invocávit Dóminum omnipotētem. In oppugnándo hostes circunstántes úndique: in oblatióne Agni invioláti. Et intónuit de cælo Dñs; & in sónitu magno audítam fecit vocem suam; & contrívit Príncipes Tyriórum: & omnes duces Philístiim. Et ante tempus finis vitæ suæ & sæculi, testimónium præbuit in conspéctu Dómini, & Christi; pecúnias & usque ad calceaménta non accépit: & non accusávit illum homo.

℟. Jurávit Dñs. lxxix.

Lectio iij. Eccl. 47.

IN omni ópere dedit confessiónem Sancto: & Excélso in verbo glóriæ. De omni corde suo laudávit Dóminum, & diléxit Deū qui fecit illum; & dedit illi contra inimícos poténtiā: & stare fecit cantóres contra Altáre, & in sono eórū dulces fecit modos. Et dedit in celebratiónibus decus, & ornávit témpora us-

que ad consummatiónem vitæ; ut laudárent nomen sanctum Dómini: & amplificárent manè, Dei sanctitátem.

℟. Posui adjutórium.lxxx.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GRegórius Magnus Gordiáni Senatóris Románi filius, adoléscens Philosóphiæ óperam dedit; & Urbána Præfectúra functus patre mórtuo: ex própriis facultátibus sex in Siciliâ Monastéria, septimum Romæ sancti Andreæ nómine, in suis ædibus ad Clivum Scauri extrúxit; ubi sub Valentióne Abbáte Mónachi vitam proféssus: póstea Abbas fuit. Evocátus indè à Pelágio secúndo Pontifice, Diáconus ordinátur; nec multò post Constantinópolim míttitur: Sedis Apostólicæ respónsa factúrus. Ea in Urbe Eutychium Patriárcham, qui scrípserat contra veram & contrectábilem córporũ resurrectiónem, ita convícit; ut & Imperátor Tibérius Cõnstantinus ejus librum in ignem conjécerit: & Eutychius ipse paulo post cùm in morbum incidíſſet; instánte morte, pellem manus suæ tenens, multis præséntibus díxerit: Confiteor quia omnes in hac carne resurgémus.

℟. Dómine quinque.lxxxi.

Lectio v.

ROmam revérsus, Pelágio pestiléntia sublàto; ómniũ votis Póntifex elígitur: totísq; licèt víribus rénitens consecrátur. In Epistola Synodica quam pro more tunc scripsit àd Patriárchas, proféssus est se sicut sancti Evangélii quátuor libros; sic suscípere quátuor Concília: Nicænũ nempè; Constantinopolitánum, Ephesinum & Chalcedonẽse. Quintum quoq; páriter venerári; quas illa Cõcília persónas respuũt, se respúere: quas venerãtur ampléсti. Státuit Cléricos ex Cánonum præscripto vitam ágere. Et licet Summus totíus orbis Pontifex pondus diei & æstus portáret; Cleríсulos tamen ad laudes Dei cantãdas efformáre, sæpiùs non est dedignátus: quem quidem cantándi modũ omnes Ecclésiæ ambiérunt. Undè cãtûs Gregoriáni fama úbique & utílitas; cujus in Prima hac

Lugdunensi

Lugdunensi Ecclésia viguit jamdúdum cũ intemeráta majestáte antíquitas. Joánnis Patriarchæ Constantinopolitáni audáciã fregit; qui sibi universális Epíscopi nomen arrogábat: qua de re ad Constántiam Augustam hęc scripsit. Et si peccáta Gregórii tãta sunt, ut pati talia débeat; Petri tamen peccáta nulla sunt: ut vestris tempóribus pati ista mereátur.

℟. Just^a germinábit. lxxxiij

Lectio vj.

STátuitut in Missâ Kyrie eleïsõ dicerétur. Scripsit ad Theodebértũ. & Theodorícum Reges, ut Synodũ in Gálliis congregárent; in qua constitueréturi Ne ullus pro Ecclesiástico órdine áliquid unquam daret, aut recíperet, nec quisquam de láicis ad Sacerdótiũ derepéntè transíret. Prohiberéntque ne in suo regno Judæi Christiána mancípia possidérent. Magnam Británniam, missis Augustíno & áliis monáchis ad fidem addúxit; unde Angliæ Apóstolus: à Beda vocátus est. Admirabília sunt quæ dixit, fecit, scripsit, & decrévit; innúmeris præsértim moléstiis, inter bellórum túrbines: maximísque pódagræ dolóribus vexátus. Dénique exáctis in Pontificátu cum summa humilitáte & sanctitáte annis trédecim cum sex ménsibus: anno Dómini sexcentésimo quarto ad cœléstem Beatitúdinem vocátus est.

℟. Stola jocũditátis. lxxxiij

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii: secúndùm Marcum.

Lectio vij. C. 13.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Videte, vigiláte & oráte: nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo qui péregrè proféctus, relíquit domum suam; & dedit servis suis potestátem cujúsque óperis: & janitóri præcépit ut vígilet. Et réliqua.

Homília S. Gregorii Papæ.

Homil. 17. in Evang.

NUllum puto, fratres charíssimi, ab áliis majus præjudícium, quàm á Sacerdótibus tólerat Deus; quando eos, quos ad aliórum correctiónem pósuit: dare de se exémpla pravitátis cernit. Quandò ipsi peccámus: qui compéscere peccáta debúimus. Plerúmque

que quod est grávius : Sacerdótes, qui própria dare debúerant, étiam aliéna diripiunt; plerúmque si quos humíliter, si quos continénter vívere conspíciunt : irrídent. Consideráte rogo, quid de grégibus agátur : quando lupi pastóres fiunt. Hi enim custódiam gregis suscípiunt ; qui insidiári gregi Domínico non métuunt : contra quos Dei greges custodíri debuérũt. Nulla animárum lucra quærimus ; ad nostra quotídie stúdia vacámus ; terréna concupíscimus : humánam glóriam inténta mente captámus.

℟. Cibávit illum lxxxvj.

Lectio vij.

QUómodo obscurátum est aurum, mutátus est color óptimus ; dispérsi sunt lápides Sanctuárii in cápite ómnium plateárum? Aurum quippe obscurátũ est : quia Sacerdótum vita quondam per glóriam clara ; nunc per actiónes ínfimas : osténditur réproba. Color óptimus est mutátus ; quia ille sanctitátis hábitus per terréna & abjécta ópera : ad ignomíniã despectiónis venit. Lápides verò sanctuárii intrínsecùs habebántur; nec sumebántur in Summi Sacerdótis córpore ; nisi cum Sancta Sanctórum ingrédiens : in secréto sui conditóris apparébat. Nos ergo sumus fratres charíssimi, nos sumus lápides Sanctuárii : qui apparére debémus semper in secreto Dei ; quos nunquam necesse est foris cónspici : id est nunquam in extráneis actibus. Sed dispérsi sunt lápides Sanctuárii in cápite ómnium plateárum ; quia hi qui per vitam & oratiónem intûs semper esse debúerant : per vitam reprobam foris vacant. Ecce jam penè nulla est sæculi actio : quam non Sacerdótes adminístrent.

℟. Justum dedúxit. lxxxvij.

Nona Lectio de Homilia Feriæ occurrentis cum ℟. In medio. lxxxviij.

COMMUNE SANCTORUM.

PARS HYEMALIS.

IN VIGILIIS Apostolórum.

Officium sit de Feria, ut dictum est in rubricis generalibus, duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia verò de Homilia Sequēti, nisi aliud Evangelium cum Homilia in propriis locis notetur.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Joánnem.

Lectio j. Cap. 15.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Hoc est præcéptum meum ut diligátis invicem: sicut diléxi vos. Majórem hâc dilectiónem nemo habet: ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis: si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ex tractatu 83. in Ioannem circa finem.

HOc est mandátum meum: velut non sit aliud. Quid putámus, fratres mei? Numquidnam solum ejus de ista dilectióne mandátum est, quâ dilígimus ínvicem? Nonne est áliud majus, ut diligámus Deum? Aut verò de solâ nobis dilectióne mādavit: ut ália non inquirámus. Tria certè comméndat Apóstolus dicens; manent autem Fides, Spes, Cháritas, tria hæc: major autem horum est Cháritas. Et si in charitáte, hoc est, in dilectióne concludúntur duo illa præcépta; major tamen dicta est esse: non sola. De fide ígitur nobis quàm multa mandata sunt, quàm multa de spe: quis potest cuncta collígere, quis enumerándo sufficere. Sed intueámur quod ait idem Apóstolus: Plenitúdo legis cháritas. Ubi ergo cháritas est, quid est quod possit deésse? Ubi autem non est, quid est quod possit

prodésse? Dæmon credit: nec díligit. Nemo díligit: qui non credit. Frustra quidem; sed tamen potest, speráre véniam qui non díligit: nemo autem potest desperáre qui díligit. Itaque ubi diléctio est, ibi necessário fides & spes: & ubi diléctio proximi, ibi necessário étiam diléctio Dei. Tu autem. ℟. Deo grátias.

Responsor. de Feria. Ad Laudes & Horas dicuntur magnæ Preces.

COMMUNE

Apostolorum & Evangelistarum.

Ad Vesperas Antiph. Hoc est præcéptum meum. *cum reliquis de Laudibus.*

Psalmus. Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi dicitur Psalmus.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. Ephes. 2.

JAm non estis hóspites & ádvenæ, sed estis cives Sanctórum & doméstici Dei; superædificáti supra fundaméntum Apostolórum & Prophetárum: ipso summo anguári lápide Christo Jesu. ℟. Deo grátias. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat. Aña. Tóllite jugum meum super vos quia mitis sum & húmilis corde, jugum enim meum suáve est, & onus meum leve. *Oratio propria.*

Post Vesperas fiunt duæ Processiones, in quibus dicuntur responsoria sequentia, & orationes, nisi aliter in proprio notetur.

Ad primam Processionem. ℟. Tóllite jugum meum super vos dicit Dóminus: & díscite à me quia mitis sum & húmilis corde; * jugum enim meum suáve est, & onus meum leve.

Orémus. *Oratio.*

EXáudi nos Deus salutáris noster; & Apostolórum tuórum nos tuére præsídiis: quorum donásti fidéles esse doctrínis. Per Dóminum.

Ad secundam Processionem. ℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum dicit Dóminus: * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ.

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

PRótege Dómine pópulum tuum; & Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem perpétua defensióne consérva. Per Dóminum.

Ad Completor. Hymnus.

ÆTtérna Christi múnera
Et Mártyrum victórias,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumphâles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

Terróre victo sæculi,
Pœníſque spretis córporis:
Mortis sacræ compendio,
Vitam beátam possident.

Tradúntur igni Mártyres,
Et bestiárum dentibus;
Armáta sævit úngulis,
Tortóris insáni manus.

Nudáta pendent víscera,
Sanguis sacrátus fúnditur:
Sed pérmanent immóbiles
Vitæ perénnis grátia.

Dévota Sanctórũ fides,
Invícta spes credéntium,
Perfecta Christi Cháritas,
Mũdi triúmphat princípẽ.

In his patérna glória,
In his volúntas Spíritûs:
Exúltet in his Fílius,
Cœlum replétur gáudio.

Te nunc redémptor quæsumus,
Ut Mártyrum consórtio,
Jungas precãtes sérvulos,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Ad Matutinum. Invitat. Regem Apostolórum Dóminum, veníte Adorémus.

Psalm. Veníte exultémus.

In primo Nocturno. Aña. In omnem terram.

Psalmus 18.

COeli enárrant glóriam Dei: * & ópera mánuum ejus, annúnciat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbũ:* & nox nocti, índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ neque sermónes: * quorum non audiántur, voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * & in fines orbis terræ, verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tanquam sponsus, procedens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * à summo cœlo, egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec

est qui, se abscóndat, á calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini Sanctus, pérmanet in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum, & lápidem pretiósum multum: * & dulcióra super mel, & favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiéndis illis, retribútio multa.

Delícta quis intélligit: * ab occúltis meis munda me: * & ab aliénis parce, servo tuo.

Si mei non fuérint domináti, tunc immaculótus ero: * & emundábor, à delícto maximo.

Et eru nt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei, in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, & redémptor meus.

Glória Patri. *Aña.* In omnem terram exívit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eórum.

Aña. Clamavérunt.

Psalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus, in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * & exaltémus nomen ejus, in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónib⁹ meis, erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini: * & fácies vestræ, non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & ex ómnibus tribulatiónibus ejus, salvávit eum.

Immittit Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * & erípiet eos.

Gustáte & vidéte quóniã suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes Sancti ejus: * quóniam non est inópia, timéntibus eum.

Divites

Dívites eguérunt & eſuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum, non minuéntur omni bono.

Veníte filij audíte me: * timórem Dómini, docébo vos.

Quis eſt, homo, qui vult vitam: * díligit dies, vidére bonos.

Próhibe linguam tuam à malo: * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini ſuper juſtos: * & aures ejus ad preces eórum.

Vultus autem Dñi ſuper faciéntes mala: * ut perdat de terra, memóriam eórum.

Clamavérũt juſti, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum, liberávit eos.

Juxtà eſt Dóminus his qui tribuláto ſunt corde: * & húmiles ſpíritu ſalvábit.

Multæ tribulatiónes juſtórum: * & de ómnibus his, liberábit eos Dñs.

Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péſſima: * & qui odérunt juſtum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas ſervórum ſuórum: * & non delínquent omnes, qui ſperant in eo.

Glória Patri. *Aña.* Clamavérunt juſti, & Dóminus exaudívit eos.

Aña. Conſtítues eos Príncipes. *Pſalm.* 44.

ERuctávit cor meum, verbum bonum: * dico ego, ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ, velóciter ſcribéntis.

Speciósus forma, præ fíliis hóminum: * diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: * própteréa benedíxit te Deus, in ætérnum.

Accíngere gládio tuo, ſuper femur tuum, potentíſſime.

Spécie tua, & pulchritúdine tua: * inténde próſperè, procéde & regna.

Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * & dedúcet te mirabíliter, déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ: * pópuli ſub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: * virga diréctiónis, virga regni tui.

Dilexiſti juſtítiam &

odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus,Deus tuus óleo lætítiæ,præ consórtibus tuis.

Mirrha & gutta & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te filiæ regum, in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis , in vestítu deauráto,* circúndata varietáte.

Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam:*& oblivíscere pópulum tuum , & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri, in munéribus : * vultum tuum deprecabúntur , omnes dívites plebis.

Omnis gloria ejus , filiæ regis ab intus: * in fímbriis áureis , circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi Vírgines post eam : * próximæ ejus, afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia , & exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filij : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne, & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnū : * & in sæculum sæculi.

Glória Patri. *Aña*. Constítues eos príncipes super omnem terram , mémores erunt nóminis tui Dñe.

℣. Non sunt loquélæ neque sermónes.

℟. Quorum non audiántur voces eórum.

Pater noster. Et ne nos indúcas, &c.

Deprecatio. Exúrge Dñe. Súscipe, &c.

Benedictio. Adjútor & propítius, &c.

Lectiones de Scriptura positæ in Communi Sanctorum leguntur in primo Nocturno, quando notantur in proprio Sanctorum per annum & quando contingit fieri Officium de aliquo Sancto illis diebus , in quibus in Officio Feriæ non ponuntur tres Lectiones de Scriptura, & quando aliquod Festum solemniter celebratur.

De Epistola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios.

Lectio

Lectio j. Cap. 4.

SIc nos exístimet homo ut minístros Christi: & dispēsatóres mysteriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres: ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est, ut à vobis iúdicer; aut ab humáno die: Sed neque meípsum judico. Nihil enim mihi cónscius sum, sed non in hoc justificátus sum: qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat, Dóminus; qui & illuminábit abscóndita tenebrárum, & manifestábit consília córdium: & tunc laus erit unicuíque à Deo. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias.

℟. Tóllite jugum meum super vos dicit Dóminus, & díscite à me quia mitis sum & húmilis corde: * Jugum enim méum suáve est, & onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim. *Benedictio.* Benedictiónibus suis.

Lectio ij.

HÆc autem fratres, transfigurávi in me & Apóllo, propter vos, ut in nobis discátis; ne supra quàm scriptum est: unus advérsus álterum inflétur pro álio. Quis enim te discérnit? Quid autem habes, quod non accepísti? Si autem accepísti; Quid gloriáris quasi non accéperis? Jam saturáti estis; jam dívites facti estis; sine nobis regnátis; & útinam regnétis: ut & nos vobíscum regnémus. Puto enim quod Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit tanquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo: & Angelis, & homínibus. Tu autem.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves, in medio lupórum dicit Dñs: * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes & símplices sicut colúmbæ. ℣. Cavéte autem ab homínibus, tradent enim vos in concíliis, & in synagógis suis flagellábunt vos. Estóte ergo.

Benedictio. Cœléstem benedictiónem.

Lectio iij.

NOs stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo; nos infírmi, vos autem fortes:

vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam & esurímus, & sítimus, & nudi sumus; & colaphis cædimur, & instábiles sumus, & laborámus, operántes mánib⁹ nostris. Maledícimur & benedícimus; persecutiónem pátimur & sustinémus; blasphemámur & obsecrámus; tanquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium perípsema usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charíssimos móneo. Nam si decem míllia Pædagógorũ habeátis in Christo, sed non multos patres. Nã in Christo Jesu, per Evangélium ego vos génui. Tu autem. ℟. Cum stetéritis ante reges & præsides; nolíte cogitáre, quomodò aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Pónite ergo in córdibus non præmeditári quemádmodum respondeátis. Dábitur. Glória Patri, Dabitur.

In secundo Nocturno. Aña. Príncipes populórum.

Psalmus 46.

OMnes gentes pláudite mánibus: * jubiláte Deo, in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus, excélsus terríbilis: * Rex magnus super omnẽ terram.

Subjécit pópulos nobis: * & gẽtes sub pédib⁹ nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam: * spéciem Jacob quam diléxit.

Ascéndit Deus in Júbilo: * & Dñs in voce tubæ.

Psállite Deo nostro Psállite: * Psállite regi nostro, Psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórũ congregáti sunt cum Deo Abraham: * quóniam Dij fortes terræ, veheménter eleváti sunt.

Glória Patri.

Aña. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham. *Aña.* Dedísti. *Psalmus 60.*

EXáudi Deus deprecatiónem meam: * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ, ad te clamávi, dum anxiarétur cor meum: * in petra exaltásti me.

Deduxísti

Deduxísti me, quia factus es spes mea: * turris fortitúdinis, à facie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula: * prótegar in velaménto, álarum tuárum.

Quóniam tu Deus exaudísti oratiónem meam: * dedísti hæreditátem, timéntibus nomen tuum.

Dies super dies Regis adjícies: * annos ejus, usque in diem generatiónis, & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei: * misericórdiam & veritátem ejus, quis requíret.

Sic Psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi: * ut reddam vota mea, de die in diem.

Glória Patri.

Aña. Dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum Dómine.

Aña. Annunciavérunt.

Psalmus 63.

EXáudi Deus oratiónem meam, cum deprécor: * à timóre inimíci, éripe ánimam meam.

Protexísti me à convéntu malignántium: * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram: * ut sagittent in occúltis immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum & non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt, quis vidébit eos.

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum: * & infirmátæ sunt contra eos, linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * & tímuit omnis homo.

Annunciaverunt ópera Dei: * & facta ejus intellexerunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo: * & laudabúntur omnes recti corde. Gloria Patri.

Antiph. Annunciavérunt ópera Dei, & facta ejus intellexérunt.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram.

℟. Mémores erunt nómi-

nis tui Dómine. *Deprecatio.* Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. *Benedictio.* Deus Dei filius, &c.

Sermo sancti Bernárdi Abbatis.

Sermo 3. de SS. Petro & & Paulo, circa finem.

Lectio iv.

MEritò fratres, Apóstolis sanctis attríbuit mater Ecclésia, quod in sapiéntiæ libris légitur; Hi sũt viri misericórdiæ, quorum justítiæ obliviónem non accepérunt: cum sémine eórum pérmanent bona. Viros enim misericórdiæ fuísse Apóstolos; id est, plenos misericórdiâ, seu viros misericórdiæ: datos Ecclésiæ univérsæ scimus. Quòd viri isti, nec sibi vixére; nec sibi mórtui sunt, sed ei qui pro ipsis mórtuus est: magis autem nobis ómnibus, propter illum. Quantum enim próderit nobis eórum justítia; quando ipsa quoque, sicut osténsum est, tantum profuére peccáta? Pro nobis facit eórum vita; eórum doctrína: étiam & mors ipsa. Etenim in conversatióne continéntiam; in prædicatióne sapiéntiam; in passióne suâ patiẽtiam: nobis beáti Apóstoli contulérunt. Quantum usque hódie conférre nõ cessant misericórdiâ pleni: quod est sanctárum fructus oratiónum. Tu autem. ℟. Ego vos elégi de mundo: * Ut eátis, & fructum afferátis, & fructus vester máneat. ℣. Non vos me elegístis sed ego elégi vos, & pósui vos. Ut eátis. *Benedict.* Ætérnam.

Lectio v.

OMnis justítia tépida; omnis transitória: omnis véndita erit in obliviónem coram Deo. Sed non ita Apostolórum justítiæ; quod ex eo satis appáret quod séquitur: Cum sémine eórum pérmanent bona. Manent enim usque hódie in nobis Apostolórum vestígia; & eórum relígio quia ex Deo est: non potest dissólvi. Vestes Israëlítici pópuli, quadragínta annis in desérto perseveravérunt íntegræ; multò magis Apostolórum vestes: super juméntum Salvatóris impósitæ. Cum sémine, inquit, eórum. Quod est semen? quia séquutus

adjúngit

adjúngit. Hæréditas sancta: nepótes eórum. Iidem profectò & semen sunt: & nepótes. Tu autem.

℟. Cōstítues eos príncipes super ómnem terram, mémores erunt nóminis tui Dñe: * In omni progénie & generatióne. ℣. Proptérea pópuli confitebuntur tibi in ætérnum, & in sæculum sæculi. In omni &c. *Benedictio.* Gratia Spíritus sancti.

Lectio vj.

MEminíſtis credo, (sciéntibus enim legem loquor;) meminíſtis, inquam legális mandáti: ut súscitet frater supérstes, semen fratri defúncto sine semine. Quis sine sémine? singuláriter, ait, ego sum: donec tránseam. Ideóque resúrgens. Vade, inquit: dic frátribus meis. Ac si dicat; fratres sunt: fáciant quod fratres. Ergo per Evangélium ipsi nos genuerunt; non tamen sibi, sed Christo: quia per Evāgélium Christi. Hinc est quòd molestè tulit Paulus, quosdā eórum dici, à quibus géniti fuérant per Evāgélium; indignans advérsùs eos qui dicébant: Ego sum Pauli; ego sum Cephæ; ego Apóllo: Christi magis omnes, & fieri volens, & dici. Itaque semen Apostolórum sumus per prædicatiónem; sed per adoptiónem, & hæreditátem: semen Christi, & Apostolórum nepótes. Tu autem. ℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus, nimis confortátus est principátus eórum: dinumerábo eos, * Et super arénam multiplicabúntur. ℣. Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es, mirabília ópera tua. Et super. Glória Patri. Et super.

In tertio Nocturno. Aña. Exaltabúntur.

Psalmus 74.

COnfitébimur tibi Deᵒ: * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cùm accépero tempus, ego justítias judicabo.

Liquefácta est terra & omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi cólumnas ejus.

Dixi iníquis nolíte iníquè ágere: * & delinquéntibᵒ, nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte

loqui advérsùs Deum, iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque à desértis móntibus: * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat & hunc exáltat: * quia Calix in manu Dómini, vini meri, plenus mixto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: * verùmtamen fex ejus non est exinaníta: * bibent ex eo omnes peccatóres terræ.

Ego autem annunciábo in sæculum: * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam: * & exaltabúntur córnua justi.

Glória Patri. *Aña.* Exaltabúntur córnua justi, allelúia. *Aña.* Lux orta est justo. *Psalm. 96.*

DOmin⁹ regnávit exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus: * justítia & judícium, corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet: * & inflammábit, in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit & commóta est terra.

Montes sicut cerá fluxérunt à facie Dómini: à facie Dómini, omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli, glóriã ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * & qui gloriántur in simuláchris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ: * propter judícia tua Dómine..

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es, super omnes Deos.

Qui diligitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum: * de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo: * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ, sãctificatiónis ejus.

Glória Patri. *Aña.* Lux orta est justo allelúia, rectis corde lætítia, allelúia. *Aña.* Custodiébant.

Psalmus 98.

DOminus regnávit, irascántur pópuli: * qui sedet

ſedet ſuper Cherubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus: * & excélſus ſuper omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & ſanctum eſt: * & honor regis, judícium díligit.

Tu paraſti directiónes: * judícium & juſtítiam in Jacob, tu fecíſti.

Exaltáte Dóminum Deũ noſtrum: * & adoráte ſcabéllum pedum ejus, quóniam ſanctum eſt.

Móyſes & Aáron in ſacerdótibus ejus: * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, ipſe exaudiébat eos: * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Cuſtodiébant teſtimónia ejus: * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noſter tu exaudiébas eos: * Deus tu propítius fuíſti eis: * & ulcíſcens in omnes, adinventiónes eórum.

Exaltáte Dñm Deum noſtrum: * & adoráte in monte ſancto ejus: * quóniam ſanctus Dóminus Deus noſter. Glória Patri.

Aña. Cuſtodiébant teſtimónia ejus, & præcépta ejus allelúia.

℣. Annunciaverunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérũt. *Deprecatio.* Adjutórium noſtrum. *Benedictio.* Redémptor.

Léctio ſancti Evangélij: ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Luc. 6.

IN illo témpore: éxiit Jeſus in montẽ oráre; & erat pernóctans: in oratióne Dei. Et cùm dies factus eſſet; vocávit diſcípulos ſuos, & elégit duódecim ex ipſis: quos, & apóſtolos nominávit. Et reliqua.

Homilía ſancti Cyrílli Epíſcopi Alexandríni.

De expoſitione ejuſdem Evangelij ſecundùm Lucam.

CUm Dóminus noſter Jeſus Chriſtus in oratióne pernoctáſſet; arcanâque, ac quam nullus cogitátu aſſequátur, ratióne, utque ſolus ipſe novit, cùm Patre qui in cœlis eſt, ac Deo, collocútus eſſet: ac ſe nobis rei ſalutíferæ formam exhibuíſſet; (dócuit enim quómodò ritè, ac inculpatè inſtituántur preces:) deſcéndit de monte, deſignátque

designátque orbis Magístros. Ait enim ad illos: Vos estis lux mundi. Hujus Sanctórum Apostolórum promotiónis beátus quoque David méminit, velut ad Christū loquens; Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, in omni generatióne & generatióne. Nam cùm adhuc essent in córpore; mémores erāt Christi glóriæ: ut ejus, cùm úrbibus, tùm provínciis, mystérium loqueréntur. Tu autem.

℞. O quam pulchri super montes pedes annunciántis pacem! * Annunciántium bona. ℣. In omnem terrā exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ, verba eórum. Annūtiántium.

Benedict. Unigénitus Dei fílius. *Lectio viij.*

AT ubi ad supérnas mansiónes vocáti sunt; sic nihilóminus res ejus narrant: per ea quæ de illo sapientíssimè scriptis consignáta reliquérunt. Ac ij quidem qui in lege Mosáïcā ordinabántur sacerdótes, Aáron scílicet ac sócij; iis vestiméntis sensíbili ritu honestabántur, quæ sacrum ejúsmodi ministérium decérent: divíni autem Discípuli, spiritálibus donis conspícui, Evangelicórum documentórum concréditum munus iniérunt. Dictum est enim ad illos: Infirmos curáte; dæmónes ejícite; leprósos mundáte: mórtuos suscitáte. Ac sanè Christi virtúte indúti: univérsum terrárum orbem in stupórem egérunt. Tu autem.

℞. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas. ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. Et quasi.

Bened. Ad supernórum cívium. *Lectio ix.*

TOto terrárum orbe hómines, cùm non essent súi, congregáverat sátanas; suósque fécerat adoratóres: torquiem suum ággravans. At evigilárunt: qui ejus dirípiunt vasa. Cepit Apostólicæ doctrínæ verrículum, univérsos erróre decéptos: orbémque illi terrárum Deo obtulérunt. Hos quoque significábant: duódecim illi aquárum fontes in Elim.

Post

Poſt Mara namque, hcc eſt, poſt legis occidéntis amaritúdinem ſuperátam: venire licet, in Elim: quod eſt aſcénſio. Provehimur enim à véteri noſtrâ infántiâ, ad eám quæ íntegros ſenſus habet; atque ad mensúram occurréntes ætatis plenitúdinis Chriſti: ſpiritálium fóntium aquis perfluémur. Illi porrò duodéno número: ſanctórum nobis Apoſtolórum chorū, graphicè depíngūt. Tu autē

℟. Via munda ſancta vocábitur, & aliénus non trāsíbit per eam, ſed ambulábunt per eam: * Qui liberáti fúerint & Redémpti à Dómino. ℣. Convertèntur & vénient in Sion cum laude, & lætítia ſempitérna ſuper caput eórum. Qui liberáti.

Non dicitur. Glória Patri, *quia dicitur Hymnus.*

Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Antiphona.

HOc eſt præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, ſicut diléxi vos. *Pſalmus.* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dñi a.*

Aña Majórem charitátem nemo habet, ut ánimam ſuam ponat quis pro amícis ſuis. *Aña.* Vos amíci mei eſtis, ſi fecéritis quæ præcípio vobis dicit Dóminus. *Antiphona.* Beáti mundo corde quoniam ipſi Deum vidébunt.

Antiphona. Vos autem dixi amícos: quia ómnia, quæ audívi à patre meo nota feci vobis.

Capitulum. Eph. 2. d

JAm non eſtis hóſpites, & ádvenæ, ſed eſtis cives ſanctórum, & Doméſtici Dei; ſuperædificáti ſupra fundaméntum Apoſtolórum & Prophetárum: ipſo ſummo anguláti lápide Chriſto Jeſu.

℣. Nimis honoráti ſunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus eſt principátus eórum.

Ad Benedictus. Aña. Vos qui ſecúti eſtis me, ſedébitis ſuper ſedes: judicántes duódecim tribus Iſraël, dicit Dóminus.

Oratio propria, ut ſupra ad Veſperas.

Ad Tertiam, Capitul. Jam non eſtis, &c. *ut ſup.*

℟. In omnem terram exívit ſonus eórum. *Repetitur.* In omnem terram, &c.

℣. Et in fines orbis terræ

verba

verba eórum. In omnem terram. Glória Patri. In omnem terram. ℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Oratio propria.

Ad Sextam. Capitulum.

PEr manus autem Apostolórum ; fiébant signa, & prodígia multa in plebe.

℟. Constítues eos príncipes, super omnem terram. *Repet.* Constítues eos, &c. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Constítues eos, &c. Glória. Constítues eos. ℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Orémus. *Oratio.*

EXáudi nos Deus salutáris noster;& Apostolórum tuórum nos tuére præsídiis ; quorum donásti fidéles esse doctrínis. Per Dóminum.

Ad Nonam, Capitulum.

IBant Apóstoli gaudéntes à conspéctu concílij; quóniam digni hábiti sunt ; pro nómine Jesu contuméliam pati.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Nimis honoráti sunt, &c. Glória Patri. Nimis honoráti sunt, &c. ℣. Annunciavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus. *Oratio.*

PRotége Dómine pópulum tuum;& Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem ; perpétua deffensióne consérva. Per Dóminum.

¶ *Ad Vesperas, Aña.* Jurávit Dóminus.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo : * sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos : * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuę emíttet Dóminus ex Sion : * dominàre in médio, inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ : * in splendóribus sanctórum : * ex útero, ante lucíferum, génui te.

Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum : * secúndùm

cúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis:* confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas:*conquassábit cápita, in terra multórum.

De torrénte in via bibet:* proptéreà exaltábit caput.

Glória Patri.

Aña. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum, tu es Sacérdos in ætérnum.

Aña. Collocet eum Dñs.

Psalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum:* laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum:* ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum:* laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus:* & super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster:* qui in altis hábitat, & humília réspicit in cœlo, & in terra.

Súscitans à terra ínopem:* & de stércore érigens páuperem.

Ut collócet eum cum princípibus:* cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo:* matrem filiórum lætántem.

Glória Patri.

Aña. Collócet eum Dóminus, cum princípibus pópuli sui.

Ana. Dirupísti Dómine.

Psalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus sum:* ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo:*omnis homo mēdax.

Quid retríbuam Dómino:* pro ómnibus quæ retríbuit mihi.

Cálicem salutáris accípiam:* & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus:* pretiósa in conspéctu Dómini, mors sanctórum ejus.

O Dómine quia ego servus tuus:* ego servus tuus, &filius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea:* tibi sacrificábo hóstiam laudis:* & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddā in conspéctu omnis pópuli ejus:* in átriis domus

Dómini,

Dómini, in médio tui Jesalem. Glória Patri.

Aña. Dirupísti Dómine víncula mea, tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Aña. Eúntes ibant.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion: * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum: * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * magnificávit Dóminus, fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram: * sicut torrens in Austro.

Qui séminãt in lácrymis* in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant: * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne: * portántes manípulos suos.

Glória Patri.

Aña. Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina sua.

Aña. Confortátus est.

Psalmus 138.

DOmine probásti me, & cognovísti me: * tu cognovísti sessiónem meã* & resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longè: * sémitam meam, & funiculum meum, investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti: * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia, novíssima & antíqua: * tu formásti me, & posuísti super me, manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo: * & quò à fácie tua fúgiam.

Si ascéndero in Cælum, tu illic es: * & si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris.

Etenim illuc manus tua dedúcet me: * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi fórsitan ténebræ conculcábunt me: * & nox illuminátio mea, in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurábuntur à te, & nox sicut dies illuminábitur: * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos:

meos: * ſuſcepíſti me, de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua:*&ánima mea cognóſcet nimis.

Non eſt occultátum os meum à te quod feciſti in occúlto: * & ſubſtántia mea, in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui: * & in libro tuo omnes ſcribéntur: * Dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti ſunt amíci tui Deus: * nimis confortátus eſt, principátus eórum.

Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur: * exurréxi, & adhuc ſum tecum.

Si occíderis Deus, peccatóres:* viri sánguinum, declináte à me.

Quia dícitis in cogitatióne: * accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te Dómine óderam:* & ſuper inimícos tuos tabeſcébam.

Perfécto ódio óderam illos:* inimíci facti sũt mihi.

Proba me Deus, & ſcito cor meum: * intérroga me, & cognóſce ſémitas meas.

Et vide ſi via iniquitátis in me eſt: * & deduc me in via ætérna. Glória Patri.

Aña. Confortátus eſt principátus eórum, & honoráti ſunt amíci tui Deus.

Capitulum. Jám non eſtis hóſpites. *ut ſuprà.*

℣. In omnem terram exívit ſonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat, Aña. Vos qui Reliquíſtis ómnia & ſecúti eſtis me: céntuplum accipiétis, & vitam ætérnam poſſidébitis.

Oratio propria.

Ad proceſſionem primum reſponſorium officij diei ſequentis.

IN FESTIS

Simplicibus Apoſtolorum, ſeu trium Lectionum.

Ad Veſperas.

Pſalmi & Antiphonæ de Feria occurrente.

Capit. ℣. *& Aña ad Magnificat, ut ſuprà.*

Oratio propria Hymnus ad Completorium. Ætérna Chriſti múnera.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Apoſtolórum Dóminum, Veníte adorémus. *Pſalm.* Veníte, &c.

Deinde

Deinde dicuntur novem Añæ & novem Psalmi de eodem communi, ordine sequenti.

Aña. In omnem terram.

Psalmus. Cœli enárrant glóriam, &c.

Aña. Clamavérunt.

Psalm. Benedícam Dñm.

Aña. Constítues eos príncipes.

Psal. Eructávit cor meũ.

Aña. Príncipes populórũ.

Psalmus. Omnes gentes pláudite.

Aña. Dedísti.

Psalm. Exáudi Deus deprecatiónem.

Aña. Annunciavérunt.

Psalm. Exáudi Deus oratiónem. *Aña.* Exaltabúntur. *Psalmus.* Confitébimur tibi Deus.

Aña. Lux orta est justo.

Ps. Dñs regnávit exultet.

Aña. Custodiébant.

Psal. Dóminus regnávit irascántur.

℣. Non sunt loquélæ neque sermónes. ℟. Quorum non audiántur voces eórum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, & ex tribus fiunt duæ: tertia ut notatur in proprio.

Benedictiones, & Responsoria, dicuntur secundùm Feriam occurrentem. Hoc ordine, videlicet. Feria secunda & quinta. Bened. & Respons. primi Nocturni. Feria tertia & sexta. Bened. & Respons. secundi Nocturni. Feria quarta & Sabbato, Benedict. & ℟. tertij Nocturni. At qualibet die dicitur semper ante quamlibet. Bened.

Deprecatio. Exúrge Dómine adjúva nos, &c. Súscipe deprecatiónem nostram, &c. *non dicitur* Te Deum laudámus,

Ad Laudes.

Antiphona. Hoc est præcéptum meum. *cum reliquis Antiph. & Psalmis. Capit. & versus ut supra.*

Aña. Ad Benedictus. Beáti pacífici beáti mundo corde quóniam ipsi Deum vidébunt.

Oratio propria.

Dicto Benedicámus Dómino *dicitur Psalmus.* Levávi, *ut in Psalterio.* 72.

Ad Horas.

Omnia ut in eodem Communi ut suprà. Officium terminatur ad Nonam.

Eodem ritu celebratur Officium in omnibus festis Simplicibus & in iis Officium

cium sumitur de Communi secundùm qualitatem festi nisi aliter notetur.

Si contingat alicubi fieri octavam de Apostolo, tunc Officium fiet ut infra, & ut dictum est in Rubricis generalibus de octavis. Invitatorium, novem Antiphonæ, & novem Psalmi, ut in die Festi modo quo supra in festis Simplicibus: duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, ex tribus fiunt duæ, tertia verò ut notatur infrà pro qualibet die. Benedictiones & Respons. dicuntur eodem ordine quod notatum est in Festis Simplicibus secundùm Feriam occurr.

Ad Laudes & Horas ut in die Festi. Ad Vesperas, Añæ & Psalmi de Feria ut in Psalterio Capit. ℣. Aña ad Magnificat, ut in secundis Vesperis Festi. Idem ritus servatur infrà alias Octavas nisi aliter notetur.

¶ *Die secunda infra Octavam.*

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Sermone 286. de SS. Gervasio & Protasio, circa medium edit. benedict.

Lectio iij.

STrata est via priùs spinósa, & pédibus Apostolórum contríta: facta lénior secutúris. Quasi sémine; sánguine impléta est Martyribus terra: & de illo sémine seges surréxit Ecclésiæ. Plus asseruérunt Christum mórtui: quàm vivi. Hódie ásserunt; hódie prædicant; tacet lingua: sonant facta. Tenebántur; ligabántur; includebántur; producebántur; torquebántur; urebántur; lapidabántur; percutiebántur; béstiis subigebántur: In ómnibus suis mórtibus quasi viles irridebántur. Sed pretiósa in conspéctu Dómini: mors, sanctórum ejus. Tunc in conspéctu Dómini tantùm pretiósa: modò, & in conspéctu nostro. Tunc enim quando oppróbrium erat esse Christiánum: vilis erat mors sanctórum. In conspéctu hóminum detestabántur; execratióni habebántur; pro maledícto objiciebátur: sic moriáris, sic crucifigáris, sic incendáris. Modò ista maledicta: quis fidélis non optat. Tu autem.

¶ *Die*

¶ *Die tertia infra octavā.*
De sermóne sancti Augustíni Epíscopi.
Sermone 298. de Sāctis, circa initium edit. bened.
Lectio iij.

DEbúimus, quidem tantórum Mártyrū diem : hoc est sanctórum Apostolórum majóre frequéntiá celebráre. Si enim celebrámus frequentíssimè natalítia agnórum ; quantò magis debémus aríetum ? De fidélibus enim quos lucráti sunt Apóstoli prædicatióne sua scriptum est : Afférte Dño fílios aríetū. Per angústias passiónum ; per viam spinis plenam ; per tribulatiónes persecutiónum ; ut tránseant postcà fidéles : Apóstolos duces habuérunt. Tu autem.

¶ *Die quarta infra octav.*
De sermóne sancti Augustíni Epíscopi.
Serm. 311. de Sanctis edit. benedict.
Lectio iij.

COntémnite ergo sǽculum ; Christiáni contémnite sǽculū : contémnite. Contempsérunt Martyres; contempsérunt Apóstoli; contēpsit beátus N. : cujus hodie memóriam celebrámus. Dívites esse vultis ; honoráti esse vultis ; sani esse vultis ; totum ille contempsit : ad cujus memóriam conveníſtis. Quid óbsecro & tantùm amátis quod contémpsit ; quem sic honorátis? Quem si ista non contempsisset : non utique sic honoraré-tis. Quare te invénio eárum rerum amatórē ; quarum venerátis contemptórem ? Certè illum si hæc amáret : non veneráreris. Et tu noli amare ; non enim intrávit : & ostium contra te clausit. Contemne & tu : & intra post illum. Patet quà intres : Christus est jánua. Et tibi est óstium apértum quandò est latus ejus lánceâ perforátum. Quid inde manávit récole : & élige quà possis intráre. De látere Dómini pendéntis & moriéntis in ligno; posteà quâ est lánceâ perforátum : aqua sanguísque proflúxit. In uno est mundátio tua : in áltero redémptio tua. Tu autem.

¶ *Die quinta infra octav.*
De Sermóne sancti Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Homilia

Homilia in natali Apostolorum sub finem.

Lectio iij.

COnsideráte verò, fratres mei, quanta devotióne sanctos Apóstolos honoráre debeámus; quos ipse Dóminus jam non servos : sed amícos vocat. De quibus ipse ait. Quia non sunt de hoc mundo ; sed de mundo elécti : mundũ vicérunt, cum príncipe mundi. Quibus ipse testimónium perhíbet dicens; Vos estis sal terræ : Vos estis lux mundi. Vobis datum est nosse mystérium regni Dei : cæteris autem in parábolis. Isti sunt illi duódecim : quorum affluéntiâ omnis terrâ sanátur. Venit, inquit, Móyses & pópulus in Elim : ubi erant duódecim fontes aquárum. Tu autem.

¶ *Die sexta infra octav.* De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Epísc. *Eâdem Homilia.*

Lectio iij.

ISti sunt duódecim horæ diéi : & duódecim portæ, Cœléstis Hierúsalem. De quibus dícitur ab Oriénte portæ tres, ab Occidénte portæ tres, à Merídie portæ tres : ab Aquilóne portæ tres. De quíbus Prophéta ait. Díligit Dóminus portas Sion : super ómnia tabernácula Jacob. Et revéra magis díligit solas Ecclésiæ portas : quam ómnia ædifícia Synagógæ. Isti sunt lápides vivi : qui volvúntur super terram. Qui pósiti in rationáli Summi Pontíficis : etiam sine voce docent & prædicant. Prædicant enim non clamándo : sed significándo. Hos semper in péctore habére debémus; quibus corda nostra & instruántur : & muniántur. Ad hos totus pópulus respíciat : & quid signíficent, diligénter inquírat. Isti sunt fundamẽtum : turres, & colúmnæ Ecclésiæ. Isti montes : qui exultavérunt ut ariétes. Isti cedri Líbani. Isti servi qui venénum non timébunt : & qui serpéntes interfícient. Isti galli in nocte cantántes, & leónes sæviéntes; qui succínctis rénibus & fortíssimi bestiárum : ad nullíus timébunt occúrsum. Sed quid dicam? Isti sunt cæli qui enárrant glóriam Dei, Tu autem.

¶ *Die*

§ *Die septima infra octav.*
De Sermóne sancti Augustini Epíscopi.
Sermone 295. de Sanctis edit. benedict.
Lectio iij.

CElebrámus diem festum ' Apostolórum nobis sánguine consecrátum. Amémus fidem; vitam; labóres; Passiónes; confessiónes ' prædicatiónes. Proficimus enim amãdo ' non ista propter carnálem lætítiam celebrándo. Mártyres enim à nobis quid quærunt? Minùs habent; si adhuc laudes hóminum quærunt ' nondum vicérunt. Si autem vicérunt; à nobis propter se nihil quærũt? sed propter nos ipsos quærunt. Dirigátur ergo, via nostra in conspéctu Dómini. Arcta erat; spinósa erat; dura erat ' tálibus tamque multis transeúntibus lenis facta est. Tránsiit ipse prior Dóminus; transiérunt Apóstoli; intrépidi posteà Mártyres ' púeri, mulíeres, puéllæ. Sed quis in eis? Ille qui dixit ' sine me nihil potéstis fácere. Tu autem.

In die Octava fit Festum novem Lectionum.

Ad primas Vesperas Antiph. & Psalmi de Feria occurr. reliqua ut in die.

Ad Matutinum omnia ut in die exceptis Lectionibus, in primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente, in secundo & tertio Nocturno ut infrà.

Ad Laudes & Horas ut in die. Ad Vesperas Psal. de Feria occurrente. Capit. ℣. & Aña ad Magnificat in die.

§ *In secundo Nocturno.*
De Sermóne sancti Fulgéntij Epíscopi.
Ser. in natali Apostolorum.
Lectio iv.

DEléctat tantórum tractáre margaritas sanctórum ' deléctat gemmas intuéri dúlcium Piscatórum. Nec modus in colóre; nec númerus in virtúte ' splendor várius, & divérsus ornátus. Hos lápides si cæcus aspéxit ' illuminátus effúlsit. Si gestávit surdus ' verbo Dómini, claros percépit audítus. Si aspéxit hos lapides claudus in portâ speciósâ; cursum recépit ' & templum fórtiter intrávit. Testis est Petrus ad Tábitham; qualis sit splendor harum margaritárum '

tárum ? quando tantus exultávit númerus viduárum. Ergo & nos singuli síngulos contemplémur. Tu autem.

Lectio v.

REmótum est omne naufrágium ; timor exclúditur piratárum? quia barcæ subvéniunt dúlcium Piscatórum. Tuta sunt líttora ? per Apostólica rétia. Petrus in cápite scaphæ cæléstis ? triúmphat in líttore. Si Andréam contem pléris; unus est úterus, unus usus ? unus ínnocens captus. Per Pisces, Piscatórum paupértas tollebátur; per ánimas in captúrâ conclúsas grátia demonstrátur ? & regni cælórum divítiæ publicántur. In Scaphâ Petri quis númerat pisces ? Tu autem.

Lectio vj.

FIat ítaque in solemnitáte sanctórum ? tam grande convívium. Ecce Matthæus præparat prándium ; & Christus pransor ingréditur ? cum multitúdine peccatórum. Pransor ínnocens ; & rei convívæ ? unde convívij sui societáte peccatóres fáceret in suo Sacraménto gaudére. Judæi dicébant ; quómodò cum publicánis & peccatóribus mandúcat ? Nemo peccátor secérnitur ? nemo reus avéllitur. Omnes hóspites Christi sunt ? commúne convívium est ómnibus. Præparat prándium gaudiórum , solémnitas Apostolórum ; justus páscitur de grátiâ ? peccátor reficitur de indulgéntiâ. Tu autem.

Léctio sancti Evangélij ? secúndùm Lucam.

Lectio vij. Luc. 6.

IN illo témpore ? éxiit Jesus in montem oráre ; & erat pernóctans in oratióne Dei ? & cum dies factus esset ; vocávit Discípulos suos, & elégit duódecim, ex ipsis ? quos & Apóstolos nominávit. Et réliqua.

Homília S. Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

De expositione ejusdem Evangelij.

OBsérva quæso modum Ordinatiónis. Non enim in ángulo, ac occúltè factam ait sapientissimus Lucas; sed colléctis potiùs quàm plúrimis discípulis, turbáque copiósâ ? ex omni regióne Judeæ, & marítimis Tyri, & Sidónis.

Hi autem erant idolólatræ; sive in utrámque claudicántes partem ' observántes quidem ex parte Judæórum mores; Idololatríæ tamen crímina 'non omninò deseréntes. Facta ígitur ordinátio istis ómnibus præséntibus ' ac totíus orbis terræ Doctóres constitúti sunt. Tu autem.

Lectio viij.

QUo illi múnere probè perfúncti; Judæos quidem à legáli cultu ' cultóres verò dæmonum ab erróre gentilitátis, ad veritátis cognitiónem revocárunt. Designátis autem, ac creátis sanctis Apóstolis; plúrima eáque admiránda signa patrávit ' dæmónia íncrepans; ad se accedéntes ab incurabílibus morbis líberans ' diviníssimámque suam virtútem osténtans.

Lectio ix.

UT cognóscerent qui eò simul Judæi ac Græci conflúxerant; illos, Apóstolicâ dignitáte à Christo insígnitos esse ' non tanquam ab hómine quódam vulgári; ac qui nihil réliquis præstet ' sed qui magis Deus exístat. Eò nimírùm, quòd Verbum factum sit homo ' suámque tamen glóriam retíneat. Virtus enim de illo exíbat ' & sanábat omnes. Non enim ab álio virtútem mutuábat Christus; sed ipse cùm natúrâ Deus esset, tamétsi caro factus erat ' suam in ægrótos virtútem éxerens, omnes sanábat. Tu autem.

PRO EVANGELISTIS.

¶ *In Festo Evangelistarum omnia dicuntur de Communi Apostolorum, exceptis Lectionibus & Orationibus, quæ hic sequuntur.*

Ad primas & secundas Vesperas, & ad Horam Tertiam.

Oratio. Orémus.

ECclésiam tuam Dómine benígnus illústra; ut beáti N. Evangelístæ illumináta doctrínis ' ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Ad primam processionē, & ad Horam Sextam.

Oratio. Orémus.

BEáti N. Evangelístæ quæsumus Dómine supplicatióne placátus; & véniam nobis tribue ' & remédia sempitérna concéde. Per Dóminum.

Ad

Ad secundam processioně, & ad Horam Nonam.

Oratio. Orémus.

BEáti Evangelístæ N. Dómine précibus adjuvémur; ut quod possibílitas nostra non óbtinet: ejus nobis intercessióne donétur. Per Dóminum.

¶ *Lectiones.*

¶ *In primo Nocturno.*

Incipit liber Ezechiélis Prophétæ. *Capit.* 1.

Lectio j.

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis; cùm essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar: apérti sunt cæli, & vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis Regis Jóachim: factum est verbum Dómini ad Ezechiélem filium Buzi Sacerdótem in terra Chaldæórum; secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, & ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne; & nubes magna, & ignis invólvens, & splendor in circúitu ejus: & de médio ejus, quasi spécies eléctri, id est de médio ignis. Tu autem.

Lectio ij.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium; & hic aspéctus eórum: similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni: & quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti; & planta pedis eórum, quasi planta pedis vítuli: & scintíllæ quasi aspéctus æris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum; in quátuor pártibus: & fácies, & pennas per quátuor partes habébant. Junctæque erant pennæ eórum, altérius ad álterum. Non revertebántur, cùm incéderent: sed unumquodque antè fáciem suam gradiebátur. Tu autem.

Lectio iij.

SImilitúdo autem vultus eórum, fácies hóminis, & fácies Leónis à dextris ipsórum quátuor; fácies autem bovis, à siníſtris ipsórum quátuor: & fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, & pennæ eórum exténtæ désuper; duæ pennæ singulórum jungebántur, & duæ tegébant córpora eórum: & unumquódque eórum coram fácie sua ambulá-

bat. Ubi erat ímpetus spíritûs; illuc gradiebántur: nec revertebántur cùm ambulárent. Tu autem.

¶ *In secundo Nocturno.*

Sermo sancti Irenæi Lugdunénsis Epíscopi & Mártyris.

Ex libro 3. adversùs hæreses. Cap. 2. *Lectio iv.*

QUóniam quátuor regiónes mundi sunt, in quo sumus; & quátuor principáles spíritus; & disseminata est Ecclésia super omnem terram: colúmna autem & firmaméntum Ecclésiæ est Evangélium & spíritus vitæ; cónsequens est quátuor habére eam colúmnas úndique flantes incorruptibilitátem, & vivificántes hómines. Ex quibus maniféstum est, quóniam qui est ómnium ártifex Verbum; qui sedet super Chérubim, & cóntinet ómnia: declarátus homínibus, dedit nobis quadrifórme Evangélium, quod in uno spíritu continétur. Quemádmodum & David póstulans ejus advéntum ait. Qui sedes super Chérubim: appáre. Etenim Chérubim quadrifórmia: & formæ ipsórum, imágines sunt dispositiónis Fílij Dei. Primum enim ánimal inquit, símile Leóni; efficábile ejus, & principále: & regále signíficans. Secúndum verò, símile Vítulo: sacrificálem, & Sacerdotálem ordinatiónem signíficans. Tértium verò ánimal habens fáciem quasi humánam; eum, qui est secúndum hóminem advéntum: eis maniféstè descríbens. Quartum verò símile Aquilæ volitántis: Spíritûs in Ecclésiam advolitántis grátiam maniféstans. Tu autem.

Lectio v.

ET Evangélia his consonántia: in quibus ínsidet Dóminus Jesus. Aliud enim illam quæ est à Patre principálem, & efficábilem & gloriósam generatiónem ejus enárrat, dicens sic: In princípio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Et ómnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Propter hoc & omni fidúcia plenum est Evangélium istud: talis est enim persóna ejus. Id verò quod est secúndùm Lucam; quóniam

niam quidem Sacerdotális charácteris est ; Zacharía Sacerdóte sacrificánte Deo inchoávit. Jã enim saginátus parabátur vítulus ; qui pro inventióne minóris filij ; inciperet mactári. Mathæus verò ; eam, quæ est secúndum hóminem ; generatiónem ejus enárrat. Liber dicens, generatiónis Jesu Christi ; filij David ; filij Abraham. Et íterùm ; Christi generátio sic erat. Humánæ formæ ígitur hoc Evangélium ; propter hoc, & per totum Evangélium ; humíliter séntiens, & mitis homo separátus est. Marcus verò, à Prophético spíritu ex alto adveniénte homínibus, inítium fecit ; Initium, dicens, Evangélij, quemádmodum scriptum est in Isáia Prophéta ; Volátilem & pennátam imáginem Evangélij monstrans; propter hoc ; & compendiósam, & præcurréntem annunciatiónẽ fecit. Tu autem. *Lectio vj.*

PRophéticus enim charácter est hic. Et ipsum, autem verbum Dei, illis qui antè Móysem fuérunt Patriárchis, secúndùm divinitátem & glóriam colloquebátur ; his verò qui in lege, Sacerdotálem & ministeriálem actum præbébat ; post deínde nobis homo factus, munus cæléstis Spíritûs in omnem misit terram, prótegens nos alis suis. Qualis ígitur dispositio Fílij Dei ; talis & animálium forma ; & qualis animálium forma ; talis & charácter Evangélij. Quadrifórmia autem animália ; & quadrifórme Evangélium ; & quadrifórmis dispositio Dómini. Et propter hoc quátuor data sunt testamẽta humano géneri ; unum quidem antè Cataclysmum sub Adam ; secúndum verò, post Cataclysmũ sub Noë ; tértium verò legislátio sub Móyse ; quartum verò quod rénovat hóminem, & recapítulat in se ómnia, quod est per Evangélium ; élevans & pennígerans hómines in cæléste regnum. His ígitur sic se habéntibus ; vani omnes, & indócti, & ínsuper audáces, qui frustrántur spéciem Evangélij ; & vel plures quàm dicta sunt, vel rursus paucióres ínferunt persónas Evangélij. Tu autem.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio ij.

IN illo témpore Desi- gnávit Dóminus & álios septuagínta duos ; & misit illos binos antè fáciem suam , in omnem civitátem , & locum quò erat ipse ventúrus. Et dicébat illis ; messis quidem multa operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ,

Hom. 17. in Evang.

MIssis prædicatóribus quid dicat, audiámus. Messis quidem multa operárij autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Ad messem multã operárij pauci sunt, quod sine gravi loqui mœróre, non póssumus ; quia etsi sũt, qui bona áudiant desunt qui dicant. Ecce mundus Sacerdótibus plenus est ; sed tamen in messe Dei rarus valdè invenítur operátor quia officium quidem Sacerdotále suscípimus, sed onus officij nõ implémus. Sed pensáte fratres mei , pensáte quod dícitur. Rogáte ergo Dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Vos pro nobis pétite ut digna vobis operári valeámus ; ne ab exhortatióne lingua tórpeat ; ne postquam prædicatiónis locum suscépimus apud justum júdicem nostra nos tacitúrnitas áddicat. Sæpè enim pro suâ nequítiâ prædicántium lingua restríngitur. Sæpè verò ex subjectórum culpâ ágitur ; ut eis , qui præsunt prædicatiónis sermo subtraháutur. Tu autem.

Lectio viij.

EX suâ quippe nequítiâ prædicántium lingua restríngitur sicut Psalmísta ait. Peccatóri autem dixit Deus; Quare tu enárras justítias meas? Et rursum ex vítio subjectórum vox prædicántium prohibétur sicut ad Ezechiélẽ Dóminus dixit. Linguam tuam adhæréscere fáciam paláto tuo ; & eris mutus, nec quasi vir objúrgans quia domus exásperans est. Ac si apertè dicat. Idcircò tibi

tibi prædicatiónis sermo tóllitur; quia dum me in suis áctibus plebs exáspe-rat: non est digna cui exhortátio veritátis fiat. Ex cujus ergo vítio prædicatóri sermo subtrahátur: nō fácilè agnóscitur. Quia verò pastóris tacitúrnitas aliquandò sibi; semper autem subjéctis nóceat: certissimè scitur. Sed útinàm sicut ad prædicatiónis virtútem non sufficimus: loci nostri officium innocéntiâ vitæ teneámus. Tu autem.

Lectio ix.

NAm súbditur. Ecce ego mitto vos: sicut agnos inter lupos. Multi enim cùm regíminis curā suscípiunt: ad lacerándos súbditos inardéscunt. Terrórem potestátis éxhibent: & quibus prodésse debúerant, nocent. Et quia charitátis víscera non habent; Dómini vidéri áppetunt: patres se esse minimè recognóscunt. Humilitátis locum in elatiónem dominatiónis immútant; Et si quandò extrínsecùs blandiúntur: intrínsecùs sæviunt. De quibus áliàs véritas dicit. Véniunt ad vos in vestiméntis óvium: intrínsecùs autem sunt lupi rapáces. Contrà quæ ómnia considerándum nobis est, quia sicut agni inter lupos míttimur; ut sensum servántes innocētiæ: morsum malítiæ non habeámus. Qui enim locum prædicatiónis súscipit; mala inférre non debet: sed toleráre. Ut ex ipsâ suâ mansuetúdine iram sæviéntiū mítiget; & peccatórum vúlnera in áliis: ipse afflictiónibus vulnerátus sanet. Quem & si quandò zelus rectitúdinis éxigit, ut erga subjéctos sæviat; furor ipse de amóre sit, non de crudelitáte: quàtenus & jura disciplínæ foris exhíbeat; & intùs patérna pietáte díligat: quos foris quasi insequéndo castígat. Tu autem.

AD LAUDES,

Horas & Vesperas omnia ut supra de Communi Apostolorum. Si contingat celebrari octavā de Evangelistā, tunc officium fit eodem ritu quo de Apostolis suprà & Lectiones infra octavam sumuntur ut in communi Apostolorum infra Octavam.

COMMUNE

Unius Martyris.

Ad Vesperas si fuerit festum duplex, Antiph. Qui me conféssus fúerit. *Cum reliquis de Laudib. Psalm. de Dominica* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, loco ultimi* Laudáte Dóminum omnes gentes. *si verò non fuerit Festum duplex : Ant. & Psalmi de Feria occurrente.*

Capitulum. Jacobi. 1.

BEátus vir qui suffert tentatiónem; quóniam cùm probâtus fúerit, accípiet corónam vitæ : quam repromísit Deus diligéntibus se.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Magnificat, Aña. Iste est qui pro lege Dei sui morti se trádidit, non dubitávit mori, ab iníquis interféctus est : & in ætérnum vivit cum Christo, agnum sequútus est, & invásit palmam.

Pro Martyre, & Pontifice.

Oratio. Oremus.

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus; & quia pondus própriæ actiónis gravat : beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dñm.

Ad primam Processionem.

℟. j. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo meo, dicit Dóminus. * Et scribam super eum nomen meum, & nomen civitátis novæ Jerúsalem.

Oratio. Orémus.

DEus qui nos beáti N. Mártyris tui, atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus : de ejúsdem protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundã Processionem.

℟. ij. Puer meus noli timére quia ego sum tecum dicit Dóminus. * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit te, & odor ignis non erit in te.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos concédis beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis natalítio pérfrui : ejus nos tríbue méritis adjuvári. Per.

Pro Martyre tantùm.

Oratio I.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia

talítiá cólimus : intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Ad primam Processionem. ℟. Qui vícerit. *ut suprà.*

Oratio II.

LÆtétur Ecclésia tua Deus beáti N. Mártyris tui, confísa suffrágiis; atque ejus précibus gloriósis, & devóta permáneat: & secúra consístat. Per Dóminum.

Ad secundã Processionem. ℟. Puer meus. *ut suprà.*

Oratio III.

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris; ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus: beáti N. Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Ad Completorium. Hymnus, Ætérna Christi múnera. *ut suprà.* iij.

Ad Matutinum. Invitat. Regem Mártyrum Dóminum, veníte adorémus.

Si verò Festum solemniter celebrétur dicitur invitatorium. Regem regum Dóminũ veníte adorémus, quia ipse est coróna beáti N. *vel* SS. Mártyrũ.

Quod quidem invitatorium dicitur in omnibus festis Sanctorum & Sanctarum quæ solemniter celebrantur, & in omnibus Officiis de communi potest usurpari. Psalm. Veníte exultémus. 2.

In primo Nocturno.

Antiphona. In lege.

Psalmus 1.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum: * & in viâ peccatórũ non stetit: * & in cáthedrâ pestiléntiæ, non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus: * & in lege ejus meditábitur, die ac nocte.

Et erit tanquam lignum quod plantátum est, secùs decúrsûs aquarum: * quod fructum suum dabit, in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpij, non sic: * sed tanquam pulvis quem prójicit ventus, à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpij in judício: * neque peccatóres, in concílio justórũ.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * &

iter impiórum períbit.

Glória Patri.

Aña. In lege Dómini fuit volúntas ejus, die ac nocte.

Aña. Prædicans.

Psalmus 2.

QUare fremuérunt gẽtes: * & pópuli meditáti sunt inánia.

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsùs Dóminum, & advérsùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis, jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in irâ suâ: * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu: * ego hódie genúi te.

Póstula à me & dabo tibi gentes hæreditátẽ tuam: * & possessiónem tuam, términos terræ.

Reges eos in virgâ férreâ: * & tanquam vas fíguli, confrínges eos.

Et nùnc reges intellígite: * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * & exultáte ei, cùm tremóre.

Apprehéndite disciplínam: * nequandò irascátur Dóminus, & pereátis de viâ justâ.

Cùm exárserit in brevi ira ejus: * beáti omnes qui confídunt in eo.

Glória Patri.

Antiph. Prædicans præcéptum Domini, constitútus est in monte sancto ejus.

Antiph. Voce mea.

Psalmus 3.

DOmine quid multiplicáti sunt, qui tríbulant me: * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es: * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi & soporátus sum: * & exurréxi quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli

puli circundántis me : * exúrge Dómine salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti, omnes adversántes mihi sine causâ : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * & super pópulum tuum, benedíctio tua, Glória Patri.

Aña. Voce mea ad Dóminum clamávi, & exaudívit me de monte sancto suo.

℣. Glória & honóre.

℟. Coronásti eum Dñe.

Pater noster. Et ne nos indúcas, &c. *Deprecatio.* ℣. Exúrge Dómine adjuva nos. ℣. Súscipe deprecatiónem. Domne jube benedícere. *Bened.* Adjutor, & propítius, &c.

Lectiones sequentes primi Nocturni leguntur in Festo Mart. & Pont.

In Festo autem Mart. non Pont. leguntur quæ inferiùs positæ sunt in communi plurimorũ Martyrum.

De Actibus Apostolórum.

Cap. 20. d Lectio j.

A Miléto Paulus mittens Ephesum vocávit majóres natu Ecclésiæ. Qui cùm venísset ad eum; & simul essent dixit eis. Vos scitis à prima die, quâ ingréssus sum in Asiã, quáliter vobíscum per omne tempus fúerim; sérviens Dómino cùm humilitáte, & lácrymis & tentatiónibus quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórũ. Quómodò nihil subtráxerim, utílium, quò minùs annunciárem vobis, & docérem vos públicè, & per domos; testíficans Judæis, atque Gentílibus in Deum pœniténtiam & fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem, quæ in ea ventúra sint mihi, ignórans; nisi quod Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens quóniam víncula, & tribulatiónes Jerosólimis me manent. Sed nihil horum véreor; neque fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dúmmodò cõsúmmem cursum meũ & ministérium verbi, quod accépi à Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiæ Dei. Tu autem.

℟. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo meo, dicit Dóminus. * Et scribam super eum nomen

meum, & nomen civitátis novæ Jerúsalem. ℣. Vincénti dabo ei manna abscónsum, & dabo illi cálculum cándidum. Et scribam. *Benedictio.* Benedictiónibus suis.

Lectio ij.

ET nunc ecce ego scio; quia ámpliùs non vidébitis fáciem meam vos omnes: per quos transívi prædicans regnum Dei. Quaprópter contéstor vos hodiérna die: quia mundus sum à sánguine ómnium. Non enim subterfúgi: quomínùs annuntiárem omne consílium Dei vobis. Atténdite vobis, & univérso gregi; in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos, régere Ecclésiã Dei: quam acquisívit sánguine suo. Ego scio, quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi; & ex vobis ipsis exúrgent viri loquéntes pervérsa: ut abdúcant discípulos post se. Propter quod, vigiláte, memória retinéntes; quóniam per triennium nocte & die non cessávi: cùm lácrymis monens unumquémque vestrum. Tu autem Dñe.

℟. Puer meus noli timére, quia ego sum tecum dicit Dóminus. * Si transíeris per ignem flamma non nocébit te, & odor ignis non erit in te. ℣. Quia ego Dóminus Deus tuus apprehéndens manum tuã, dicénsque tibi ne tímeas. Si transíeris.

Benedictio. Cæléstem benedict.

Lectio iij.

ET nunc commréndo vos Deo & verbo grátiæ ipsíus; qui potens est ædificáre: & dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus. Argéntum, & aurum aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis; quóniàm ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt: ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniàm sic laborántes, opórtet suscípere infírmos; ac meminísse verbi Dómini Jesu, quóniàm ipse dixit: Beátius est magis dare, quàm accípere. Et cum hæc dixísset; pósitis génibus suis: orávit cùm ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium; & procumbéntes super

per collum Pauli osculabántur eum, doléntes maximè in verbo quod díxerat: quóniam ampliùs fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem. Tu autem.

℟. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. Ideóque repósita est mihi coróna justítiæ. ℣. Grátiâ Dei sum id quod sum; & grátia ejus in me vácua non fuit. Ideóque. Glória Patri. Ideóque.

In secundo Nocturno.

Aña. Fílij hóminum.

Psalmus 4.

Cum invocárē exáudivit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, & exáudi oratiónem meam.

Fílij hóminum usquequò gravi corde: * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium.

Scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, & in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino: * multi dicunt quis osténdit nobis bona.

Signátum est super nos lumen vultus tui Dñe: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui multiplicáti sunt.

In pace in idipsum, dórmiam & requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe, constituísti me. Glória Patri.

Aña. Fílij hóminum scitóte quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

Antiph. Scuto.

Psalmus 5.

Verba mea áuribus pércipe Dómine: * intellige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ: * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo Dómine: * manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi & vidébo: * quóniam non Deus volens, iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi, ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum, & dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine, misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domũ tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum, in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos, dírige in conspéctu tuo, viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum: * linguis dolósè agébant: * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis: * secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te: * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, coronásti nos. Glória Patri.

Antiph. Scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum Dómine.

Aña. In univérsa terra,

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster: * quam admirabile est nomen tuum, in univérsa terra.

Quoniam eleváta est, magnificẽtia tua super cælos.

Ex ore infántium, & lacténtium, perfecísti laudẽ, propter inimícos tuos: * ut déstruas inimícum, & ultórem.

Quoniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * Lunam & Stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo quod memor es ejus: * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum.

Minuísti eum paulóminús ab Angelis: * glória & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera, mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus: * oves & boves univérsas: * ínsuper, & pécora campi.

Volucres cæli & pisces maris: *

maris: * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster: * quam admirábile est nomen tuum, in univérsa terra. Glória Patri.

Ant. In univérsa terra glória & honóre coronásti eum.

℣. Voce mea ad Dóminum clamávi.

℟. Et exaudívit me, de monte sancto suo.

Pater noster.

Deprecat. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam.

Benedictio. Deus Dei fílius, &c.

De Sermóne sancti Augustini Epíscopi.

Tertio de sancto Vincentio edit. benedict.

Lectio iv.

IN passióne sancti Mártyris fratres mei, evidénter osténditur, judex ferox; tortor cruéntus: Martyr invíctus. In cujus córpore pœnis váriis exaráto; jam torménta defécerant: & adhuc membra durábant. Tot convícta miráculis persistébat impíetas; tot vexáta supplíciis non cedébat infírmitas: agnoscátur ergo operáta divínitas. Quando enim corruptíbilis pulvis contra tam immánia torménta duráret; nisi in eo Dóminus habitáret? In his enim ómnibus ille agnoscéndus; ille glorificándus, ille laudándus est, qui & in prima vocatióne dedit fidem: & in supréma passióne virtútem. Tu autem.

℟. Justus germinábit sicut lílium. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

℣. Et erit quasi olíva glória ejus, & odor ejus ut líbani. Et florébit.

Benedictio. Ætérnam.

Lectio v.

DUplicē mundus áciem prodúcit: contra mílites Christi. Advértite fratres. Dúplicem dixi áciem prodúcit mundus: contra mílites Christi. Bláditur enim, ut decípiat: terret, ut frangat. Non nos téneat volúptas própria; non nos térreat crudélitas aliéna: & victus est mundus. Ad utrósque áditus occúrrit Christus: & non víncitur Christiánus. Si considerétur in ista passióne humána patiéntia; íncipit esse incredíbilis: si agnoscátur divína

potén tia,

poténtia, désinit esse mirábilis. Tanta grassabátur crudélitas in Mártyris córpore; & tanta tranquíllitas proferebátur in voce; tantáque pœnárum aspéritas sæviebat in membris; & tanta secúritas sonábat in verbis: ut miro modo putarémus, illo patiénte, álium non loquéntem torquéri. Tu autem.

℟. Stola jocunditátis índuit eum Dóminus: Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus.
℣. Cibávit illum pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. Et corónam.

Benedictio. Grátia Spíritus sancti.* *Lectio vj.*

ET verè, fratres, ita erat; prorsùs ita erat: álius loquebátur. Promísit enim & hoc téstibus suis Christus in Evangélio: quos ad hujúsmodi certámina præparábat. Sic enim ait, nolíte præmeditári quómodò aut quid loquámini: Non enim vos estis qui loquímini, sed spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Caro ergo patiebátur: & spíritus loquebátur. Et loquénte Spíritu; non solùm convincebátur impíetas: sed étiam confortabátur infírmitas. Clariórem nobis Mártyrem tot torménta faciébant. Multíplici enim vúlnerum varietáte confóssus; non deserébat pugnam: sed ácrius iterábat. Tu autem.

℟. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum: Et inaltávit illum apud próximos suos.
℣. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, & implévit eum Spíritu sapiéntiæ & intelléctus. Et inaltávit. Glória Patri. Et inaltávit.

In tertio Nocturno.

Aña. Justus Dóminus.

Psalmus 10.

IN Dómino confido: * quómodó dícitis ánimæ meæ, tránsmigra in montem, sicut passer.

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum: * paravérunt sagittas suas in pháretrâ: * ut sagíttent in obscúro, rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo: * Dóminus in cælo sedes ejus.

Oculi

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebræ ejus intérrogant, filios hóminũ.

Dóminus intérrogat justum & ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis & sulphur, & Spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, & justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus. Glória Patri.

Antiphona. Justus Dóminus justítias diléxit : æquitátem vidit vultus ejus.

Antiphona. Habitábit.

Psalmus 14.

DOmine quis habitábit in tabernáculo tuo : * aut quis requiéscet, in monte sancto tuo.

Qui ingréditur sine mácula : * & operátur justítiã.

Qui lóquitur veritátem in corde suo : * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum : * & oppróbrium non accépit, advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum, glorificat.

Qui jurat próximo suo & non décipit : * qui pecúniam suam non dedit ad usúram : * & múnera super innocéntem, non accépit.

Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum,

Glória Patri.

Antiphona. Habitábit in tabernáculo tuo, requiéscet in monte sancto suo.

Añа. Posuísti Dómine.

Psalmus 20.

DOmine in virtúte tua lætábitur rex : * & super salutáre tuum, exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * & voluntáte labiórum ejus, non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus, corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, & tribuísti ei : * longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam & magnum decórem, impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem, in sæculum

lum sæculi : * lætificábis eum in gáudio, cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino:* & in misericórdia altíssimi, non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat, omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos : * & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * & semen eórum, à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis, vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua : * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Glória Patri.

Antiphona. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Justus Dóminus justítias diléxit. ℟. Æquitátem vidit vultus ejus.

Pater noster.

Deprecatio. Adjutórium nostrum.

Benedictio. Redémptor.

Léctio sancti Evangélij secundùm Lucam. *Lucæ 9.*

IN illo témpore : Dixit Jesus Discípulis suis. Si quis vult post me veníre; ábneget semetipsum : & tollat crucem suam quotídie, & sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet illam ; nam qui perdíderit ánimam suam propter me salvam fáciet illam. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ.

Homil. 32. in Evangelia.

Lectio vij.

QUia Dóminus ac Redémptor noster novus homo venit in mundum : nova præcépta dedit mundo. Vitæ etenim nostræ véteri in vítiis enutrítæ : contrarietátem oppósuit novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére ; aliéna rápere si posset : concupíscere si non posset. Sed cæléstis médicus : síngulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam sicut arte

arte medicínæ cálida frígidis, frígida cálidis curántur: ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis; ut lúbricis continéntiam; tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem: elátis præciperet humilitátem. Tu autem.

℟. Probávit me Dóminus quasi aurum quod per ignem trãsit, & vestígia ejus sequútus est pes meus: * Viam ejus custodívi, & non declinávi ex ea. ℣. A mandátis labiórum ejus non recessi, & in sinu meo abscóndi verba oris ejus. Viam ejus.

Benedictio, Unigénitus Dei filius. *Lectio viij.*

CErtè cum se sequéntibus nova mandáta proponéret: dixit. Nisi quis renũciáverit ómnibus quæ póssidet: non potest meus esse discípulus. Ac si apertè dicat. Qui per vitam véterem aliéna concupíscitis: per novæ conversatiónis stúdium, & vestra largímini. Quid verò in hac lectióne dicat: audiámus. Qui vult post me veníre: ábneget semetípsum. Ibi dícitur, ut abnegémus nostra: hic dícitur, ut abnegémus nos. Et fortásse laboriósum non est hómini relínquere sua: sed valdè laboriósum est relínquere semetípsum. Minus quippe est, abnegáre quod habet: valdè autem multum est, abnegáre quod est. Tu autem.

℟. Beátus vir qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesáuris: * Fecit enim mirabília in vita sua. ℣. Ideò stabilíta sunt bona illíus in Dómino, & Eleemósinas illíus enárrat omnis Ecclésia sanctórum. Fecit enim.

Benedictio. Ad supernõrum cívium. *Lectio ix.*

AD se autem nobis veniéntibus Dóminus præcépit, ut renuntiémus nostris; quia quicúmque ad fidei agónem vénimus: luctámen contra malígnos Spíritus súmimus. Nihil autem malígni Spíritus in hoc mundo próprium possídent; nudi ergo: cum nudis luctári debémus. Nam si vestítus quisque cum nudo luctátur; cítiùs ad terram dejícitur: quia habet unde teneátur. Quid enim sunt terréna ómnia; nisi quædam córporis induménta?

ménta? Qui ergo contra diábolum ad certámen própeṙat; vestiménta abjíciat: ne succúmbat. Tu autem.

℟. Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis glória honóris: * Et opus fortitúdinis.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et opus. Glória Patri. Et opus.

Si fuerit Festum Duplex vel in Dominica occurrerit; dicitur, Te Deum laudámus, *& tunc non dicitur.* Glória Patri.

AD LAUDES,

Antiphona.

QUi me conféssus fúerit coram homínibus; confitébor & ego eum, coram patre meo. *Psalmus.* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.* 20.

Antiphona. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum pater meus qui est in cælis: dicit Dóminus. *Aña.* Qui séquitur me non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ; dicit Dóminus. *Aña.* Si quis per me intráverit salvábitur, & páscua invéniet: dicit Dóminus. *Aña.* Volo pater ut ubi ego sum ibi sit & miníster meus.

Capitulum.

BOnum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi; in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex; non solùm autem mihi: sed & his, qui díligunt advéntum ejus. ℟. Deo grátias.

℣. Stola jocunditátis.

℟. Induit eum Dóminus.

Ad Benedictus, Aña.

BEátus vir qui suffert tentatiónem; quóniam cum probátus fúerit accípiet corónam vitæ: quam repromísit Deus diligéntibus se.

Pro Martyre & Pontifice.

Orémus. *Oratio.*

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus; & quia pondus própriæ actiónis gravat: beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dñm.

Alia Oratio.

Pro Martyre tantum.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui beáti

beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus : intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum fílium tuum.

Ad tertiam Capitulum.

Beátus vir qui suffert. *ut suprà. Ad Vesperas.* xxxij.

℟. Posuísti Dómine super caput ejus. ℣. Corónam de lápide pretióso. Glória Patri. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Pro Martyre & Pontifice.

Infirmitátem nostram. *ut suprà in Laudibus.*

Alia Oratio.

Pro Martyre tantum.

Præsta quæsumus omnípotens Deus ; ut qui beáti. *ut suprà in Laudibus.*

Ad sextam Capitulum.

BEátus vir qui invéntus est sine máculâ , & qui post aurum non ábiit , nec sperávit in pecúnia & thesáuris ; quis est hic & laudábimus eum : fecit enim mirabília in vita sua.

℟. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Glória Patri. ℣. Magna est glória ejus , in salutári tuo.

℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Oratio. Orémus.

Pro Martyre & Pontifice.

DEus qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis ánnuâ solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus : de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Alia Oratio.

Pro Martyre tantum.

LÆtétur Ecclésia tua Deus, beáti N. Mártyris tui confísa suffrágiis ; atque ejus précibus glorióssis , & devóta permáneat: & secúra consístat. Per Dóminum.

Ad Nonam Capitulum.

BOnum certámen certávi. *ut suprà in Laudibus.*

℟. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℣. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. Glória. Patri. ℣. Stola jocunditátis. ℟. Induit eum Dóminus.

Oratio

Oratio. Orémus.

Pro Mart. & Pont.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus; ut intercedénte beáto N. Mártyre tuo atque Pontífice, à cunctis adversitátibus liberémur in córpore: & à pravis cogitatiónib⁹ mundémur in mente. Per Dñm.

Alia Oratio.

Pro Martyre tantum.

ADesto Dómine supplicatiónibus nostris; ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus: beáti N. Mártyris tui intercessióne liberémur, Per Dóminum.

¶ AD VESPERAS.

In Festis Duplicibus.

Aña. Qui me conféssus fúerit. *cum reliq. de Laudibus. Psalm.* Dixit Dóminus. *cum reliq. de Dominica.* 148. *sed loco ultimi. Psalm.* Crédidi propter quod locútus sum. xvij. *quando verò non est Festum duplex, ad Vesperas Aña & Psalmi de Feria occurr. Capitulum.* Beátus vir qui suffert tentatiónem. *ut suprà fol.* xxxij.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus ℟. corónam de lápide pretióso.

Ad Magnificat Aña. Hic est verè martyr qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit; qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriã quæsívit, sed ad cæléstia regna felíciter pervénit.

Oratio. pro Martyre & Pontifice. Infirmitatem nostram. xliv.

Alia Oratio.

Pro Martyre tantùm.

Præsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui beáti. xliv.

Ad Processionem primum responsorium Officij diei sequentis. Ad Completorium Hymnus. Æterna Christi munera. *ut suprà.* iij.

In Festis unius Martyris iij. Lectionum ad Vesperas Aña. & Psalmi de Feria occurrente Capitul. ℣. *& Aña.* Ad Magnificat, *ut in secundis Vesp. diei Festi.* xlvj. *Ad Matutinũ invitatorium.* Regem Mártyrum Dominum, Veníte adorémus. *Psalm,* Veníte exultémus. *Deinde dicuntur novem Antiphonæ & Psalmi de eodẽ communi, ritu quo notatum est in communi Apostolorum.*

Duæ

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia ut notatur in proprio, nisi aliter notetur. Bened. Versus. Responsoria dicuntur ritu quo notatũ est in communi Apostolorum.

Ad Laudes. Qui me conféssus fúerit. xliv. *reliqua ut in eodem communi.*

Ad Benedictus Aña. Qui vult post me veníre, dicit Dóminus: ábneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequátur me. *Et dicitur Psalm.* Levavi.

Ad horas omnia ut in die Festi. Si contingat fieri alicubi octava de uno Martyre Officiũ fit infrà octavam, ut in Festis trium Lectionum; ritu quo notatum est in communi Apostolorũ; duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia ut infrà habetur pro qualibet die. Ad Laudes & horas omnia ut in die Festi, ad Vesperas Psalmi de Feria occurrente, Capit. ℣. *ut in die. Antiph. ad* Magnificat, *etiam ut in die.*

¶ *Die secunda infra octavam.*

De Serm. S. Basilij Magni. *Homil. de Barlaam Mart.*

Lectio iij.

PRimùm quidem Sanctórum mors: planctu, ac láchrymis cohonestabátur. Extínctum Jacob, veheménter Joseph deflévit; Moysénque mortẽ haud léviter Judæi planxére: Samuélem quoque multis láchrymis ornárunt. Nunc verò defũctis Sanctis exultámus: post crucem enim tristium natúra commutáta est. Non jam ámpliùs Sanctórum fúnera planctu proséquimur; sed divínis tripúdiis circum ipsórum sepúlchra: véluti chóreas dúcimus. Somnus enim justis est mors: imò pótiús, ad vitam melidórem migrátio. Hinc fit ut exúltent Mártyres: dum trucidántur. Desidérium quippe felicióris vitæ: jugulatiónis dolórem extínguit. Martyr non perícula, sed corónas réspicit; non plagas horret: sed palmas númerat. Non videt lictóres in terra flagellántes; sed è cælo Angelos cógitat: lætis omínibus acclamántes. Non temporánea spectat perícula: sed præmia ætérna. Tu autem.

¶ *Die tertia infra Octav.*

De

De sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Laud. S. Barlaam mart.

Lectio iij.

TUnc enim maximè sui Mártyres honóris sensum cápiunt, cum consérvos conspéxerint suórum nactos societátem honórum. Itaque si quis Mártyres laudáre velit: Mártyres imitétur. Si quis religiónis athlétas celebráre præcóniis velit: illórum labóres æmulétur. Nihil hoc minùs quam própria rectè facta: Mártyres delectábit. Atque ut intélligas tunc eos præcípuè sua bona sentíre, cum res nostras in tuto pósitas vidérint; remque illam máximo sibi honóri dúcere: audi Paulum dicéntem. Nunc vívimus: si vos statis in Dómino. Et quidem Moses illo supérior, dicébat Deo. Siquidem dimíttis eis peccátum, dimítte; sin autem: dele me de libro tuo, quem scripsísti. Cæléstem honórem non séntio: ob istórum calamitátem. Córporis quædam connéxio est ac structúra, cætus fidélium; quid ígitur prodest caput coronári: dum pedes torquéntur. Tu autem.

¶ *Die quarta infra Oct.*

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Panegyrico in Lucianum mart. circa finem.

HÆc nos étiam cum novérimus, pacis témpore béllicis rebus nos exerceámus; ut cum belli tempus advénerit: illústre nos quoque trophæum erigámus. Famem contémpsit martyr ille; delícias & nos contemnámus: ac ventris Tyránnidem evertámus. Ut si tempus advéniat, quod tantam fortitúdinem à nobis repóscat; in minóribus anteà rebus exercitáti: præclári in scámmate compareámus. Coram princípibus ille ac Régibus audácter locútus est: hoc nos faciámus nunc quoquè; ac si in opulentórum & illústrium convéntibus consideámus: fidem cum fidúcia profiteámur. Irrideámus, illórum erróres: quod si res quidem suas magníficè efférre, nostras autem deprímere aggrediántur; ne taceámus, neve léviter ferámus, sed ipsórum turpitúdinem detegéntes: multâ

tâ cum sapiéntiâ, fiduciáque res Christianórum láudibus evehámus. Et quemádmodum Imperátor in cápite diadéma: sic & nos ubíquè confessiónem fidei circumferámus. Non enim illum adeò coróna; ut nos fides: ejusque conféssio solet exornáre. Non verbis tantum; sed étiam rebus ipsis id agámus: & vitam confessióne dignam in ómnibus exhibeámus. Tu autem.

Die quinta infra Oct.

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex laudat. S. Barlaam mart. circa finem.

Lectio iij.

QUînàm verò fiat nunc, inquis, ut Mártyres imitémur? non enim est persecutiónis tempus. Equidem etiam novi, non est persecutiónis tempus: at est Martyrij; luctárum ejúsmodi tempus non est: at est coronárum. Non persequúntur hómines: at persequúntur Dæmones. Non vexat tyránnus; at vexat diábolus: tyrannórum ómnium sævíssimus. Non objéctas prunas cónspicis: at accénsam cernis cupiditátis flammam, illi prunas calcárunt: tu natúræ pyram calca. Illi cum béstiis pugnavérunt: tu iram immítem ac indómitam bélluam fræna. Illi advérsùs intolerábiles dolóres stetérunt; tu absúrdas, praváſque cogitatiónes, quæ in corde tuo púllulant vince: ita Mártyres imitábere. Tu autem.

Die sexta infra Oct.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Sermon. 3. de S. Cypriano edit. benedict.

Lectio iij.

ISTum nobis festum diem, pássio beatíssimi N. Martyris fecit; cujus nos victóriæ celébritas: in istum locum devotíssimos congregávit. Sed celebrátio solemnitátis Mártyrum: imitátio debet esse virtútum. Facilè est hónorem Martyris celebrári: magnum est fidem atque patiéntiam mártyris imitári. Hoc sic agámus, ut illud optémus: hoc sic celebrémus, ut illud potiùs diligámus. Quid laudámus in fide mártyris; quia usque ad mortem pro veritáte certávit: & ideò vicit. Blan-

diéntem mundum contémpsit; sæviénti non cessit: ídeo victor ad Deum accéssit. Abúndant in isto sæculo erróres & terróres; beatíssimus Martyr, erróres sapiéntiâ: terróres patiéntiâ superávit. Magnum est quod fecit; secútus agnum: leónem vicit. Quandò persecútor sæviébat: leo fremébat. Sed quia agnus sursum attendebátur; leo deórsum calcabátur: qui morte mortem destrúxit, ligno pepéndit; sánguinem fudit: mundum redémit. Tu autem.

Die septima infra Oct.

De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Sermone de sancto Genesio

Lectio iij.

HOdie natále sancti N. celebrámus: & méritum: Beátorum mártyrum passiónes, natáles vocámus dies; quando eos martyrij vita & glóriæ fides dum íngerit morti, génuit æternitáti: & perpétua gáudia brevi dolóre partúriit. Meritò planè dicéndi natáles dies, per quos illi, qui nati fúerant in hanc fragilitátis humánæ, misériam; súbitò renascúntur in glóriam: vitæ perénnis inítium, de mortis fine suméntes. Etenim si istos dies natáles vocámus, quibus in hanc lucem in delíctis & dolóribus náscimur ad dolóres; quibus in hunc mundum cum fletu infántiæ vagiéntes ingrédimur; omnis homo quasi futúræ per totam vitam prophéta misériæ: infelicitátem, natúræ primâ illâ lachrymábili voce testátur. Si quidem primo statu vita nascéntium; quæ ad omnem suspécta cursum: in tribulatióne ágitur. Justiùs ergò isti celebrántur natáles, quibus sancti ex corruptíbili luce in novam illam futúri sæculi véniunt claritátem; & filij hóminum in adoptiónem divínæ paternitátis ascéndunt: & consórtes paulò antè mortálium, súbitò cives incípiunt esse Angelórum. Ex eórum número erat beátus ille; cujus hódie præclárum gloriósi agónis: celebrámus triúmphum. Tu autē.

In die Octava, novem Lectionum. Omnia ut in die, præter Lectiones. Ad Vesperas Antiph. & Psalmi de Feria occurrente.

Capi

Capitulum. ℣. *Antiphona.* Ad Magnificat, *omnia ut in secundis Vesperis diei Festi.*

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex laudat. S. Iuliani martyris.

Lectio iv.

VOciferátus est iste martyr cum Paulo dicénte: Deo autem grátias qui triúmphat nos in Christo. Quantò afflictiónem témporis diuturnitáte protendebat tyránnus: tanto probatiórem patiéntiam ejus reddébat. Nam & aurum, quo diútiùs cum ignis natúrâ versátur, púrius evádit: quemádmodum & tùm sancti ánima, témpore examináta magis refulgébat; nec áliud quiddam: quàm trophæum advérsùs seípsum & diábolum. Mártyrem circumferébat, crudelitátis Gentílium arguméntum; Christianórum pietátis judícium; virtútis Christi signum máximum, incitaméntum & consílium fidélibus: ut prompto & álacri ánimo in iísdem certamínibus persevérent; divínæ glóriæ præcónem: tálium certáminum disciplínæ magístrum. Cunctos enim ad imitatiónem sui non voce tantum suádens; sed factis ipsis: tubâ clariórem mittens vocem, cohortabátur. Tu autem.

Lectio v.

SAnctus ítaque Martyr in médium producebátur, & acérba úndique supplícia circumstábant; metus futurórum; labor præséntium; dolor ingruéntium: eórum quæ expectabátur formído. Tanquam enim béelluæ quædam immánes carnífices corpus ejus circunsidéntes; látera effodiébant; carnem deradébant; ossa denudábant: víscera ipsa interióra pervadébant. Attamen cùm cuncta pervestigárent: thesáurum fidei deprædári minímè valuérunt. Enim verò in Regum æráriis, ubi aurum aliæque copiósæ sunt opes recónditæ; si paríetes solùm perfóderis; si fores reseráveris; contínuo thesáurum objéctum vides: at hìc in sancto

isto; Christúmque contir nénti templo contrárium accidébat. Perfodiébant muros carnífices; pectoráque dirumpébant & recónditas opes, nec cernébant, nec rápere póterant. Tu autem. *Lectio vj.*

Cum corpus Mártyris undequáque scrutaréntur; thesáurum tamen deprehéndere fideíque divítias exhauríre non valébant. Tália sunt ánimæ sanctórum recte factæ, quæ nec aufférri nec vinci possunt; in ánimæ fortitúdine tanquàm in ásylo quodàm & sacrosáncto loco recóndita ut nec óculi tyrannórum ea cernant, nec manus carníficum rápere possit. Sed licet ipsum cor effódiant, cui præcipuè crédita est ánimæ fortitúdo; licet in minúta frusta concídant; ne sic quidem opes exháuriunt: sed eas amplióres étiam reddunt. Hujus rei causa Deus est, qui ánimas tales inhábitat; qui verò Deo bellum ínferat, fíeri nequit unquam, ut victor evádat: sed necésse est, ut ludíbriis hábitus, turpitérque superátus abscédat. Tu autem,

In tertio Nocturno.

Lectio vij.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam. *Luc 9.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Si quis vult post me veníre; ábneget semetípsum: & tollat crucem suam quotídie, & sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet illam; nam qui perdíderit ánimam suam propter me: salvam fáciet illam. Et réliqua.

Homília S. Gregórij Papæ. *Homil. 32. in Evangelia.*

Non súfficit nostra relínquere: nisi relinquámus & nos. Quid est quod dícimus; relinquámus & nos? Si enim nosmetípsos relínquimus: quò íbimus extra nos. Vel quis est qui vadit: si se déserit. Sed áliud sumus per peccátum lapsi: áliud per natúram cónditi; áliud quod fécimus: áliud quod facti sumus. Relinquámus nosmetípsos, quales peccándo nos fécimus: & maneámus nosmetípsi, quales per grátiam facti sumus. Ecce enim qui supérbus fuit; si convérsus ad Christum húmilis

humilis factus est: semetípsum réliquit. Si luxurióśus quisque ad continéntiam vitam mutávit: abnegávit utiquè quod fuit. Si avárus quisque ambíre jam désiit; & largíri dídicit própria, qui priùs rapiébat aliéna: proculdúbio semetípsum relíquit. Ipse quidem est per natúram: sed non est ipse per malítiam. Tu autem.

Lectio viij.

TUnc ergo nosmetípsos relínquimus, tunc ipsos nos abnegámus; cùm vitámus quod per vetustátem fúimus: & ad hoc nítimur, quò per novitátem vocámur. Pensémus quómodò se Paulus abnegáverat: qui dicébat. Vivo autem: jam non ego. Extínctus namque fúerat sævus ille persecútor: & vívere cœperat pius Prædicátor. Si enim ipse esset qui priùs: pius profécto non esset. Sed qui se vívere dénegat: dicat. Vivo autem: jam non ego. Unde & post sancta verba, quæ per doctrínam veritátis clamat; prótinùs subdit: Vivit verò in me Christus. Ac si apértè dicat; Ego quidem à meipso extínctus sum: quia carnáliter non vivo; sed tamen essentiáliter mórtuus non sum: quia in Christo spirituáliter vivo. Tu autem. *Lectio ix.*

SEd jam qui se à vítiis ábnegat; exquiréndæ ei virtútes sunt: in quibus crescat. Nam cùm dictum est, qui vult post me veníre, ábneget semetipsum; prótinùs ádditur: tollat crucem suam quotídie & sequátur me. Duóbus étenim modis crux tóllitur; cùm aut per abstinéntiam afficitur corpus: aut per compassiónem próximi affligitur ánimus. Pensémus quáliter utróque modo Paulus crucem suam túlerat: qui dicébat. Castígo corpus meum, & in servitútem rédigo; ne fortè áliis prædicans: ipse réprobus efficiar. Ecce in afflictióne córporis audívimus crucem carnis; audiámus nunc in compassióne próximi: crucem mentis. Ait enim. Quis infirmátur, & ego non infirmor? Quis scandalizátur, & ego non uror? Perféctus quippe prædicátor; ut exémplum daret abstinéntiæ: crucem

portábat in córpore. Et quia in se trahébat damna infirmitátis aliénæ: crucē portábat in corde. Tu autē.

COMMUNE *Plurimorum Martyrum.*

Ad Vesperas si sit Festum duplex. *Aña.* Justórum ánimæ. *cum reliquis de Laudib.* lxv. *Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica* 148. *sed loco ultimi Psalmi.* Laudáte Dñm omnes gentes. 153. *Si non sit Festum duplex, ad Vesperas Antiph. & Psalmi de Feria occurr.*

Capitulum. Sap. 5.

JUsti in perpétuum vivent; & apud Dñm est merces eórū: & cogitátio illórum, apud Altíssimum. ℣. Justórū ánimæ in mánu Dei sunt. ℟. Et non tanget illos torméntum malítiæ.

Ad Magnificat Antiph. Beáti éritis cum vos óderint hómines, & cum separáverint vos, & exprobráverint; & ejécerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hóminis: gaudéte & exultáte, ecce enim merces vestra multa est in cælo. Orémus.

DEus qui nos concédis Sanctórum Mártyrum tuórum N. & N. natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine, de eórum societáte gaudére. Per Dñm.

Ad primam Processionem. Responsor. Abstérsit Deus omnem, láchrymā ab óculis eórum, & mors non erit ámplius; neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: * Quóniam prióra transiérunt.

Oratio. Orémus.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui gloriósos Mártyres N. & N. fortes in sua Confessióne cognóvimus: pios apud te, in nostra intercessióne sentiámus. Per Dñm.

Ad secundam Processionem. Responsor. Isti sunt Sancti, qui passi sunt propter te Dómine; víndica eos: * Quia clamant ad te quotídie. Orémus.

INfirmitátē nostrā quæsumus Dñe propítius réspice; & mala ómnia quæ justè merémur: Sanctórū tuórū intercessióne avérte. Per Dóminum.

Ad Completorium, Hymnus. Ætérna Christi múnera. *fol.* iij.

Ad Matutinum Invitat. Regem Mártyrum Dñm

venite

veníte adorémus. *Psal* Veníte exultémus. 2.

In primo Nocturno.

Ant. Sancti qui sperant.

Psalmus 1.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum: * & in via peccatórum non stetit: * & in cáthedra pestiléntiæ, non sedit.

Sed in lege Dómini, volúntas ejus: * & in lege ejus meditábitur, die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantátum est, secus decúrsus aquárum: * quod fructum suum dabit, in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúnque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii non sic: * sed tanquam pulvis, quem prójicit ventus, à fácie terræ.

Ideó non resúrgent ímpij in judício: * neque peccatóres, in concílio justórum.

Quoniam novit Dóminus, viam justórum: * & iter impiórum peribit.

Glória Patri.

Aña. Sancti qui sperant in Dño mutábūt fortitúdinē, asśumēt pennas ut áquilæ, volábunt & non deficient.

Ant. Ecce merces Sāctórū.

Psalm. 2.

QUare fremuérunt gentes: * & pópuli meditáti sunt inánia.

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsùs Dñm, & advérsùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis, jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos, in ira sua: * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus: * prædicans prçcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me, fílius meus es tu: * ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi gentes hçreditátem tuam: * & possessiónem tuam, términos terræ.

Reges eos in virga férrea: * & tanquam vas fíguli, confringes eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre: * & exultáte ei, cū tremóre.

Apprehéndite disciplínam: * nequándò irascátur Dóminus, & pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus: * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Glória Patri.

Aña. Ecce merces sanctórum copiósa est apud Deũ, ipsi enim mórtui sunt pro Christo, & vivunt in ætérnum. *Aña.* Justi autem.

Psalmus 3.

DOmine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me: * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * non est salus ipsi, in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es: * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * & exaudívit me, de monte sancto suo.

Ego dormívi & soporátus sum: * & exurréxi quia Dóminus, suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circundántis me: * exúrge Dómine salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * & super pópulum tuum, benedíctio tua. Glória Patri.

Aña. Justi autem in perpétuum vivent, & apud Dñm est merces eórum.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde. Pater noster.

Deprec. Exúrge súscipe.

Benedictio. Adjútor.

De Epístola B. Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 8.

FRatres, debitóres sumus non carni: ut secúndùm carnem vivámus. Si enim secúndùm carnem vixéritis moriémini; Si autem spíritu, facta carnis mortificavéritis: vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur: ij sunt filij Dei. Non enim accepístis Spíritum servitútis iterùm in timóre; sed accepístis Spíritum adoptiónis filiórum: in quo clamámus, Abba, Pater. Ipse enim Spíritus testimónium reddit Spirítui nostro: quod sumus filii Dei. Si autem filij, & hæredes; hærédes quidem Dei: cohærédes autem Christi. Si támen

compátimur: ut & conglorificémur. Exíſtimo enim quod non ſunt condígnæ paſſiónes hujus témporis: ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ: revelatiónem filiórum Dei expéctat. Tu autem.

℟. Abſtérſit Deus omnem láchrymam ab óculis eórum; & mors non erit ámpliùs, neque luctus neque clamor, ſed nec ullus dolor: * Quóniam prióra tranſiérunt. ℣. Juſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & nō tanget illos torméntum malítiæ. Quóniam. *Benedict.* Benedictiónibus ſuis.

Lectio ij.

SCimus autem quóniam diligéntibus Deum; ómnia cooperātur in bonum: iis qui ſecúndùm propóſitum vocáti ſunt ſancti. Nā quos præſcívit; & prædeſtinávit cōfórmes fíeri imáginis filii ſui: ut ſit ipſe primogénitus in multis frátribus. Quos autē prædeſtinávit, hos & vocávit; & quos vocávit, hos & juſtificávit; quos autem juſtificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hęc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiā próprio filio non pepércit, ſed pro nobis ómnibus trádidit illum; quómodo non etiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accuſábit advérsùs electos Dei? Deus qui juſtíficat; quis quis eſt qui condémnet? Chriſtus Jeſus qui mórtuꝰ eſt, imò qui & reſurréxit; qui eſt ad déxteram Dei: qui etiam interpéllat pro nobis. Tu autem.

℟. Iſti ſunt Sancti, qui paſſi ſunt propter te Dñe; víndica eos: * Quia clamant ad te quotídie. ℣. Víndica Dómine ſánguinem Sanctórum tuórum qui effúſus eſt. Quia clamant. *Bened.* Cæléſtem benedictionem.

Lectio iij.

QUis ergo nos ſeparábit à Charitáte Chriſti? tribulátio, an angúſtia, an fames, an núditas, an periculum, an perſecútio, an gládius; Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificámur tota die, eſtimáti ſumꝰ ſicut oves occiſiónis. Sed in his ómnibus ſuperámus: propter eū qui diléxit nos. Certus ſum enim; quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque prin-

cipátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre à Charitáte Dei: quæ est in Christo Jesu, Dómino nostro. Tu autem.

℟. Beáti pacífici, beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt: * Et filij Dei vocabúntur.
℣. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cælórum. Et filii. Glória Patri. Et filij Dei.

In secundo Nocturno.

Aña. Justus Dóminus.

Psalmus 10.

IN Dómino confido: * quómodò dícitis ánimæ meæ, transmígra in montem sicut passer.

Quóniam peccatóres intendérunt arcum: * paravérunt sagíttas suas in pháretrâ: * ut sagíttent in obscúro, rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti destruxérunt: * justus autem quid fecit.

Dóminus in templo sancto suo: * Dóminus in cælo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant, filios hóminum.

Dóminus intérrogat justum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus & justítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus. Glória Patri.

Aña. Justus Dóminus, justítias diléxit, æquitátem vidit vultus ejus.

Aña. Via justórum.

Psalmus 14.

DOmine quis habitábit in tabernáculo tuo: * aut quis requiéscet, in monte sancto tuo.

Qui ingréditur sine mácula: * & operátur justítiam.

Qui lóquitur veritátem in corde suo: * qui non egit dolum, in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum: * & oppróbrium non accépit, advérsùs próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est, in conspéctu ejus malignus: *

ſignus: * timéntes autem Dóminum, gloríficat.

Qui jurat próximo ſuo & non décipit: * qui pecúniam ſuam non dedit ad usúram: * & múnera ſuper innocéntem, non accépit.

Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum.

Glória Patri.

Ant. Via juſtórum recta facta eſt, & iter Sanctórum præparátum eſt.

Ant. Sanctis qui in terra ſunt.

Pſalmus 15.

CONſérva me Dómine, quóniã ſperávi in te: * dixi Dómino Deus meus es tu: * quóniam bonórum meórum, non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus: * mirificávit omnes voluntátes meas, in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum: * poſteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum, per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei: * tu es qui reſtituíſti hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea, præclára eſt mihi,

Benedícam Dóminũ qui tríbuit mihi intelléctum: * ínſuper & uſque ad noctem, increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum, in conſpéctu meo ſemper: * quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear.

Propter hoc, lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea: * ínſuper & caro mea, requiéſcet in ſpe.

Quóniam non derelínques ánimã meam in inférno: * neque dabis ſanctum tuum, vidére corruptiónẽ.

Notas mihi fecíſti vias vitæ, * adimplébis me lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua, uſque in finem.

Glória Patri.

Ant. Sanctis qui in terra ſunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas, inter illos.

℣. Juſtus Dóminus, juſtítias diléxit.

℟. Æquitátem vidit vultus ejus. Pater noſter. *Deprecatio.* Oſténde nobis Dñe. *Bened.* Deus Dei filius.

De Sermóne sancti Euchérij Lugdunénsis Epísc.

Sermone de S. Genesio sub finem. *Lectio iv.*

QUam pretiósa sunt mártyrum vúlnera, quam gloriósa certámina; inter quæ torméntis vivéntes, & mórtibus triumphántes, vexáti in paucis: benè disponúntur in multis. Coram homínibus afflícti; coram Angelis glorificándi: brevem Deo vitam, sub ætérnitátis commércio fœneravérunt. Et ideò sicut aurum in fornáce ignis: ita illi in camíno tribulatiónis probáti: fulgébunt sicut sol. De quibus per beátum Joánnem vox divína testátur; Hi sunt qui venérunt ex magná tribulatióne, & lavérunt stolas suas, & cándidas eas fecérunt in sánguine Agni: propter hoc stabũt in conspéctu throni. Hos ergo charíssimi ita mirémur, ut hómines fuísse meminérimus; hos inquam ita mirémur, ut eos nostri símiles novérimus, & sub eádem quâ nos sumus, carnis fragilitáte vixísse: & per hoc sequámur inquántum póssumus fidem illórum, sectémur ánimi virtútem; quâ terréna & præséntia respuéntes: vim regnis cæléstibus intulérunt. Tu autem.

℟. Beáti éritis, cum maledíxerint vobis hómines, & persecúti vos fúerint, & díxerint omne malum advérsùm vos mentiéntes, propter me. * Gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis. ℣. Cum vos óderint hómines, & cum separáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hóminis. Gaudéte. *Bened.* Ætérnam benedictiónem.

Lectio v.

SUperavérunt illi córporum dolóres: nos superémus morum, & córdium passiónes. Vicérunt illi torménta: nos vítia. Illi sacrificáre dæmóniis horruérunt; nos malítiam, invídiam, obtrectatiónes, contentiónes: tanquam prophána sacrificia detestémur. Ut inter hujus mundi conflictiónis vítia; persecutóres virtútis probent esse nos mártyres. Persequámur in nobis peccata

cáta,& iniquitátes nostras. Expugnémus supérbiam: debellémus iracúndiam. Ipsi in nobis & persecutóres partes exequámur, & mártyrum; per castigatiónem vigiliárum, per contritiónem jejuniórum, & per custódiam castitátis: exhibeámus córpora nostra hóstiam vivéntem, sanctam, placéntem Deo. Tu autem.

℟. Effudérunt sánguinem sanctórum velut aquam: * In circúitu Jerúsalem, & non erat, qui sepelíret. ℣. Posuérunt mortália servórum tuórum escas volatílibus cœli. In circúitu. *Bened.* Grátia Spíritus sancti. *Lectio vj.*

ACquirámus nobis novum, non carnis morte, sed carnális vitæ mortificatióne mártyriũ; ut de nobis quoque étiam vivéntibus dici possit: Pretiósa in conspéctu Dómini, mors sanctórum ejus. Ergò in quantum fieri potest extinguátur in nobis quicquid peccáti est: mortificétur morti quod sæculi est, ut pretiósa perficiátur in conspéctu Dómini mors vivéntium. Ut animositátes, cupiditátes, atque præséntium blãdiménta rerum; sicut ea mors extorquébat invítis: ita ea nobis véritas fidei, & Dei áuferat timor. Ut non necéssitas ea à nobis séparet, sed volúntas; ut términum vítiis, ut finem concupiscéntiis, ac delíctis nostris non intéritus fáciat: sed profé ctus. Tu autem.

℟. Adoravérunt vivéntem in sæcula sæculórum, mitténtes corónas suas, * Ante thronum Dómini Dei sui. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos. Ante thronum. Glória Patri. Ante thronum.

In tertio Nocturno.

Aña. Hæc est generátio.

Psalmus.

DOmini est terra & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini: * aut quis stabit in loco sancto ejus.

Innocens mánibus & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam:

ſuam: * nec jurávit in dolo, próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo, ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes veſtras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ: * Dóminus fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes veſtras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ: * Dóminus virtútum, ipſe eſt Rex glóriæ.

Glória Patri.

Aña. Hæc eſt generátio quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob.

Antiphona. Clamavérunt.

Pſalmus.

BEnedícam Dóminum in omni témpore: * ſemper laus ejus, in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant manſuéti & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * & exaltémus nomen ejus, in idípſum.

Exquisívi Dóminum & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis, erípuit me.

Accédite ad Deum & illuminámini: * & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & ex ómnibus tribulatiónibus ejus, ſalvávit eum.

Immíttit Angelus Dómini, in circúitu timéntium eum: * & erípiet eos.

Guſtáte & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus: * beátus vir qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum omnes ſancti ejus: * quóniam non eſt inópia, timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum, non minuéntur, omni bono.

Veníte filij audíte me: * timórem Dómini, docébo vos.

Quis eſt homo, qui vult vitam: * díligit dies, vidére bonos.

Prohíbe linguam tuam à malo; * & lábia tua, ne loquántur

loquántur dolum.

Divérte à malo & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus, ad preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra, memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum, liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his, liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his, non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes, qui sperant in eo.

Glória Patri.

Aña. Clamavérunt justi & dóminus exaudívit eos.

Aña. Dedísti. *Psalmus.*

EXáudi Deus, deprecatiónem meam: * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor meum: * in petra exaltásti me.

Deduxísti me quia factus es spes mea: * turris fortitúdinis, à fácie inimici.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula: * prótegar in velaménto, alárum tuárum.

Quóniam tu Deus exaudísti oratiónem meam: * dedísti hæreditátem timéntibus, nomen tuum.

Dies super dies Regis adjícies: * annos ejus usque in diem generatiónis, & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspectu Dei: * misericórdiam & veritátem ejus, quis requíret.

Sic Psalmum dicam nómini tuo, in sæculum sæculi: * ut reddam vota mea, de die in diem.

Glória Patri.

Aña. Dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum Dómine.

℣. Justi in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Pater noster.

Depre

Deprecatio. Adjutórium noſtrum.

Benedictio. Redémptor.

Léctio ſancti Evangélij ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore Dixit Jeſus diſcípulis ſuis. Cum audiéritis prælia & ſeditiónes nolíte terréri; opórtet primum hæc fieri ſed nondum ſtatim finis. Tunc dicébat illis; ſurget gens contra gentem & regnum advérsùs regnum. Et réliqua.

Homília S. Gregórij Papæ.

Homil. 35. in Evangêlia.

MOrs juſtórum bonis in adjutórium eſt, malis in teſtimónium; ut inde pervérſi ſine excuſatióne péreant unde elécti exémplum cápiunt, ut vivant. Nam audítis tot terróribus turbári póterant infirmórum corda; atque ídeò conſolátio adjúngitur: cùm protinùs ſubinfértur, Pónite ergo in córdibus veſtris non præmeditári, quemádmodum reſpondeátis. Ac ſi apértè membris ſuis infirmántibus dicat; nolíte terréri nolíte pertiméſcere. Vos ad certámen accéditis ſed ego prælior. Vos verba éditis ſed ego ſum qui loquor. Séquitur. Tradémini autem à paréntibus. Minórem dolórem mala ingérunt quæ ab extráneis inferúntur. Plus verò in nobis ea torménta ſæviunt, quæ ab illis pátimur de quorum méntibus præſumebámus; quia cum damno córporis mala nos crúciant amíſſæ charitátis. Tu autem.

℟. Sancti tui Dómine mirábile conſecúti ſunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæſi in aquis válidis, terra apáruit árida: * Et in mari rubro, via ſine impediménto. ℣. Sitiérunt & invocavérunt te, & data eſt illis aqua de petra altíſſima. Et in mari. *Bened.* Unigénitus Dei filius.

Lectio viij. Poſt pauca.

CApíllus de cápite veſtro non períbit. Scimus fratres quia caro incíſa dolet capíllus incíſus non dolet. Ait ergo Martyribus ſuis, capíllus de cápite veſtro non períbit, vidélicèt apértè dicens; Cur timétis ne péreat quod incíſum dolet quando & illud

illud in vobis períre non poteſt quod incíſum non dolet. Séquitur. In patiéntiâ veſtrâ poſſidébitis ánimas veſtras. Idcircò poſséſſio ánimæ in virtúte patiéntiæ pónitur: quia radix ómnium cuſtóſque virtútum patiéntia eſt. Per patiéntiam verò poſſidémus ánimas noſtras; quia dum nobisípſis domináridíſcimus: hoc ipſum incípimus poſſidére quod ſumus. Patiéntia verò eſt: aliéna mala æquanímiter pérpeti; contra eum quoque qui mala írrogat: nullo dolóre mordéri, Tu autem.

℟. Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt, * De láqueo Venántium. ℣. Láqueus, contrítus eſt, & nos liberáti ſumus. De láqueo. *Bened.* Ad ſupernórum.

Lectio ix. Sub finem.

SEd quia natálem Mártyrum hodiérnâ die cólimus fratres mei; nequáquàm nos à virtúte eórum patiéntiæ: exiſtimáre extráneos debémus. Si enim adjuvánte nos Dómino virtútem patiéntiæ ſerváre conténdimus; & in pace Eccléſiæ vívimus: & tamen martyrij palmam tenémus. Duo quippè ſunt mártyrij génera; unum in mente: áliud in mente ſimul, & actióne. Itaque eſſe mártyres póſſumus: étiamſi nullo ferro percutiéntium trucidémur. Mori quippè à perſequénte; martyrium in apérto ópere eſt: ferre verò contumélias; odiéntem dilígere: Martyrium eſt in occúltâ cogitatióne. Tu autem Dómine.

℟. Laudáte gentes pópulum Dómini, quia sánguinem ſanctórum ſuórum ulciſcétur: * Et propítius erit terræ pópuli ſui. ℣. Et vindíctam retríbuet in hoſtes eórum. Et propítius. Glória Patri. Et propítius.

Si verò fuerit Feſtum Duplex vel occurrerit in Dominic ,non dicitur. Glória Patri, *Quia dicitur.* Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Antiphona.

JUſtórum ánimæ in manu Dei ſunt & non tanget illos torméntum malítiæ. *Pſalm.* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.* 20.

Aña. Etſi coram homínibus

bus torménta passi sunt; spes electórum immortalitate plena est. *Ana.* Tanquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus; & quasi holocáusta, accépit illos. *Ana.* Spíritus & ánimæ justórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúia, allelúia. *Aña.* Exultábunt Sancti in glória lætabúntur in cubílibus suis.

Capitulum. Sap. 5.

JUsti in perpétuum vivent; & apud Dóminum est merces eórum: & cogitátio illórum apud Altíssimum.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Delecténtur in lætítia.

Ad Benedict. Antiphona. Fulgébunt justi, & tanquã scintíllæ in arundinéto discúrrent; judicábunt natiónes, & vivunt in ætérnum.

Oratio. Orémus.

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. & N. natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine, de eórum societáte gaudére. Per Dñm.

Ad Tertiam, Capitul. Justi in perpétuum vivent, *ut supra.* ℟. Sancti tui Dómine benedícent te. Sancti tui. ℣. Glóriam regni tui dicent, & poténtiam tuam loquéntur, Sancti tui. Glória Patri. Sancti tui. *Versus.* Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. delectētur in lætítia.

Oratio. Deus qui nos concédis Sanctórum Mártyrum. *ut suprà.*

¶ *Ad Sextam. Capitulum.* Heb. 11.

SAncti per fidem vicérunt regna; operáti sunt justítiam: adépti sunt repromissiónes.

℟. Exúltent justi in conspéctu Dei. *Repet.* Exúltent justi. ℣. Delecténtur in lætítia. Exúltent justi. Glória Patri. Exúltent. ℣. Lætámini in Dómino & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio. Orémus.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui gloriósos Mártyres N. & N. fortes in sua confessióne cognóvimus: pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Ad Nonam. Capitulum. Sap. 3.

FUlgébũt justi, & tanquã scintíllæ in arundinéto discúrrent; judicábunt natiónes

tiónes & dominabúntur pópuli: & regnábit Dóminus illórum in perpétuum. ℟. Lætámini in Dómino & exultáte justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Lætámini. Glória Patri. Lætámini. ℣. Justi in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Oratio. Orémus.

INfirmitátem nostrã quǽsumus Dómine propítius réspice; & mala ómnia quæ justè merémur: Sanctórum tuórum intercessióne avérte. Per Dñm.

Ad Vesperas si sit Festum duplex. Antiphona. Justórum animæ. *cum reliquis de Laudibus.* 20. *Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.* 148. *& loco ultimi, Psalm.* Credidi. 152.

Si autem non fuerit Festum duplex Antiph. & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum. Justi in perpétuum vivent. *ut sup.* ℣. Justórum ánimæ in manu Dei sunt. ℟. Et non tanget illos torméntum malítiæ.

Ad Magnificat. Aña. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt promissiónes. *Oratio.* Deus qui nos concédis. *ut suprà.*

Ad Processionem primum Respõs. Officij diei sequetis.

In Festo plurimorum Martyr. iij. Lect. ad Vesp. Aña. & Psalmi de Feria occurr. Capitulum ℣. ut sup. ad Magnificat, *Aña.* Isti sunt Sancti qui pro testaménto Dei, sua córpora tradidérunt, & in sánguine Agni lavérunt stolas suas. *Si verò Festum plurimor. Mart. iij. Lect. bis in eâdem Hebdomada celebretur, tunc ad Vesperas secundi Festi, dicitur ad* Magnificat *Aña.* Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad præmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. *Ad Matut. Invitator.* Regem Mártyrum Dóminum. *Novem Antiphona & novem Psalmi ut supra.* ℣. *Deprecatio. & Benedictiones, eodem ritu, quo notatum est supra in communi Apostolorum* xx. *ad Laudes omnia ut suprà. Aña ad Benedict.* Tradent enim vos in concíliis,

ciliis, & in synágogis suis flagellábunt vos, & ad reges & præsides ducémini, propter me, in testimónium illis, & géntibus. *Si verò Festum plur. Mart. iij. Lect. bis in eâdem Hebd. celebretur. Tunc ad Laudes secundi Festi, dicitur ad Bened. Aña.* Vestri capílli cápitis, omnes numeráti sunt, nolíte tímere multis passéribus melióres estis vos. *Cætera dicuntur ut suprà.*

Si contingat celebrari octavam de pluribus Martyribus. Officium infra oct. fit ut supra in Festo trium Lect. ritu quo notatum est in communi Apostolorum.

Invitatorium, novem Antiph. & novem Psalmi ut in die festi. Duæ primæ Lectiones de Script. occurr. Tertia verò ut notatur infra pro qualibet die.

Ad Laudes & horas ut in die festi. Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurr. Capitulum, Versus, & Antiphona ad Magnificat ut in die Festi.

Die secũda infra Octav.

De Sermóne S. Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

Lib. 2. Epistolar. epist. 6.

Lectio iij.

Quibus ergo vos laúdibus prędicem, fortíssimi fratres; robur péctoris vestri, & perseverántiam fidei: quo præcónio vocis exórnem. Toleráſtis usque ad consummatiónem glóriæ, duríssimam quæstiónem; nec cessístis suppliciis: sed vobis pótiùs supplícia cessérunt. Finem dolórum, quem torménta non dabant: corónæ dedérunt. Laniéna grávior ad hoc diu perseverávit; non ut stantem fidem dejíceret: sed ut hómines Dei, ad Dóminum velócius mítteret. Vidit admírans præséntium multitúdo cæléste certámen; certámen Dei; spirituále certámen: prælium Christi. Stetísse servos ejus voce líbera; mente incorrúpta; virtúte divína: telis quidem sæculáribus nudos; sed armis fidei: credéntes armátos. Stetérunt torti, torquéntibus fortióres; & pulsántes ac laniántes úngulas: pulsáta ac laniáta membra vicérunt. Inexpugnábilem fidem superáre non pótuit sæviéntis diù plaga repetíta.

ta; quamvis ruptâ compáge víscerum, torqueréntur in servis Dei non jam membra sed vúlnera. Fluébat sanguis; qui incéndiũ persecutiónis extíngueret qui flammas & ignes gehénnæ, glorióso cruóre sopíret. Tu autem.

Die tertia infra Octavam.

De Sermóne S. Ephrem Ecclésiæ Edessénæ Diáconi.

Serm. de laudibus sanctorum Martyrum.

Lectio iij.

QUibus ergo vos prædicem ô perfécti mílites Christi; aut quómodo appéllem vos, ínclyti atque beatíssimi viri? Quis vestræ fidei laudes explicáre sufficiat? Obstúpuit nempe oratórum facúndia; Philosophorúmque sapiéntia dum cernúntur mirabília in Christi fámulis fieri. Judícibus ac Tyránnis verba defecérunt; sanctórum Mártyrum constántiam & alacritátem immensámque athletárum Christi toleràntiam aspiciéntibus. Nam dum lictórum manus eórum membra torquérent, visceráque nudárent; non mœréntes aspexére, non tristes nec solùm inter cruciátus gémitum nõ edéntes; verùm lætióre fácie gáudia ætérna testántes. Quippe illis ea erant torménta pro réquie & carnífices óbsequi pótiùs, quam sævíre videbántur. Nos autem fratres, quam óbsecro apud Deum in die judícij excusatiónem habitúri sumus; qui sine persecutiónis atrocitáte, & cruciátibus váriis, charitátem Dei, vitámque nostram ita neglígimus ac tanto córporis somno demérsi sumus. Tu autem.

Die quarta infra octavam.

De Sermóne sáncti Augustini Epíscopi.

Serm. 335. edit. Bened.

Lectio iij.

SEd nunquid sancti Mártyres periérunt quandò securitátem à Dómino, étiam de capíllo accepérunt. Perit manus; ubi non perit pilus? Perit caput; ubi non perit capíllus? Ubi non perit pálpebra; perit óculus? Hac ergò accéptâ magnâ securitáte impendérunt seípsos. Opéribus ergo bonis seminémus, cum

cùm tempus est: dicénte Apóstolo; qui parce séminat parce & metet. Infatigábiles inquit, cum tempus habémus operémur bonum ad omnes: máximè autem ad doméstícos fidei. Et íterùm. Bonum, inquit, faciéntes non deficiámus tempore enim suo metémus. Qui defécerit in sémine: non gaudébit in messe. Quare ergo in láchrymis; cum ómnia opera bona habére débeant hilaritátem? Et quidem de Martyribus dici potest: quia cum láchrymis seminavérunt. Fórtiter enim certavérunt: & in magnis tribulatiónibus fuérunt. Tu autem.

Die quinta infra octavam.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 335. edit. benedit. in natali Martyrum.

Lectio iij.

QUoniam dies Sanctórum Mártyrum est: undè pótiùs aliquid deléctet nos dícere; nisi de glória ipsórum? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò antè, beátum Apóstolum prædicántem. Quis nos separábit à Charitáte Christi? Ista vox est, Mártyrum. Tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an periculum, an gládius? Sicut scriptum est. Propter te mortificámur tota die: deputáti sumus, ut oves occisiónis. Sed in ómnib⁹ superámus: propter eum, qui diléxit nos. Hæc est vox mártyrum, ómnia toleráre, & de se nihil præsúmere; illum dilígere, qui glorificátur in suis: ut qui gloriátur in Dómino gloriétur. Tu autem.

Die sexta infra octavam.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone 331. edit. bened. in natali Martyrum.

OPtimè dicunt sancti Mártyres in Psalmo, Júdica me, Deus & discérne causam meam: de gente non sanctâ. Discérne, inquit, tribulatiónem meā; tribulántur, & avári: Discérne angústias meas, patiúntur angústias, & avári. Discérne persecutiónes meas: patiúntur & avári. Discérne mortem meam: pro

pro auro moriúntur, & avári. Quid est, discérne causam meam? Propter te mortificámur tota die. Illi propter aurum: nos propter te. Símiles pœnæ; sed discréta causa: ubi ergò est discréta causa, certa est victória. Si ergò causam intuémur; solemnitátes Mártyrum amámus: amámus in eis, non passiónes, sed causas passiónū. Nam si amarémus passiónes; multos inventúri sumus: qui pejóra patiúntur in causis malis. Sed si causam attendámus: crucem Christi atténdite. Ibi erat Christus, ubi & latrónes. Símilis pœna: sed dissímilis causa. Unus latro crédidit, álius blasphemávit. Dóminus tanquàm de tribunáli: inter ambos judicávit. Illum qui blasphemávit; in Tártarum damnávit: álium in paradíso secum constítuit. Quare hoc: quia etsi æquális pœna: sed impar erat causa. Elígite ergo Mártyrum causas: si vultis perveníre, ad Mártyrum palmas. Tu autem.

Die septima infra Octavam.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 328. edit. benedict. in natali Martyrum.

Lectio iij.

IN Psalmo díximus Dómino Deo nostro. Pretiósa est in conspéctu Dñi: mors Sanctórum ejus. Pretiósa est mors sanctórum Mártyrū: quia prétium eórum, sanguis Dómini ipsórum. Passus est enim passióne sua: quia erant passúri post ipsum. Præcéssit ipse: & secúti sunt multi. Valdè enim erat áspera via; sed fecit ipsam lenem: quandò ipse antè omnes transívit. Ideò cæteri non timuérunt transíre: quia ipse, prior transívit. Mórtuus est enim, & térruit discípulos suos; Resurréxit, & ábstulit illis timórem: & dedit amórem. Quandò enim mórtuus est Christus; trepidavérunt discípuli: & putavérunt quod périit. Quandò secúti sunt: ibi vidéte grátiam Dei. Tunc latro crédidit: quandò discípuli trepidavérunt. Erat enim unus latro in cruce cum illo; sicque in illum crédidit ut díceret: Dómine in mentem

mentem me habe, dum véneris in regnum tuum. Quis illum docébat, nisi qui juxta illum pendébat? Erat enim illi fixus à látere, sed habitábat in corde. Tu autem.

In die Octavâ; novem Lectionum, omnia ut in die.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Fulgéntij Epíscopi.

Sermone de Martyribus.

Lectio iv.

DEléctat vidére campos ségetum, áureis maturátis cálamis aristárum; & delectabílius libet atténdere campos Ecclésiæ: Mártyrum micántes plantas, de uno cruóre per Agni sánguinem innocētem. Ségetes étenim sunt passiónes Mártyrum; juxta cursus aquárum: rigáti fóntibus lachrymárum. Nam sic modo beátus David: Mártyrum purpuráta gérmina decantábat. Qui séminant, inquit, in láchrymis: in gáudio metent. Ubi séminant in láchrymis; nisi juxta árborem crucis, ubi est fons próximus salvatóris? Inde de látere ejus sánguinis guttæ stillárunt; & plúviâ cruóris & aquæ: semináta est toleràntia Confessórum. De ipso ligno viréntis crucis; juxta fontem sánguinis: plantáta virgínitas flóruit castitátis. Inde plantáta Mártyrum toleràntia: cœpit séminis sui gérmina collígere purpuráta. Tu autem Dómine.

Lectio v.

NAm unde Mártyres tólerant; nisi per Domínicam crucem? Unde Mártyres, in quorum córdibus lex Dei est, maledictiónes non timent hóminum; nisi quia Christus Dóminus pértulit patiénter impropéria Judæórum? Unde Mártyres cárcerum custódias delectábat intráre; nisi quia Dóminus ductus est ad prætórium Príncipis Caíphæ: & noctúrnum crudélis prætórij cárcerem, non dedignátus est sustinére. Sed dicébat, tráditus sum, & non egrediébar. Unde Mártyres de caténis, & vínculis férreis non curábant; nisi quia Christus Dóminus, tenéri & alligári passus est à Judæis?

Quia catenas mortis dirúpit à mórtuis jam sepúltus; qui dixit eis, qui in vínculis sunt, exíte ? & qui in ténebris sunt, ut vídeant lumen ; & qui dixit Lázaro post quatríduum jam sepúlto : Prodi foras. Tráditus non egrediebátur foras : quia liber erat, intùs & foris. Indè Mártyres álapas non horruérunt : quia Christus maxíllas suas, præbuit ad álapas impiórum. Tu autem.

Lectio vj.

ISta ergo seminátio sánguinis Christi ; fecit sémina Mártyrum pulluláre in campo Matris Ecclésiæ : ut dicit David. Qui séminant in láchrymis : in gáudio metent. Eúntes ibant & flebant, & non stabant ; sed flentes ibant : & ad ætérnam pátriam tendébant. Cívitas prolongábat ; & illi flebant : ubi desiderábant. Sic perrexérunt. Quómodò revertúntur ? Non flentes, sed gaudéntes ; non adhuc semìnántes : sed manípulos suos, læta cérvice portántes. Vénient, non opértis capítibus pallio veláminis propter cauma ; sed lux super cápita eórum : & lætítia pretiósa. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos ; quos juxta crucem Dómini semináverant : & de ejus resurrectióne felícius messuérunt ; ei in núbibus occurrérunt ; offeréntes ei gérmina sua : acceptúri præmia sempitérna. Tu autem.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij : secúndùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis. Cum audiéritis prælia & seditiónes nolíte terréri ; opórtet primum hæc fieri : sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Sermo 333. edit. benedict. in natali Martyrum.

DOminus noster Jesus Christus, téstibus, id est Mártyribus suis, pro humána fragilitáte sollícitis ; ne fortè eum confiténdo, atque moriéndo perírent : magnam securitátem dedit dicens. Capíllus de cápite vestro non períbit. Times ergò ne péreas : cujus capíllus non

peribit. Si sic custodiúntur supérflua tua: in quantâ securitáte est ánima tua. Non perit capíllus, qui cum tondétur, non sentis; & perit ánima per quam sentis? Sanè multa dura eos passúros esse prædíxit; ut prædicándo fáceret paratióres: diceréntque illi, parátum cor meum. Quid est parátum cor meum; nisi paráta volúntas mea? Parátam ergo habent Mártyres voluntátem in Martyrio: sed præparátur volúntas à Dómino. Illis autem in malis duris, atque áspe tis futúris, commémorans: adjécit. In vestra patiéntia possidébitis ánimas vestras. In vestra patiéntiâ, inquit. Non enim esset patiéntia sua: si non ibi esset volúntas tua. In vestrâ patiéntiâ. Sed unde vestra; nostrum est: quod à nobis habétur; nostrum est: & quod nobis donátur. Tu autem.

Lectio viij.

DIxit nobis ipse, in vestra patiéntia; dicámus illi & nos: Patiéntia mea ab ipso est. Tuum fecit donando: noli ingrátus esse, tibi assignándo. Nonne in oratióne Domínica dícimus & nostrum esse; quod à Deo est? Quotídie dícimus, Panem nostrum quotidiánum. Jam dixísti, nostrum; & dicis, da nobis: ecce nostrum, ecce da nobis. Illo dante fit nostrum: si illo dante fit nostrum; nobis superveniéntibus fit aliénum? Dicis nostrum, & dicis da nobis; Quid ergo tibi assígnas, quod non tibi ipse dedísti? Quid enim habes quod non accepísti? Dicis nostrum, & da nobis. Agnósce largitórem; confitere te accípere: ut libénter ille dignétur dare. Quid si non egéres; qui mendícas & supérbus es: An non mendícas, qui panem petis? Panis noster ætérnus Christus: in Patris æqualitáte. Panis noster quotidiánus: Christus in carne. Ætérnus sine témpore: quotidiánus in témpore. Tamen ipse est panis, qui de cælo descéndit. Fortes sunt mártyres; firmi sunt Mártyres: sed panis confirmat cor hóminis. Tu autem.

Lectio ix.

NUnc audiámus Paulum Apóstolum dicéntem,

centem; cum passióni suæ appropinquáret : de coróna sibi paratá præsuméntem. Bonum, inquit, certámen certávi; cursum consummávi : fidem servávi. De cætero súperest mihi coróna justítiæ : quā reddet mihi Dóminus in illa die justus judex. Non solùm autem mihi : sed & ómnibus qui díligunt manifestatiónem ejus. Reddet, inquit, mihi Dóminus corónam : justus judex. Debet ergo quod reddit. Reddet ergo justus judex. Non enim opere inspécto potest negáre mercédem : qui opus ínspicit. Bonum certámen certávi; opus est : cursum consummávi; opus est : fidem servávi, opus est. Súperest mihi coróna justítiæ : merces est. Sed in mercéde tu nihil agis : in ópere non solus agis. Corona tibi est ab ipso; opus autem abs te : sed non nisi ipso adjuvánte. Tu autem.

Ad Horas & ad Vesperas Antiph. & Psal. de Feria occurrente. cætera ut in die.

COMMUNE

Confessoris Pontificis.

Ad Vesperas. Si sit Festum Duplex. Aña. Euge serve. *cum reliquis de Laudibus.* 20. *Psalm.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.* 148. *Si verò non fuerit Festum Duplex; Antiphona & Psalmi de Feria occurrente.*

Capitulum. Eccli. 44.

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo; & invéntus est justus : & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

℣. Justus ut palma florébit. ℞. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnificat, Aña. Justum dedúxit Dóminus, per vias rectas : & osténdit illi regnum Dei.

In duplicibus duplicatur.

Orémus. *Oratio.*

Da quæsumus omnípotens Deus; ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas : & devotiónem nobis áugeat, & salútē. Per.

Ad primam Processionem.

℞. j. Euge serve bone & fidélis quia super pauca fuísti fidélis super multa te constítuam : * Intra in gáudium Dómini tui.

Orémus. *Oratio.*

Deus qui cónspicis quia ex nulla nostra virtúte

ſubsíſtimus: concéde propítius; ut interceſſióne beáti N. Confeſsóris tui atque Pontíficis: contra ómnia advérſa muniámur. Per Dóminum.

Ad ſecundam Proceſſionē.

℟. 7. Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

Orémus. *Oratio,*

EXáudi quæſumus Dómine preces noſtras: quas in beáti N. Confeſsóris tui atque Pontíficis ſolemnitáte deférimus; & qui tibi dignè méruit famulari: ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Ad Completor. Hymnus.

ISte Conféſſor Dómini ſacrátus,
Feſta plebs cujus célebrat per orbem:
Hódie lætus méruit ſecréta ſcándere cœli.
Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbrius, caſtus, fuit & quiétus;
Vita dùm præſens vegetávit ejus
Córporis artus.
Ad ſacrum cujus, túmulum frequénter;
Membra languéntum modò ſanitáti:
Quolibet morbo fúerint graváta,
Reſtituúntur.
Unde nunc noſter chorus in honórem
Ipsíus, hymnum canit hunc libénter;
Ut piis ejus méritis juvémur
Omne per ævum.
Sit ſalus illi, decus atque virtus;
Qui ſupra cœli réſidens cacúmen,
Totíus mundi máchinam gubérnat,
Trinus & unus. Amē.

Ad Matutinum, Invitat.

Regem Confeſsórum Dóminum. Veníte adorémus.

Pſalmus. Veníte exultémus. 2.

In Duplicibus dicitur ſequens Invitat. Juſtus florébit in domo Dómini Plantátus: Gaudeámus & exultémus, in ejus ſacra ſolemnitáte.

In primo Nocturno,

Antiphona. Beátus vir.

Pſalmus 1.

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum;

rum : * & in via peccatórũ non stetit : * & in cáthedra pestiléntiæ, non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus:*& in lege ejus, meditabitur, die ac nocte.

Et erit tamquam lignum quod plantátum est, secùs decúrsus aquárum: * quod fructum suum dabit, in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpij, non sic: * sed tamquam pulvis quem projicit vētus, à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpij in judício:* neque peccatóres, in concílio justórũ.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * & iter impiórum períbit.

Glória Patri.

Aña. Beátus vir qui in lege Dómini meditátur, volúntas ejus pérmanet die ac nocte; omnia quæcúnque fáciet, prosperabúntur.

Antiphona. Beátus.

Psalmus 2.

QUare fremuérũnt gentes: * & pópuli meditáti sunt inánia.

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsùs Dñm & advérsùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridebit eos : * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira suâ : * & in furóre suo, conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus : * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me, filius meus es tu : * ego hódie génui te.

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam : * & possessiónem tuam, términos terræ.

Reges eos in virga férrea : * & támquam vas figuli, confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre : * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam; * nequándò irascátur Dóminus, & pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus : * beáti omnes qui confidunt in eo,

Glória Patri.

Aña. Beátus iste sanctus qui confisus est in Dómino, prædicávit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Aña. Tu es, *Psalmus 3.*

DOmine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me: * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dñe suscéptor meus es: * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * & exaudívit me, de monte sancto suo.

Ego dormívi & soporátus sum: * & exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti, omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * & super pópulum tuum, benedíctio tua. Glória Patri.

Aña. Tu es glória mea, tu es suscéptor meus Dómine; tu exáltans caput meum, & exaudísti me de monte sancto tuo.

℣. Voce mea ad Dóminum clamávi. ℟. Et exaudívit me de monte sancto suo. Pater noster.

Deprec. Exúrge Dómine. Súscipe deprecatiónem.

Benedictio. Adjútor.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timothéum. *Cap. 3.*

Lectio j.

FIdélis sermo; si quis Episcopátum desíderat: bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehēsibilem esse; uníus uxóris virum; sóbriū, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem; non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum: non litigiósum, non cúpidum; sed suæ dómui benè præpósitum: filios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit; quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum; ne in supérbiam elátus: in judíciū íncidat Diáboli. Opórtet autem illū & testimónium habére bonum; ab iis, qui foris sunt: ut non in oppróbrium incídat, & in láqueum

queum Diáboli. Tu autem. ℟. Euge serve bone & fidelis; quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constituam:* Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra in gáudium. *Bened.* Benedictiónibus suis.

De Epístola ad Titum. *c.* 1.

Lectio ij.

OPórtet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem; non supérbum, non iracúndum, non vino deditum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum: sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem; amplecténtem eum qui secúndùm doctrínam est, fidelem sermónem: ut potens sit exhortári in doctrína sana, & eos qui contradícunt argúere. Sunt enim multi etiam inobediéntes, vaníloqui, & seductóres; maximè qui de circumcisione sunt: quos opórtet redárgui. Qui univérsas domos subvértunt; docéntes, quæ non opórtet: turpis lucri grátiâ. Tu autem.

℟. Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum. * Tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, sede à dextris meis. Tu es Sacérdos. *Benedictio.* Cæléstem benedictiónem.

Lectio iij.

TU autem lóquere: quæ decent sanam doctrínam. Senes ut sóbrii sint: púdici, prudéntes; sani in fide: in dilectióne, in patiéntia. Anûs similiter in hábitu sancto; non criminátrices, non multo vino serviéntes; benè docéntes, ut prudéntiã dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, ut filios suos díligant: prudéntes, castas, sóbrias, domûs curam habéntes; benígnas, súbditas viris suis: ut non blasphemétur verbũ Dei. Júvenes similiter hortáre, ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórũ óperum; in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile: ut is qui ex advérso est, vereátur, nihil hábens malum dícere de nobis. Tu autem.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Glória Patri.

Manus enim.

In secundo Nocturno.

Aña. Invocántem.

Psalmus 4.

CUm invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne, dilatásti mihi.

Miserére mei, & exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum usquequò gravi corde: * ut quid diligitis vanitátem, & quæritis mendácium.

Scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, & in cubílibus vestris, compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino: * multi dicunt, quis osténdit nobis bona.

Signátum est super nos, lumen vultûs tui Dñe: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui, multiplicáti sunt.

In pace in idípsum, dórmiam & requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe, constituísti me. Glória Patri.

Aña. Invocántem exaudívit Dóminus sanctū suum, Dóminus exaudívit eum, & constituísti eū in pace.

Aña. Læténtur omnes.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine: * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ: * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo Dómine: * mane exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi & vidébo: * quóniam non Deus volens, iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi, ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus:

minus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domũ tuam:* adorábo ad templum sanctum tuum,in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos, dírige in conspéctu tuo, viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum : * linguis suis dolósè agebant: * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis: * secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos : * quóniam irritavérunt te Dómine,

Et læténtur omnes qui spérant in te:* in ætérnum exultábunt & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes , qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu, benedíces justo.

Dómine ut scuto bonæ voluntátis tuæ, coronásti nos. Glória Patri.

Aña. Læténtur omnes,qui sperant in te Dómine,quóniam tu benedixísti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Aña. Dómine.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster: * quam admirábile est nomen tuum, in univérsa terra.

Quóniam eleváta est,magnificẽtia tua super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudẽ, propter inimícos tuos: * ut déstruas inimícum, & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos,ópera digitórum tuorum : * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo quòd memor es ejus:* aut filius hóminis , quóniam vísitas eum.

Minuísti eum paulóminùs ab Angelis: * glória & honóre coronásti eum :* & constituísti eum, super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus: * oves & boves univérsas: * ínsuper, & pécora campi.

Vólucres, cæli, & pisces maris: * qui perámbulant, sémitas maris.

Dómine Dóminus noster : * quàm admirábile

est nomen tuum, in universa terra. Glória Patri. *Ana.* Dómine Dóminus noster quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra; quia glória & honóre coronásti sanctum tuum, & constituísti eum, super ópera mánuum tuárum.

℣. Glória & honóre coronásti eum Dñe. Pater noster. *Deprecatio.* Osténde nobis Dómine. *Benedictio.* Deus Dei filius,

De Sermóne sancti Bernárdi Abbátis.

Sermone de S. Malachia.

Lectio iv.

EXúltat sine dúbio Sanctus N. qui in diébus suis plácuit Deo, & invéntus est justus. In sanctitáte & justitia coram ipso ministrávit; plácuit ministérium: plácuit minister. Quidni placúerit? Pósuit sine sumptû Evangélium: replévit Evãgélio, pátriam. Levi jugo Christi, in gládio spíritûs, éxteras súbdidit natiónes; usque ad extréma terræ: restítuens hæreditátem suam illi. O minístrum fidélem. Nunquid non per ipsum filio est Patérna adimpléta promíssio; Nunquid hunc olim intuebátur Pater: cum ad filiũ loquerétur. Dabo tibi gentes hæreditátem tuam: & possessiónem tuam, términos terræ. Quàm libens Salvátor recipiébat, quod émerat; & émerat prétio sánguinis sui: ignomínia crucis, horróre passiónis. Tu autem.

℟. Dómine quinque taléntа tradidísti mihi; ecce ália quinque superlucrátus sum: Euge serve fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Labóres mánuum tuárũ quia manducábis, beátus es, & benè tibi erit. Intra in gáudium. *Benedictio.* Ætérnam benedictiónem.

Lectio v.

QUi quasi unus ómnium parens vivébat omnibus. Quasi gallína pullos suos; sic fovébat omnes: & in velaménto alárum suárum protegébat. Non sexus, non ætas, & non condítio discernebántur, aut personæ; déerat némini: expánso ómnibus grémio pietátis. De quacúnque tribulatióne

clamarétur ad eum, própriam reputábat; nisi quod in suâ patiens, in aliénâ compatiens erat: plerúmque & impátiens. Nōnunquàm siquidem zelo, pro áliis in álios movebátur; ut erípiens ínopes, & réprimens fortes: consúleret proìndè ómnibus in salútem. Itaque irascebátur; sed ne non irascéndo, peccáret: juxta illud de Psalmo. Irascímini & nolíte peccáre. Non ira illi; sed ipse ánimo: dominabátur. Erat suímet potens; sanè victor sui: ira superári non póterat. Ira ejus, in manu ejus. Vocáta veniébat; éxiens, non erúmpens: nutu, non ímpetu ferebátur. Non urebátur illa: sed utebátur. Tu autem.

℟. Justus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Et erit quasi olíva, glória ejus, & odor ejus ut Líbani. Et florébit. *Benedict*. Grátia Spiritus sancti.

Lectio vj.

SAnctus Póntifex, qui in spíritu humilitátis hóstias pacíficas cælis frequénter invéxerat; hódie per semetípsum introívit ad altáre: Dei ipse hóstia, & Sacérdos. Migránte Sacerdóte; sacrifícii ritus in mélius mutátus est: fons lachrymárum siccátus est. Holocáustum omne condítur: lætítiâ, & exultatióne. Benedíctus Dominus Deus, qui tanti Pontíficis ministério visitávit plebem suam; & nunc assúmpto eo in sanctam civitátem: tantæ recordatióne civitátis, nostram non désinit consolári captivitátem. Exúltet in Dómino spíritus ejus; quod levátus póndere corpóreæ molis, nulla jam fæculénta vel terréna matéria, prægravátur: quominùs tota alacritáte ac vivacitáte corpóream omnem & incorpóream trajíciens creatúram; pergat totus in Deum: & adhærens illi, unus sit cum eo spíritus in ætérnum. Tu autem.

℟. Stóla jocunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum pane vitæ & intellectûs, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno.

Antiph. Dómine.

Psalmus 14.

DOmine quis habitábit in tabernáculo tuo : * aut quis requiéscet, in monte sancto tuo.

Qui ingréditur sine mácula: * & operátur justítiã.

Qui lóquitur veritátem in corde suo : * qui non egit dolum, in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum : * & oppróbrium non accépit, adversùs próximos suos.

Ad nihílum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum, gloríficat.

Qui jurat próximo suo & non décipit : * qui pecúniam suam non dedit ad usúram : * & múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum.

Glória Patri.

Aña. Dómine ; iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo ; operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Antiphona. Vitam.

Psalmus 20.

DOmine in virtúte tua lætábitur rex ; * & super salutáre tuum, exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * & voluntáte labiórum ejus, non fraudásti eum.

Quóniã prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus, corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, & tribuísti ei : * longitúdinem dierum in sæculum : * & in sæulum sæculi.

Magna est glória ejus, in salutári tuo : * glóriam & magnum decórem, impónes super eum.

Quoniam dabis eum in benedictiónẽ, in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio, cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: * & in misericórdia Altíssimi, non commovébitur.

Inveniátur manus tua, ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat, omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in tempore vultûs tui : Dóminus in ira sua conturbábit eos : * & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes :

perdes: * & semen eórum, à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis, præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Glória Patri.

Ant. Vitam pétiit à te, tribuísti ei Dómine; glóriam & magnum decórem imposuísti super eum: posuísti in cápite ejus, corónam de lápide pretióso.

Ant. Hic accipiet.

Psalmus 23.

Domini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina, præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini: * aut quis stabit, in loco sancto ejus.

Innocens mánibus, & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam: * nec jurávit in dolo, próximo suo.

Hic accipiet benedictiónem à Dño: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum; * quæréntium fáciem, Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ: * Dóminus fortis & potens: * Dóminus potēs in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ: * Dóminus virtútum, ipse est rex glóriæ. Glória Patri.

Ant. Hic accipiet benedictiónem à Dómino, & misericórdiam à Deo salutári suo; quia hæc est generátio quæréntium Dñm.

℣. Justus Dóminus, justítias diléxit. ℟. Æquitátem vidit vultus ejus. Pater noster. *Deprec.* Adjutórium nostrum. *Ben. d.* Redēptor.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vj.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregré proficíscens; vocávit servos suos: & trádidit illis

lis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo; alii verò unum: unicuíque secúndùm própriam virtútē. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 9. in Evangelia.

LEctio sancti Evangélii, fratres charíssimi, sollícitè consideráre nos ádmonet; ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepisse áliquid cérnimur, ab auctóre mundi: gráviùs inde judicémur. Cū enim augéntur, dona: rationes etiā crescunt donórū. Tantò ergò esse humílior; atq; ad serviéndum Deo promptior quisque debet ex múnere: quantò se obligatiorem esse cònspicit, in reddenda ratióne. Ecce homo qui péregrè proficíscitur; servos suos vocat: eísque ad negótium, talénta partítur. Post multùm verò témporis positúrus ratiónem revértitur; benè operántes pro apportáto lucro remúnerat: servum verò, à bono ópere torpéntem damnat. Quis ítaque iste homo est qui péregrè proficíscitur; nisi Redémptor noster: qui in ea carne quam assúmpserat, ábiit in cælum. Carnis enim locus próprius terra est: quæ quasi ad peregrína dúcitur; dum per Redemptórem nostrum: in cælo collocátur. Sed homo iste peregrè proficíscens servis suis bona sua trádidit; quia fidélibus suis: spirituália dona concéssit. Tu autem.

℟. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum: * Et inaltávit illum apud próximos suos. ℣. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, & implévit eum spíritu sapiéntiæ & intelléctus. Et inaltávit.

Benedict. Unigénitus Dei filius.

Longè post præcedentia.

Lectio viij

NUllus namque est, qui veráciter dicat. Taléntum mínimè accépi: non est unde ratiónem pónere cogar. Taléntí enim nómine; cuílibet páuperi étiam hoc ipsum reputábitur: quod vel mínimum accépit. Alius namque accépit intelligéntiā: prædicatiónis minístérium debet ex talénto. Alius terrénam substántiam

substántiam accépit: erogatiónem taléńti debet ex rebus. Alius nec intelligéntiam internórum, nec rerum affluéntiam accépit; sed tamen dídicit artem qua páscitur: ipsa ars ei in talénti acceptióne reputábitur. Alius nihil horum assecútus est: sed tamen fortassè; locum familiaritátis apud dívitem méruit: taléntum profectò familiaritátis accépit. Si ergo nihil pro indigéntibus lóquitur: pro talénti retentióne damnátur. Habens ígitur intelléctum: curet omninò ne táceat. Habens rerum affluéntiam; vígilet: ne à misericórdiæ largitáte torpéscat. Habens artem quâ régitur; magnópere stúdeat ut usum atque utilitátem illíus: cum próximo partiátur. Tu autem.

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi sciéntiam Sanctórum: * Honestávit illum in labóribus suis.

℣. Descéndit cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit eum. Honestávit. *Benedictio.* Ad supernórum cívium.

Lectio ix. sub finem.

UT ergò de talénti sui ratiónibus; redeúnte Dómino quisque secúrus sit: cum timóre penset quotídiè, quod accépit. Ecce namque jam juxtà est: ut ille qui péregrè proféctus est, rédeat. Quasi péregrè quippe ábiit; qui de hac terra in quâ natus est: longè discéssit. Sed profectò revértitur, ut de taléntis ratiónes ponat; quia si à bonâ actióne torpéscimus: de ipsis donis quæ cōtulit, nos districtiùs júdicat. Considerémus ígitur quæ accépimus: atque in eórum erogatióne vigilémus. Nulla nos à spirituáli ópere terréna cura impédiat; ne si in terrâ taléntum abscónditur: talénti Dóminus ad iracúndiam provocétur. Piger étenim servus cùm jam judex culpas exáminat, taléntum de terrâ levat; quia sunt pleríque, qui tunc se à terrénis desidériis vel opérib⁹ súbtrahunt: quandò jam per animadversiónem júdicis, ad ætérnum supplícium trahūtur. Antè ergo de talenti nostri ponéndâ ratióne vigilémus;

ut cum jam judex ad feriéndũ ímminet : lucrum nos quod fécimus, excúset. Tu autem. * *

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus : * Et implévit eum Dóminus Spíritu sapiéntiæ & intellectus.

℣. Jocunditátem & exultatiónem thesaurizávit super eum. Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Si fuerit Festum duplex vel occurrerit in Dominica dicitur Te Deum laudámus. *Et tunc non dicitur* Glória Patri.

AD LAUDES.

Aña. Euge serve bone, in módico fidélis ; intra in gáudiũ Dómini tui. *Psalm.* Dñs regnávit. *cum reliquis de Dominica.* 20. *Antiph.* Fidélis servus & prudens ; quem constítuit Dóminus, super famíliam suã. *Aña* Serve bone & fidélis, intra in gáudium Dómini tui. *Aña.* Sacerdótes Dei benedícite Dóminum; servi Dómini , Hymnum dícite Deo, allelúia. *Antiph.* Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.

Capitulum. Eccli. 44.

Ecce Sacérdos magnus qui in diébus suis plácuit Deo ; & invéntus est justus : & in témpore iracúndiæ , factus est reconciliátio.

℣. Stolâ jocunditátis.

℟. Induit eum Dóminus.

Ad Benedictus, Aña.

Euge serve bone & fidélis ; quia super pauca fuísti fidélis ; super multa te constítuam, dicit Dóminus.

In Duplicibus. Duplex.

Orémus. *Oratio.*

Da quæsumus omnípotens Deus ; ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas : & devotiónem nobis áugeat, & salútem. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Capitul. Ecce Sacérdos magnus. *ut sup.*

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Justum dedúxit. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. ℟. Justum dedúxit. Glória Patri. ℟. Justum, &c. ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolâ glóriæ índuit eum.

Oratio. Da quæsumus omnípotens Deus. *ut sup.*

Ad Sextam, Capitulum.

Non est invéntus símilis illi qui conserváret legem Excélsi ; ideò jurejurándo :

jurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suã. ℟. Amávit eum Dóminus & ornávit eum. ℟. Amávit eum. ℣. Stola glóriæ índuit eum. ℟. Amávit eum. Glória Patri. ℟. Amávit eum. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui cónspicis quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut intercessióne beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis: contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Ad Nonam, Capitul.

FUngi sacerdótio, & habére laudem in nómine ipsíus; & offérre illi incénsum dignum: in odórem suavitátis.

℟. Justus ut palma florébit, sicut cedrus Libani. ℟. Justus ut. ℣. In domo Dómini plantátus. ℟. Justus ut. Glória Patri. ℟. Justus ut. ℣. Stola jocunditátis. ℟. Induit eum Dñs.

Orémus, *Oratio.*

EXáudi quæsumus Dómine preces nostras: quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus; & qui tibi dignè méruit famulári: ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Ad Vesperas. Si sit Festum Duplex. Aña. Euge serve. *cum reliq. de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalmus.* Meménto Dómine David. 159.

Si autem non sit Festum Duplex dicuntur Aña & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum & Versus ut supra in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Quinque mihi Dómine taléntra tradidísti; lucrátus sum ínsuper, ália quinque. *In Duplicibus. Duplex.*

Oratio. Da quæsumus omnípotens Deus. *ut supra in Laud. Ad precessionem primum Respons. Officij diei sequentis.*

In Festo Confessoris Pontificis trium Lectionum omnia ut supra, ritu quo notatum est in Communi Apostolorum trium Lectionum. Ad Vesperas Antiphona, & Psalmi, de Feria occur-

occurrente. Capitul. Versus Aña ad Magnific. & Oratio ut sup.

Ad Matutinum, Invit. Regem confessórum Dóminum. Veníte, adorémus. *Novem Antiphonæ & novem Psalmi ut suprà. Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia ut habetur in proprio. Ad Laudes & Horas ut suprà.*

Si contingat celebrari octavam de aliquo confessore Pontifice; officium infra octavam fit eodem ritu, quo in Festo trium Lectionum. Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia ut habetur infra pro qualibet die octavæ. Ad Laudes & Horas ut in die festi. Ad Vesperas. Antiph. & Psalmi de Feria occurrente, Capitulum, Versus, Antiph. ad Magnif. oratio ut in die Festi.

Die secunda infra Octav. De Sermóne S. Euchérii Lugdunénsis Epíscopi.

In depositione Sacerdotis. Serm. 4.

Lectio iij.

BEáti patris mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus; qui gubernáculum fidei viríliter tenens, anchóram spei tranquílla jam statióne compósuit: & plenam cæléstibus divítiis, & mércibus navem, optáto in líttore collocávit Qui contra omnes ímpetus adversárii; scutum timóris Dei, tándiù infatigabíliter ténuit: donec ad victóriam pervéniret. Quid enim fuit totus vitæ illius cursus: nisi unus cùm pervígili hoste conflíctus. Habuístis in eo médicum, quasi cælo lapsum; Cúm quo sánitas fines vestros: immò ipse sanitátum auctor intrávit. Quantis hic ille cæcis à via veritátis errántibus; & de summa jam rupe pendéntibus, amíssum réddidit visum: & illum quo Christus vidétur, reparávit intúitum. Quantórum áuribus surdis, & infidelitátis obduratióne damnátis; ad percipiéndam vocem cæléstium mandatórum: pretiósum infúdit audítum; ut vocánti Deo, ad misericórdiam: respondérent per obediéntiam. Tu autem.

Die tertia infra Octavā. De Sermóne S. Euchérii Lugdunénsis Epíscopi.

Eodem

Eodem Serm. 4. Lectio iij.

QUantos intrínsecùs vulnerátos; Angelíci oris arte ' & orationum potestáte curávit. Quantos per longam incúriam, peccáti labe solútos, & quadam lepræ contagióne perfúsos; castigatiónibus & exhortatiónibus expiándo' Deo in se operánte mundávit. Quantórum ánimas vivénti in córpore jam defúnctas; & delictórum mole obrútas ac sepúltas ' ad emendatiónem, tamquàm ad lucem revocándo ressuscitávit. Et dómini sui ádmodùm imitátor admirándus; jam mórtuos Deo' è contrário mori fecit, vitáli morte, peccáto. Nihilóminùs aliórum óculos, sicut díximus, nunc illuminábat; nunc in áliam partem, ea quæ aperúerat ' salúbriter claudébat. Si requirámus quo órdine hoc faciébat; claudébat útique eos docéndo, ne aliénum malè vidérent' ne eis res aliéna concupiscíbilis apparéret. Tu autē.

Die quarta infra Oct.

De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Eodem Serm. 4.

Lectio iij.

SEcúndùm hæc ' animárum nostrárum vúltibus; illíus viri, unusquísque, virtútis tamquàm pretiósos ' superducámus colóres. Rápiat sibi de eo alter, gratam spéciem compunctiónis; alter pigméntum candidíssimum ' nítidæ castitátis. Pallórem ille abstinéntiæ; rubórem iste verecúndiæ; ille ardéntem in Dei rebus fidem ' velut áureo splēdóre radiántem. Atque hoc modo spirituália interióris sui membra; in corpus plebis suæ tránsferet ' & ad unam illíus fáciem; omnem exornémus domum ' id est univérsam Christi pingámus Ecclésiam. Ut videns nos, vel de ætérni tremóre judícij, vel de futúra beatitúdine cogitántes; illam evangélicam Christi vocem possit assúmere ' Pater rogo ut ubi ego sum & illi sint mecum. Ut nos quandóquè ex hoc sæculo migratúros; Patrónus noster in ædem suam, & in sinum suum velut Abraham peculiáris, accípiat ' & in illa die incólumes oves suas, lætus pastor agnóscat. Tu autem.

Die

Die quinta infra Octav.
De Ser. S. Augustíni Episc.
Ser. 46. de Past. in Ezec. 34.
Lectio iij.

AUdíte vos cum intentióne; audiámus nos cum tremóre. Et factum est verbum Dómini ad me dicens; Fili hóminis; prophetísa super pastóres Israël. Hanc lectiónem cum legerétur, audívimus; hinc cum vestra sanctitáte áliquid loqui decrévimus; adiuvábit ipse ut vera dicámus; si non nostra dicámus. Nam si nostra dicámus; pastóres érimus, pascéntes nos; non oves. Si autem illíus sunt quæ dicúntur; per quémlibet ipse vos pascet. Hæc dicit Dóminus. Væ Pastóribus Israël qui pascunt se solos; Nunquid oves pascunt Pastóres? id est non se páscunt Pastóres; sed oves. Hæc primò causa est quarè arguántur pastóres isti; quia seípsos pascunt non oves. Qui sunt qui seípsos pascunt? De quibus dicit Apóstolus; Omnes enim quæ sua sunt quærunt; non quæ Jesu Christi. Tu autem.

Die sexta infra Octavā.
De Sermóne S. Augustíni Epíscopi. *Eod. Ser. 46.*
Lectio iij.

NOs, quos in isto loco, de quo periculósa rátio rédditur; Dóminus secúndùm dignatiónem suā, non secúndùm méritum nostrum constítuit; habémus duo quædam. Unum quod Christiáni sumus; álterum quod præpósiti sumus. Illud quod Christiáni sumus; propter nos est; quod autem præpósiti sumus, propter vos est. In eo quod Christiáni sumus; atténditur utílitas nostra; in eo quod præpósiti; non nisi vestra. Sunt autem multi Christiáni; & non præpósiti; qui pervéniunt ad Deum facilióre fortásse itínere; & tantò forte expedítiùs ambulántes; quantò minórem sárcinam portant. Nos autem excépto quòd Christiáni sumus; undè ratiónem reddémus de vita nostra; sumus étiam præpósiti; unde ratiónem reddémus Deo; de dispensatióne nostra. Tu autem.

Die septima infra Oct.
De Sermóne S. Augustíni Epíscopi. *Eod. Ser. 46.*

Lectio

Lectio iij.

AD hoc istam difficultátem propónimus; ut compatiéntes nobis: orétis pro nobis. Véniet enim dies: quò cuncta adducúntur in judícium. Et ille dies; si sæculo longè est: unicuíque homini vitæ suæ, últimus propè est. Tamen utrúmque Deus latére vóluit; & quandò véniat finis sæculi: & quandò sit in unoquóque hómine, hujus vitæ finis. Vis non timére diem occúltum; quandò vénerit: invéniat te parátum. Cum ergo præpósiti, ad hoc sint, ut his qui subjécti sunt consulant; non in eo quod præsunt omnínò utilitátem suam atténdant: sed eórum quibus miníſtrant. Quisquis ita præpósitus est: ut in eo quod præpósitus sit, gáudeat; & honórem suum quærat; & cómmoda sua sola respíciat: se pascit non oves. Tu autem.

In die octava, novem Lectionum: ut in die.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi,

Serm. de S. Maximo.

Lectio iv.

O Virum per ómnia Deo dignum. Eminébat ut sic dixerim in ipso hábitu, ánimi fortitúdo; in spécie exterióri ipsam putáres expréssam imáginem sanctitátis: terríbilis incéssu, reverendus aspéctu. Créderes quod semper invisibilem illum hostem: ipsa vultús sui virtúte terréret. Metuéndus severitáte; benignitáte venerándus: auctoritátis censúram. humilitátis mansuetúdine temperábat. Minabátur quidem frontis austéritas: sed cordis serénitas blandiebátur. Ac sic conveniénte in uno, diversitáte gratiárum; Paúlus apparébat in vultu: Petrus in Spíritu. Illíus districtiónis: hujus erat pietátis æmulátor; ita ut, cum præséntiam ejus vix sustinéres: abséntiam ferre non posses. Internórum autem bonórum suórum formas ac spécies; sicut nemo ad plenum inspícere pótuit: ita nemo sufficit explicare. *Lectio v.*

SIcut légimus evangélicam illam ac beátam mulierem, effracto Alabá-

stro

stro Nardi pretiósi, unguẽtum supra carnem Dómini profudísse; ita gloriósa hujus Pontíficis ánima apéruit in se laténtes divítias cœléstium múnerum: & de armário suáveo léntium virtútum, arómata sanctificatiónum, & gratiárum suárum, suprà omnem Ecclésiam, quæ est Christi corpus, effúdit; & ad ipsum caput: membrórum justificatióne transmísit. Et verè, ut dixit, repléta est univérsa domus Christi: ex odóre cœléstis unguénti. Quid dicam ejus voluntátem? ut fierent ei lácrymæ panes die ac nocte: & pro cibo & potu incessabíliter ruminaret; Quando véniam & apparébo antè fáciem Dei? ut præter vitam nihil esuríret: præter justítiam nihil sitíret. *Lectio vj.*

HUjus ergo tanti ac tam præclári Pontíficis: quæso nos discípulos meminérimus, & filios. Rápiat unusquísque quod póssumus: de bonis intestáti paréntis. Hic de hæreditáte ejus, assúmat holoséricam gestórum varietáte pretiosíssimam vestem; hic mansuetúdinis ac simplicitátis óccupet taléntum; ille decus pectoris, benevoléntiæ ac sapiéntiæ moníle sibi víndicet: hic margarítam compunctiónis, & thesáurum castitátis invádat. Licet enim ille locupletíssimus Christi amícus; quidquid hábuit, íntegrum secùm túlerit: & nobis tamen si vólumus totum relíquit. Ita ergo agámus bona illíus consectántes; ut qui in ætérnam glóriam suscitándus est, sub fine sæculórum: rédditus Ecclésiæ per redivíva in nobis mérita jam surréxerit.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis Parábolam hanc. Homo péregrè profícíscens; vocávit servos suos: & trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, álii autem duò; álij verò unum: unicuíque secúndùm própriam virtútem. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórij Nazianzéni.

Oratio

Oratione Apolog.

REferam quæ Jesus discípulis suis ad prædicatiónem eos mittens præscríbit; quorum nè síngula éxplicem, hæc summa est: ut virtúte tales sint, atque ita expedíti & modésti, & ut uno verbo dicam, cæléstes; ut non minùs ob eórum vitam, & mores, quam ob sermónem, atque doctrínam: Evangélium currat. Mihi verò timórem incútiunt étiam Pharisæi probris oneráti, & Scribæ redargúti; quibus cum nos virtúte longè superióres esse debeámus, quemádmodum nobis præcéptum est: si modò cælórum regnum cónsequi cúpimus; turpe profectò fúerit: si ipsis étiam pejóres inveniámur. Tu autem.

Lectio viij.

IN his ego cogitatiónibus: dies noctésque versor. Hæc medúllas étiam meas elíquant, & carnes conficiunt; nec me audácem esse sinunt: ac sublára fácie incédere. Hæc ánimum meum dejíciunt, & mentem cóntrahunt; & linguæ vínculum injíciunt: faciúntque, ut non de præfectúra nec de corrigéndis & emendándis áliis cógitem; id quod exuberántis cujúsdam facultátis est: sed quómodò veniéntem ipse iram effúgere; atque vítij rubíginis: à me áliquid abstérgere queam. Purgaríque priùs, deínde purgáre: sapiéntia ínstrui; atque ita demùm álios sapiéntia instrúere: lux fieri, & álios illumináre. Ad Deum appropinquáre; & ita álios addúcere: sanctificári, & posteà sanctificáre; mánibus ducátum præstáre: prudéntia cómite consílium dare. Tu autem. *Lectio ix.*

QUis est qui contrà hæc ómnia; celeritátem pótiùs: quàm securitátem & utilitátem expóscat. Quis est qui veritátis propugnatórem, unius diéculæ spátio: velut è luto, státuam finget. Illíus inquàm qui cum Angelis stabit; cum Archángelis glorificábit; ad suprémum altáre hóstias transmíttet; Christo adjútor Sacerdótij erit: figméntum instaurábit; imáginem representábit: supérno mundo procreábit. Et ut quod majus est

est dicam; qui Deus futúrus sit? & álios Deos factúrus. Scio cujus miníſtri ſimus; & ubi jaceámus' & quo mittámur. Scio quæ Dei ſublímitas; quæ humána infirmitas' ac rurſum poténtia. Cœlum excélſum? terra autem profúnda. Tu autem.

Ad Laudes & Horas ut in die. Ad Veſperas Aña & Pſalmi de Feria occurr.

C O M M U N E
Confeſſoris non Pontificis.

Ad Veſperas, ſi ſit feſtum duplex, Antiphona. Euge Serve. *cum reliquis de Laudibus. ut infra. Pſalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica* 148. *& loco ultimi Pſalm.* Laudáte Dñm omnes Gentes. 153. *Si non ſit feſtum duplex. Aña & Pſalmi de Feria occurr. Capitulum.*

JUſtus cor ſuum trádidit ad vigilándum dilúculo; ad Deum qui fecit illum? & in conſpéctu Altíſſimi deprecábitur.

℣. Juſtus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnificat, Aña. Juſtum dedúxit Dñs per vias rectas; & oſténdit illi regnũ Dei. *In Duplicib. Duplex.*

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nos beáti N. Confeſsóris tui, ánnua ſolemnitáte lætíficas? concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus? per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum noſtrum.

Ad primam Proceſſionem, Euge ſerve bone & fidélis quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſuper multa te conſtítuam: * Intra in gáudium Dómini tui.

Orémus. *Oratio.*

ADéſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris' quas in beáti N. Confeſsóris tui ſolemnitáte deférimus; ut qui noſtræ juſtítiæ fidúciã non habémus? ejus qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dñm.

Ad ſecundam Proceſſ. Juſtus germinábit ſicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

INtercéſſio nos quæſumus Dñe beáti N. Confeſsóris tui comméndet; ut quod noſtris méritis non valémus? ejus patrocínio aſſequámur. Per Dñm.

Ad Completor. Hymnus. Iſte Confeſſor. *ut in Communi Confeſſ. Pontif.* lxxvj.

Ad Matutinum omnia ut in Communi Confessoris Pontificis, exceptis Lectionibus & Responsoriis.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 4. & 5.

JUstus si morte præoccupátus fúerit: in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est: non diutúrna, neque annórum número computáta. Cani autem sunt sensus hóminis: & ætas senectútis, vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus: & vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intelléctum ejus: aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona; & inconstántia concupiscéntiæ: transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa; plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Tu autẽ.

℟. Euge serve bone & fidélis quia super pauca fuísti fidélis super multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui.

℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra in gáudium.

Lectio ij.

POpuli autem vidéntes & non intelligéntes: nec ponéntes in præcórdiis tália; quóniam grátia Dei & misericórdia, est in sanctos ejus: & respéctus in eléctos illíus. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios: & juvéntus celérius consummáta: longam vitam injústi. Vidébunt enim finem sapiéntis; & non intélligent quid cogitáverit de illo Deus: & quare muniérit illum Dóminus. Vidébunt & contémnent eum: illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc decidéntes sine honóre; & in contumélia inter mórtuos: in perpétuum. Quóniam disrúmpet illos inflátos sine voce; & commovébit illos à fundaméntis: & usque ad suprémum desolabúntur. Tu autem.

℟. Justus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

℣. Et erit quasi olíva gló-

ria ejus & odor ejus ut Líbani. Et florébit.

Lectio iij.

ET erunt geméntes ʹ & memória illórum períbit. Venient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi; & tradúcent illos ex advérso ʹ iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constantia advers̀us eos qui se angustiavérunt ʹ & qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili; & mirabúntur in subitatióne inspérátæ salútis ʹ dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes; & præ angústia spíritus ʹ geméntes. Hi sunt quos habuímus aliquando in derísū ʹ & in similitúdinem impropérii. Nos insensáti; vitam illórum æstimabámus insániam ʹ & finem illórum sine honóre. Ecce quomodò cōputáti sunt inter filios Dei ʹ & inter sanctos sors illórum est. Tu autē.

℟. Stola iocunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónā pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum, Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbatis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio iv.

GAudéte in Dómino dilectíssimi; qui inter contínua suæ pietátis beneficia, indúlsit hóminem mundo ʹ cujus multi salvaréntur exémplo. Iterùm dico Gaudéte; quòd factus de médio, appropiávit Deo ʹ ut multò plures ejus intercessióne salvéntur, Habet ex homínibus ʹ cui hóminum peccáta donet miséricors & miserátor Dóminus. Habet tempus & locum intercedéndi ʹ pius & miséricors advocátus. Equidem locum quiétum ʹ & tempus feriátum. In terris visus est ʹ ut esset exémplo; in cælum levátus est ʹ ut esset patrocínio. Hic infórmat ad vitam ʹ illic invítat ad glóriam. Factus est mediátor ad regnum ʹ qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor ʹ qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat; & supplicántis affectum ʹ & supplicatiónis

tiónis

ctiónis fructum. Tu autem. ℟. Audiam Dómine vocem laudis tuæ: * Et enárrem univérsa mirabilia tua. ℣. Lavábo inter innocéntes manus meas, & circúmdabo altáre tuum Dómine, Et enárrem.

Lectio v.

HOdie pósito córpore; quo solo præpedíri ab ingréssu glóriæ videbátur: tantò alácrior, quantò expeditior; penetrávit in sancta: símilis factus in glóriâ sanctórum. Hódiè de novíssimo & húmili loco, quem sibi ex consílio salvatóris elégerat; ipso summo patrefamílias evocánte, verus amícus ascéndit supérius: & est illi glória, coram simul discumbéntibus. Hódiè despécto mundo, & mundi príncipe triumpháto; suprà mundum verè ascéndit: accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum immensâ supelléctili meritórum; clarus triúmphis: miráculis glorióśus. Pausat miles erudítus: & post labóres sudóresque peráctæ milítiæ; locátur feliciter: coronátur sublímiter. Tu autem. ℟. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Euge serve fidélis quia super pauca fuísti fidélis super multa te constítuam. * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Labóres mánuum tuárum quia manducábis, beátus es, & bene tibi erit. Intra in gáudium.

Lectio vj.

QUi sedit & flevit super flúmina Babylónis: sedet modò ad fontem vitæ; & conversátio illi secùs torréntem voluptátis: cujus ímpetus lætíficat civitátem Dei. Invénit sibi fontem hortórum, púteum aquárum vivéntium; & cum Samaritána potátur aquâ sapiéntiæ salutáris: ut non sítiat in ætérnum. Datur illi de fructu mánuum suárum; & laudant eum in portis ópera ejus: & gloriátur testimónio consciéntiæ. Consciéntiæ dico suæ: non altérius. Sedet médius Angelórum, dignus planè eórum consórtio: quorum desidério flagrat; puritáte vitę castimónia decorátur. Tu autē. ℟. Super salútem & omnem pulchritúdinem dilé-

xi sapiéntiam & propósui pro luce habére illā : * Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa. ℣. Hanc amávi & exquisívi à juventúte mea, & amátor factus sum formæ illíus. Venérūt mihi. Glória. Venérūt mihi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis. Sint lumbi vestri præcíncti ; & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris ; & vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum : quando revertátur à núptiis. Ut cùm vénerit; & pulsáverit : conféstim apériant ei. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Ex Serm. 22. in Lucam.

SInt lumbi vestri præcíncti, ibi præcingénda est virtus : ubi volúptas est compriménda. Nescit víncere vítia córporis : virtútis cíngulum qui depónit. Cincti ergo castitátis báltheo quod est insígne milítiæ Christiánæ ; fluxam carnis detruncémus ignáviam : & Regis nostri expectatióne pervígiles, insómnes somnum sæculi nesciámus. Non dórmiunt, inquit : nisi cùm malè fécerint. Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Beáti in quorum mánibus bonórum óperum lucent lucérnæ ; sic enim lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant bona vestra ópera : & magníficent Patrem vestrum qui est in cælis. Et ut lucérna ante óculos : opus bonum in méntibus sic refúlget. Tu autem Dñe.

℟. Notas mihi fecísti Dómine vias vitæ ; * Adimplébis me lætítia cū vultu tuo delectatiónes in déxtera tua usque in finem. ℣. Dóminus pars hæreditátis meæ & calícis mei tu es qui restituísti hæreditátem meam mihi. Adimplébis.

Lectio vij.

ET vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum quando véniat à núptiis. Quia semper núptiis amícæ sunt faces ; lúminum testimónio celebrátur cástitas nuptiárum : sicut enim fregit lucem illícita qui præsumit ; sic multíplici corúscat in

lúmine: lícita qui requírit. Et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum: quando véniat a núptiis. Hómines sunt qui more debitæ servitútis indeféssis excúbiis advéntum sui Dñi præstolántur; qui verò sic ventri sérviunt, ut divínam nésciant servitútem: & de carnis voluptáte sóliciti; solicitúdinem occúrsus domínici perdidérunt: hómines non vocándi sunt, sed juménta. Tu autem.

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas & osténdit illi regnum Dei & dedit illi sciéntiam Sanctórum: * Honestávit illū in labóribus suis. ℣. Descéndit cum illo in fóveam & in vínculis non derelíquit eum. Honestávit.

Lectio ix.

Ex quo ad dispensándū suā Ecclésiam Christus advénit: thálamus ornátur sponsæ. Et ornátur auro fidei; argénto sapiéntiæ; virtútum gemmis; sanctitátis velis; verecúndiæ rosis; líliis castitátis; pudóris víolis: & ad alta cæli pudicítiæ templum, fastígium virginitátis attóllitur. Nec desunt psalmórū cítharæ; Prophética órgana; Apostolórum voces: totæque symphóniæ cæléstium nuptiárum. Satis servo somni est: qui tali & tanto clamóre, non ad cæléstis Regis núptias suscitátur. Ut cum vénerit & pulsáverit: conféstim apériant ei. Véniens pulsat corda; benè cónscius áperit: malè cónscius claudit. Justa mens patéscit ad præmium; injústa quia non méruit: se præclúdit. Vigilémus ergo dilectíssimi; ut beatitúdinem quæ séquitur: consequámur. Tu autem.

℟. Beátus vir qui post aurum non ábiit nec sperávit in pecúniā & thesáuris: * Fecit enim mirabília in vita sua. ℣. Ideò stabilíta sunt bona illíus in Dómino, & eleemósynas illíus enárrat omnis Ecclésia Sanctórum. Fecit enim. Glória Patri. Fecit enim.

Si verò fuerit Festum duplex vel occurrerit in Dominica, non dicitur Glória Patri. *quia dicitur* Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Antiph. Euge serve bone,

in módico fidélis, intra in gaudium Dómini tui.

Psalm. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.*

A.ia. Fidélis servus & prudens quem constítuit Dóminus super famíliam.

Aña. Amávit eum Dóminus & ornávir eum. Stolam glóriæ índuit eum.

Aña. Beátus ille servus, cũ vénerit Dóminus ejus, & pulsáverit jánuam; & invénerit eum vigilántem,

Aña. Ecce verè Israelíta in quo dolus non est.

Capitulum. Eccli 39.

JUstus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo; ad Deum qui fecit illum: & in conspéctu altíssimi deprecábitur.

℣. Stola jocunditátis.

℟. Induit eum Dóminus.

Ad Bened. Aña Euge serve bone & fidélis; quia super pauca fuísti fidelis, super multa te constituã, dicit Dñs. *in dupl. Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nos beáti N. Conffessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus: Per ejus ad te exempla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Capitulum. Justus cor suum. *ut suprà.*

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. Justum dedúxit. ℣. Et osténdit illí regnum Dei. Justum dedúxit. Glória Patri. Justũ dedúxit. ℣. Amávit eum Dóminus & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum. *Oratio.* Deus qui nos beáti N. Confessóris tui. *ut suprà.*

Ad Sextã, Capitul. Sap. 10.

SApiéntia justum dedúxit per vias rectas; & osténdit illi, regnum Dei: & dedit illi sciéntiam Sanctórum.

℟. Amávit eum Dóminus & ornávit eum. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Amávit eum. Glória Patri. Amávit eum.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orémus. *Oratio.*

ADésto Dómine supplicationibus nostris: quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus; ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus: ejus qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Ad Nonam. Capitulum. Eccli. 31.

BEátus vir qui invéntus est sine mácula, & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesaúris; Quis est hic & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

℟. Justus ut palma floré-bit sicut cedrus Líbani. Justus ut. ℣. In domo Dómini plantátus. Justus ut. Glória Patri. Justus ut. ℣. Stola jocunditátis. ℟. Induit eum Dóminus.

Oratio. Orémus.

INtercéssio nos quæsum⁹ Dómine beáti N. Confessóris tui comméndet; ut quod nostris méritis nō valémus? ejus patrocínio assequámur. Per Dñm.

Ad Vesperas si sit Festum duplex. Aña. Euge serve. *cum reliquis de Laudibus, ut suprà. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.* 148. *sed loco ultimi, Psalmus.* Laudáte Dóminum omnes gentes. 153. *Capitulum & Vesp. ut in primis Vesp.*

Ad Magnificat. Antiph Similábo eum viro sapiénti qui ædificávit domum suam supra petram. *Oratio ut in primis Vesperis.*

In festo Confessoris non Pontificis trium Lectionum omnia ut supra ritu quo notatum est in communi Apostolorum trium Lectionum. Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum, Versus Antiph. ad Magnificat & Oratio ut suprà.

Ad Matutinum Invitat. Regem Confessórum Dóminum, veníte adorémus, &c. *Novem Antiphonæ novem Psalmi ut suprà, duæ primæ Lectiones, de Scriptura occurrente, tertia ut habetur in proprio. Ad Laudes & Horas ut suprà.*

Si contingat celebrari octavam de aliquo Confessore non Pontifice, Officium infra octavam fit eodem ritu quo in Festo trium Lectionum duæ primæ Lectiones de Scriptura occurr.

Tertia ut habetur infra pro qualibet die octavæ. Ad Laudes & horas ut in die Festi. Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente, Capitulum, Versus Aña, ad Magnificat & Oratio ut in die Festi.

Die secunda infra octav.
De Ser. S. Gregór. Nazian.
In Laudem Athanasij
℟ *Lectio ij.*

SAnctum N. laudans; virtútem laudábo. Idem enim est illum dícere; quod virtútem Láudibus efférre: quóniam virtútes in se omnes colléctas tenébat; vel ut veriùs loquar: tenet. Deo quippe omnes vivunt, qui piè religiosèq; vixérunt; etiámsi ex hac vita migrárint: Unde & Deus; Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, dícitur ut vivéntiū Deus, non mortuórum. Virtútem autem laudans, Deum laudábo; à quo virtus homínibus est: idque ut per cognátā illuminatiónem; ad eum adducántur: seu potiús reducántur. Nam cùm multa & magna sint atque adeò tot & tanta, ut nemo ea sermóne complécti possit; quæ nos à Deo partim habémus partim habitúri sumus: máximum tamen & humaníssimum; est propénsio ad eum: atque cōjúnctio. Nam quod rebus in sensum cadéntibus est sol: hoc iis quæ ánimo & ratióne intelligúntur est Deus. Tu autem Dómine.

Die tertia infra octavam.
De Sermóne sancti Gregórij Naziánzeni. *Ibidem.*
Lectio iij.

FAcite igitur, quicúnq; laudum illíus præcónes ac testes estis; ut virtùtes illíus inter vos partiámini: ac præclárum certámen inter vos ineatis; viri simul & fœminæ; adolescéntes & vírgines; senes ac junióres: Sacerdotes & pópulus. Solitárii & in sodalítio vivéntes; qui simplicitátis & qui exactióris vitæ studiósi: quorum vita aut contemplatióni addícta est, aut actióni. Hic illíus, velut córpore vacántis, ac matériæ expertis; in jejúniis atque oratiónibus, assiduitátem: laúdibus vehat, ille insuperábilem in vigíliis ac Psalmódiis vigórem. Alius egéntium curam & præsidium: álius ut vel supérbis & elátis restíterit; vel ad húmiles se demíserit: narret. Qui solitáriam vitā agunt; laudent excitatórem: qui in sodalítiis vivunt; legislatórem: símplices ductórem. Tu autem.

Die quarta infra octav.
De Sermóne S. Ephrem
Syri.
Lectio iij

SAnctus hic nimírum verè gressus virtútum; liber laudum; vita miraculórum: qui in carne grádiens, spíritu incedébat; communémque cum áliis in terrâ vitam degens: supérna contemplabátur. Beryllum; plectrum mysticæ cítharæ: regiónem sanctórum Angelórum obléctans. Certus agnus mátricis vitæ; Spíritus sancti agrum ac hortum illústrans; desidério atque amóre exúltans: ac florem ex imâ radíce pretiosíssimæ Crucis decérpens. Præsepè sacrórum dógmatum; linguá sermónum præmium rectárum atque utílium cogitatiónum demérgens seípsum in profúndum Scripturárum, & præcláram indè margarítam háuriens divínæ vitis ornátus botrus, divínam cælitus dulcédinem enúntians, membrána pulchra divínæ sapiéntiæ quæ de cælo divínas impressiónes accépit. óptimus regni supérni campus: fertíles justítiæ fructus Deo prodúcens. Tu autem.

Die quinta infra octav.
De Sermóne S. Euchérij
Lugdunénsis Epíscopi.
Serm. de sancto Maximo.
Lectio iij.

QUanta ornaménta; quanta monília virtútum; vobis fabricátus est Sanctus N. vobis enim iste Athléta Christi, in illo agóne sudávit: vobis dum se extóllit fructificávit sibi. Illic serens: vobis colligébat; sibi quærens: vobis néscius acquirébat. Sibi paratúrus præcónia: vobis solutúrus usúram. Vobis hæc spiritális colúmba; cibum de illa Christi mensa: & Angélica congregatióne capiébat. Vobis potum de illo gratiárum fonte síticns hauriébat; ut quasi mater sollícita, escas quas de illo vitæ horreo súmpserat: in sensus nostros, pleno de corde transfúnderet. Vobis prophética hæc apis: salútifera in illo alveário, mella confécit. Vestris profectibus militávit; sic lampas magna non sibi accenditur: sed lumen suum éminùs circumjécta jaculátur. Speciósum fu-

dens flámmeum fulgórem ; & univérsis qui assístunt íntegrum ; & síngulis totum.

Die sexta infra octav.

De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Eodem Sermone.

Lectio iij.

INternórum bonórũ suórum formas ac spécies ; élaborávit occultáre, Sanctus N. Ut de ornaméntis sanctæ ánimæ suæ dictum áccipi possit ; omnis glória ejus , filiæ regis ab intùs ; in fimbriis aúreis circumamícta varietáte. Dignè in fimbriis aúreis ; quia magis ac magis ; in óperum suórum fulsit extrémis. Dignè, inquam, in fímbriis áureis ; quia pretiósior seipso ; in novíssimis fuit. Et sicut hic dixit, in vestimentórum fine ; ita ille in áctuum suórum cõsummatióne plus cláruit. Itaque dum in sancta Cõgregatióne ; Angélicis stúdiis schólã Christi índuit ; splendébat omnis pátria radiáta ac repercussa suórum luce meritórum. Inter hæc ille, cum vellet augéri ; nolébat agnósci. Quia hæc est natúra justítiæ ; ut quantò studiósius abscóndi optat ; tantò clárius innotéscat ; & occultátio ; ipsi prodítio sit.

Die septima infra octav.

De Sermóne S. Bernárdi Abbátis. *Serm.* I.

Lectio iij.

SAncti N. vita & glória speciális ; non tam ad glóriam, quam ad virtútẽ próvocat ; omnes qui recto sunt corde. Non recti planè ; sed pervérsi est ánimi ; antè quærere glóriam quàm exercére virtútem ; & velle coronári ; qui legítimè non certáverit. Vanum est vobis inquit ; antè lucem súrgere. Ita est ; frustrà ad celsitúdinem nítitur glóriæ ; qui priùs ; non cláruit virtúte. Frustrà fátuæ Vírgines sponso obviam surgunt ; quarum lámpades extinguúntur ; & ídeò fátuæ, quia vácuis gloriántur lampádibus ; virtútis óleum non habéntes. Virtus gradus ad glóriam ; virtus mater glóriæ est. Fallax glória ; & vana est pulchritúdo ; quam illa non parturívit. Sola est cui glória jure debétur ; & secùrè impenditur. Tu autem Dómine.

In die octava; novem Lectionum. Omnia ut in die.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Joánnis Chrysóstomi.

Orat. de sancto Philogono. ante med.

Lectio iv.

AD hanc beátam réquiem tránsiit beátus N. quænam igitur orátio par sit viri láudibus: quem Deus tam felíci sorte dignátus est? Non est ulla Sed age, dic mihi; num idcircò silébimus? & cujus rei causâ convénimus? an dicém⁹ nos haud posse magnitúdinem gestórum; oratióne cónsequi? Atqui ob hoc ipsum necésse est dícere; quandóquidem hæc est præcípua laudũ illíus pars: quòd factis verba æquiparári nõ possint. Nam quorum benefácta natúram étiam súperant mortálem; perspícuum est: quod horum laudes, excédunt linguam humánam. Haud tamen ob id aspernábitur offícium nostrum; quod pro víribus præstámus: sed suum imitábitur Dóminũ. Síquidẽ & illi víduæ duos tantùm óbolos adjicienti in gazophylácium; non tantùm duórum obolórũ mercédẽ: sed multò amplió rem réddidit. Tu autem.

Lectio v.

PRoínde quamvis nostræ facultátes exíguæ sint: minimíque prætij; âttamen quæ póssumus: offérimus. Ea licet non respóndeant magnitúdini meritórum, ánimæ præclári justíque N. tamen hoc celsitúdinis illíus máximum fúerit argu méntum: quòd nec pusilla repellat, sed idem fáciat quod solent dívites. Siquidem illi cùm accéperint à tenuibus exígua quibus nõ egent, sua vicíssim appónunt remunerántes eos: qui quod póterant obtúlerint. Itidem & hic cùm accéperit à nobis laudẽ verbis perráctam: quâ nequâquam eget; redonábit nobis per ipsa facta benedictiónem: quâ semper uti possímus, Tu autem.

Lectio vj.

UNde ígitur laudatiónem illíus auspicábimur: An à magistrátus quem Spíritûs illi trádidi- grátia; nam mundáni Magistrátus; nequâquam pos-

sunt Christianórum demonstráre virtútes: quin pótiùs, frequénter habent accusatiónē malítiæ. Quā ob causam quóniam & sollicitúdines amicórum; & circumcursationes; & adulatiónes aliáque permúlta his fœdióra: tales magistrátus solent conciliáre. Cæterùm ubi Deus suo suffrágio designárit áliquem: incorrúptum suffrágium; aliénum ab omni suspicióne judícium; indubitáta fúerit deléćti cōprobátio: propter ejus qui delégit auctoritátē. Tu autē.

In tertio Nocturno.

Léćtio sancti Evangélij: secundùm Lucam.

Lectio vij. c. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Sint lumbi vestri præcíncti; & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: & vos símiles homínibus; expectántibus Dóminum suum: quando revertátur à núptiis. Ut cum vénerit; & pulsáverit: conféstim apériant ei. Et réliqua.

Hom. S. Augustíni Epísc.

Serm. 39. de Verbis Domini.

AUdístis modò Evangélium quid monúerit nos: cautos nos fáciens; & volens esse expedítos & parátos: ad expectándum novíssima. Ut post novíssima quæ sunt in hoc sæculo metuénda; succédat réquies: quæ non habet finem. Beáti qui partícipes facti fúerint. Erunt autem tunc secúri: qui modò non sunt secúri; & iterùm tunc timébunt: qui modò timére nolunt. Ad hanc expectatiónem; & propter hanc spem: Christiáni facti sumus, Nonne spes nostra non est de hoc sæculo? Non amémus sæculum; ab amóre sæculi hujus vocáti sumus: ut áliud sæculum sperémus & diligámus. In hoc abstinére nos debémus, ab ómnibus illícitis concupiscéntiis: hoc est lumbos accínctos habére; debémus & fervére, & lucére, in opéribus bonis: hoc est lucérnas ardéntes in mánibus habére. Tu autem.

Lectio viij.

LUmbos nostros accínctos esse vóluit: & lucérnas ardéntes. Quid est lumbos accínctos; declína à malo: quid est lucére; quid est lucérnas ardéntes habére: hoc est, & fac bonum.

num. Quid est quod adjúnxit & ait. Et vos símiles estóte homínibus expectántibus Dñm suum: quandò revertátur à núptiis. Nisi quod in illo Psalmo séquitur; inquíre pacem: & perséquere eam. Hæc tria: Hoc est abstinéntia à malo; & operátio boni; & spes præmij ætérni: commemoráta sunt in áctibus Apostolórum. Ubi scriptum est. Quia docébat eos Paulus de continéntiâ; de justítiâ: & spe vitæ ætérnæ. Ad continéntiam pértinet; sint lumbi vestri accíncti: ad justítiam pértinet; & lucérnæ ardéntes: ad expectatiónem Dómini pértinet; símiles estote homínibus expectántibus Dóminum suum: quæ est spes vitæ ætérnæ. Tu autē.

Lectio ix.

HAbéntes autem ista præcépta & promíssa; quid quærimus in terrâ? Dies bonos, ubi eos inveníre non póssumus. Scio enim quia eos quæritis; quandò aut ægrotátis, aut in tribulatiónibus estis: quæ abúndant in hoc sæculo. Quóniam quandò ætas vergit ad finem; & senex plenus est querélis & nullis gáudiis: inter omnes tribulatiónes quibus contéritur genus humánum; non quærunt hómines nisi dies bonos: & vitam volunt longam quam hic habére non possunt. Quia & longa hóminis vita tantâ brevitáte constríngitur ad univérsi sæculi illius latitúdinem; quasi si una gutta: ad univérsum mare comparétur. Tu autem.

Ad Laudes & Horas omnia ut in die ad Vesperas Aña & Psalmi de Feria occurrente cætera ut in die.

COMMUNE VIRGINUM.

Ad Vesperas si sit Festum Duplex, Aña. In odórem. *cum reliquis de Laudibus, ut infra. Psalmi.* De beáta Maria Vírgine. *ut in ejus Officio parvo ad Vesperas, ut infra.*

Si verò non fuerit festum Duplex Antiph. & Psalmi de Feria occurrente.

Capitulum. 2. Cor. 10.

QUi gloriátur in Dómino gloriétur; non enim qui seípsum comméndat ille probátus est: sed quem Deus cōméndat.

℣. Spécie

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde prósperè procéde, & regna.

Ad Magnificat, Ana.
Ipsi sum desponsáta, cui Angeli sérviunt; cujus pulchritúdinem, sol & luna mirántur.

Oratio. Orémus.

INdulgéntiam nobis Dómine beáta N. Virgo & Martyr implóret; quæ tibi grata semper éxtitit,& mérito castitátis: & tuæ proféssióne virtútis. Per Dñm.

Ad primam Processionē.
℟. j. Locútus est ad me unus ex septem Angelis dicens veni osténdam tibi novam nuptam sponsam Agni: * Et vidi Jerúsalem descendéntem de cælo ornátam monílibus suis.

Oratio. Orémus.

DEus qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam mártyrij contulísti: concéde propítius ut qui beátæ N. Vírginis, & Mártyris tuæ natalítia cólimus: per ejus adte exémpla gradiámur. Per Dñm.

Ad secundam Processionē,
℟. ij. Véniens à Líbano quam pulchra facta es: * Et odor vestimentórum tuórum super ómnia arómata.

Oratio. Orémus.

OMnípotens sempitérne Deus, qui infirma mundi éligis ut fórtia quæque confundas: concéde propítius; ut qui beátæ N. Mártyris tuæ solémnia cólimus: ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dñm.

Ad Completoriū, Hymnus.

JEsu coróna Vírginum;
Quem Mater illa cóncipit,
Quæ sola Virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe.

Qui pascis inter lília,
Septus chóreis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens præmia.

Quocúmque pergis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant;
Hymnósque dulces persónant.

Te deprecámur lárgiùs,
Nostris adáuge sénsibus;
Nescíre prorsùs ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Laus honor, virtus, glória
Deo Patri, & Fílio
Unà cum sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
℟. Amen.

Ad

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Vírginum Dóminum. Veníte adorémus. *Psalm.* Veníte exultémus. 2.

In primo Nocturno, Aña. O quam pulchra est.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster : * quam admirábile est nomen tuum, in univérsa terra.

Quóniam eleváta est, magnificéntia tua super cælos.

Ex ore infántium, & lacténtium, perfecísti laudem propter inimícos tuos : * ut déstruas inimícum, & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos ópera digitórum tuórum : * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo quòd memor es ejus : * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum.

Minuísti eum paulóminùs ab Angelis: * glória & honóre coronásti eum : * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus: * oves & boves univérsas : * insuper & pécora campi.

Vólucres cæli & pisces maris : * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster : * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra. Glória Patri.

Aña. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte.

Antiphona. Hæc est,

Psalmus 15.

COnsérva me Dómine quóniam sperávi in te : * Dixi Dómino Deus meus es tu : * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus : * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * postèa acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum, per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei : * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim hæréditas meà, præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui

qui tríbuit mihi intelléctum:* ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper:* quóniam à dextris est mihi; ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum & exultávit lingua mea : * ínsuper & caro mea, requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * neque dabis sanctum tuum, vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vita, adimplébis me lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua, usque in finem.

Glória Patri.

Aña, Hæc est quæ nescívit thorum in delicto; habébit fructum, in respectióne animárum sanctárum.

Antiphona. Quam pulchri sunt gressus tui.

Psalmus 23.

DOmini est terra & plenitúdo ejus: * orbis terrárum & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * & super flumina præparávit eum,

Quis ascéndet in montem Dómini : * aut quis stabit in loco sáncto ejus.

Innocens mánibus & mundo corde : * qui non accépit in vanum ánimam suam : * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino : * & misericórdiam à Déo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum : * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras : * & elevámini portæ æternáles : * & introíbit rex glóriæ..

Quis est iste rex glóriæ:* Dóminus fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras : * & elevámini portæ æternáles & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ:* Dóminus virtútum, ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri.

Aña. Quam pulchri sunt gressus tui calceaménti filia príncipis.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Pater

Pater noſter,

Deprecatio. Exúrge Dñe.

Súſcipe deprecatiónem.

Benedictio. Adjútor.

Lectio j.

De Epiſtola prima beáti Pauli ad Corínthios.

DE virgínibus præcéptum Dómini non hábeo ; consílium autem, do tamquam miſericórdiam conſecútus à Dómino : ut ſim fidélis. Exíſtimo ergo hoc bonum eſſe ; propter inſtántem neceſſitátẽ : quóniam bonum eſt hómini ſic eſſe. Alligátus es uxóri : noli quærere ſolutiónem ; ſolútus es ab uxóre : noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem non peccáſti ; Et ſi núpſerit virgo non peccávit : tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúſmodi. Ego autem vobis parcó. Hoc ítaque dico fratres ; Tempus breve eſt : réliquum eſt, ut & qui habent uxóres ; tamquam non habéntes ſint : & qui flent tamquam non flentes : & qui gaudent tanquam non gaudéntes ; & qui emunt tanquam non poſſidéntes : & qui utúntur hoc mundo tanquam non utántur. Prǽterit enim figúra hujus mundi, Tu autem.

℟. Locútus eſt ad me unus ex ſeptem Angelis dicens veni oſténdam tibi novam nuptam ſponſam Agni : * Et vidi Jeruſalem deſcendéntem de cælo ornátam monílibus ſuis.

℣. Et ſúſtulit me in ſpíritu in montem magnum & altum. Et vidi.

Benedictio. Benedictiónibus ſuis. *Lectio ij.*

VOlo autem vos ſine ſollicitúdine eſſe. Qui ſine uxóre eſt ſollícitus eſt quæ Dómini ſunt : quómodo pláceat Deo ; qui autem cum uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ ſunt mundi : quómodò pláceat uxóri, & divíſus eſt. Et múlier innúpta & virgo cógitat quæ Dómini ſunt : ut ſit ſancta córpore & Spíritu. Quæ autem nupta eſt cógitat quæ ſunt mundi : quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem veſtram dico non ut láqueum vobis injíciam ; ſed ad id quod honéſtum eſt : & quòd facultátem præbeat, ſine impediménto ; Dóminum obſecrándi. Tu autem.

℟. Véniens à Líbano quàm

quàm pulchra facta es:* Et odor vestimentórum tuórum super ómnia aromáta. ℣. Speciósa facta es & suávis in delíciis tuis. Et odor. *Benedict.* Cœléstem benedictiónem.

Lectio iij.

SI quis autem turpem se vidéri exístimat super Vírgine sua; quod sit superadúlta, & ita opórtet fieri: quod vult fáciat; non peccat: si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem. potestátem autem habens suæ voluntátis; & hoc judicávit in corde suo, serváre Vírginem suam: benè facit. Igítur & qui matrimónio jungit Vírginem suam benè facit; & qui non jungit: meliùs facit. Múlier alligáta est legi: quanto témpore vir ejus vivit. Quod si dormíerit vir ejus; liberáta est: cui vult nubat, tantum in Dómino. Beátior autem erit; si sic permánserit: secúndùm meum consílium. Puto autem quod & ego Spíritum Dei hábeam. Tu autem.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, * Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem & mansuetúdinem & justítiã & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Proptéreà. Glória Patri. Proptéreà.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Spécie tua.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum: * diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum potentíssime.

Spécie tua & pulchritúdine tua: * inténde prósperè, procéde & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * & dedúcet te mirabíliter, déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ: * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam & odísti iniquitátem: * proptérea

ptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te filiæ regum, in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto : * circúndata varietáte.

Audi filia & vide, & inclína aurem tuam : * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ tyri in munéribus :* vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ Regis ab intus : * in fimbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi Vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tui nati sunt tibi filij : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * & in sæculum sæculi.

Glória Patri.

Aña. Spéce tua & pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde. & regna.

Aña. Adjuvábit eam.

Psalmus 45.

DEus nostrum refúgium & virtus : * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra:* & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sũt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum, altíssimus.

Deus in médio ejús non commovébitur : * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes & inclináta sunt regna : * dedit vocem suam ; mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : *

bíſcum :* ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte & vidéte ópera Dómini quæ póſuit prodígia ſuper terram : * áuferens bella, uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret & confrínget arma : * & ſcuta cómburet igni.

Vacáte & vidéte quóniam ego ſum Deus : * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíſcum : * ſuſcéptor noſter Deus Jacob. Glória Patri.

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu ſuo, Deus in medio ejus non commovébitur.

Aña. Hortus conclúſus.

Pſalmus 47.

MAgnus Dóminus & laudábilis nimis : * in civitáte Dei noſtri in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univérſæ terræ : * mons Sion látera aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in domibus ejus cognoſcétur : * cum ſuſcípiet eam.

Quóniam ecce Reges congregáti ſunt : * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt conturbáti ſunt & commóti ſunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis : * in ſpíritu veheménti, cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum: * in civitáte Dei noſtri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus Deus miſericórdiam tuam : * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Dnus ſic & laus tua in fines terræ : * juſtítia plena eſt, déxtera tua.

Lætétur mons Sion & exúltent fíliæ Juda : * propter judícia tua Dñe.

Circumdáte Sion & compléctímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus:* & diſtribúite domos ejus ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic eſt Deus Deus noſter in ætérnum & in ſæculum ſæculi : * ipſe reget nos in ſæcula.

Glória Patri.

Aña. Hortus conclúſus, ſoror mea ; hortus conclúſus, fons ſignátus.

℣. Adjuvábit eam. Deus vultu

vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur. Pater noster. *Deprecat.* Osténde nobis. *Benedict.* Deus Dei filius.

Sermo sancti Ambrósij Epíscopi.

Lib. I. de Virginibus.

Lectio iv.

INvítat nunc integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus; ne veluti tránsitu quodam præstrícta videátur: quæ principális est virtus. Non enim ídeò laudábilis virgínitas; quia in martyribus repéritur: sed quia ipsa mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus; aut quis naturáli voce cõplecti: quod suprà usum natúræ sit. E cœlo accersívit quod imitaretur in terris; nec imméritò vivéndi sibi usúm quæsívit è cœlo: quæ sponsum sibi invénit in cœlo. Hæc nubes, aëra, ángelos, sideráq; transgrédiens; verbum Dei in ipso sinu patris invénit: & toto hausit péctore. Nã quis tantùm cùm invénerit relínquat boni? Unguéntum enim exinanítũ est nomen tuum; proptéreà adolescéntulæ dilexérunt te: & attraxérunt te. Tu autem.

℟. Dilexísti justítiam & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus. ℣. Omnis glória ejus filiæ regis ab intùs, in fimbriis áureis. Proptérea. *Benedict.* Ætérnam benedictiónem.

Lectio v.

EGo licèt laudatiónem, non suscéperim virginitátis, sed expressiónem; ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis auctor appáreat: ac priùs ubi sit pátria definiámus. Si enim ibi est pátria; ubi genitále domicílium: in cœlo profécto est pátria castitátis. Itaque hic ádvena: ibi íncola est. Quid autem est cástitas Virginális; nisi expers contagiónis intégritas? Atque ejus auctórem quem póssumus existimáre nisi immaculátum Dei filium; cujus caro non vidit corruptiónem: Divínitas non est expérta contagiónem. Vidéte igitur quanta virginitátis mérita sint. Christus ante vírginem: Christus ex

ex vírgine ; à patre quidẽ natus antè sæcula : sed ex vírgine natus ob sæcula. Illud natúræ suæ : hoc nostræ utilitátis est. Illud erat semper : hoc esse vóluit. Spectáte, áliud virginitátis méritum. Christus virgo, vírginis sponsus ; & si dici potest : Christus virgíneæ castitátis ; Virgínitas enim Christi : non virginitátis est Christus. Tu autem.

℟. A dextris est mihi Dóminus ne commovear. * Propter hoc delectátum est cor meum & exultávit lingua mea. ℣. Consérva me Dómine quóniam in te sperávi, dixi Dómino Deus meus es tu. Propter.

Bened. Grátia Spíritus.

Lectio vj.

AUdi ígitur filia & vide & inclína aurem tuam : & oblivíscere pópulum tuum & domum patris tui ; quóniam concupívit rex spéciem tuam : quia ipse est Deus tuus. Advérte quantum tibi Spíritus sanctus : Scriptúræ divínæ testificatióne detúlerit. Argentũ, aurum, pulchritúdinem. Regnum; vel quia sponsa es regis ætérni : vel quia invíctum ánimúm gerens ab illécebris voluptátum ; non captíva habéris : sed quasi regína dominátis. Aurum ; quia sicut illa matéries examináta igne pretiósior est : ita córporis spécies virginális ; Spíritu consecráta divíno : formæ suæ acquírit augméntum. Pulchritúdinem verò, quis potest majorem existimáre ; decore ejus, quæ amátur à Rege : probátur à júdice ; dedicátur Dómino : cõsecrátur Deo. Semper sponsa : semper inúpta ; ut nec amor finem hábeat : nec damnum pudor. Hæc profectò vera pulchritúdo est : cui nihil deest. Quæ sola merétur audíre à Dómino : tota es formósa ; próxima mea : & reprehénsio non est in te. Tu autem.

℟. Induit me Dóminus vestiménto salútis, & induménto lætítiæ circúndedit me : * Et tanquã sponsam decorávit me coróna. ℣. Gaudens gaudébo in Dño & exultábit ánima mea in Deo meo. Et tanquam. Glória. Et tanquã.

In tertio Nocturno.

Aña. Surge Aquilo.

Psalmus

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dñs portas Sion, super ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, cívitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babylónis, ſciéntium me.

Ecce alienígenæ & Tyrus, & pópulus Æthyopum: * hi fuérunt illic.

Nunquid Sion dicet homo: * & homo natus eſt in ea; * & ipſe fundávit eam altíſſimus.

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum, & príncipum: * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómniū, habitátio eſt in te.

Glória Patri.

Aña. Surge Aquilo & ventus Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromáta illíus.

Aña. Media nocte.

Psalmus 96.

DOminus regnávit exúltet terra: * lætén-tur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus: * juſtítia & judíciū corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet: * & inflammábit in circúitu, inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini: à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiaverunt cæli juſtítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriā ejus.

Confundántur omnes qui adórant ſculptília: * & qui gloriántur, in ſimuláchtis ſuis.

Adoráte eum omnes ángeli ejus: * audívit, & lætáta eſt Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dominus altíſſimus ſuper omnem terram: * nimis exaltátus es, ſuper omnes Deos.

Qui dilígitis Dóminum odite malum: * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum: * de manu peccatóris, liberávit eos.

Lux orta eſt juſto: * & rectis corde lætítia.

Lætámini juſti in Dómino: * & confitémini memóriæ, ſanctificatiónis ejus. Glória Patri.

Aña. Media nocte clamor factus eſt; ecce ſponſus venit,

venit, exite obviam ei.

Aña. Vírgines prudéntes.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * ante conspéctum géntium, revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ, salutáre Dei nostri: * jubiláte Dómino omnis terra: * cantáte, & exultáte, & Psállite.

Psállite Dómino in cythara, in cythara & voce psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu simul: * montes exultábunt à conspéctu Dómini: * quóniam venit, judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia: * & pópulos in æquitáte.

Glória Patri.

Aña. Vírgines prudéntes sumpsérunt óleum in vasis suis, cum lampádibus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℞. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnũ.

Pater noster.

Deprecatio. Adjutórium nostrum.

Benedictio. Redémptor.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Símile est regnum cælórum decem Virgínibus; quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam, sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ: & quinque prudéntes, Sed quinque fátuæ; accéptis lampádibus: non sumpsérunt óleum secum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. de Verbis Domini.

INténtum me fecit Evangélium sanctum. Etiam ipsas Vírgines & ipsas feréntes lampádes; álias dixit prudéntes: álias stultas. Unde intuémur; unde discérnimus? de óleo. Aliquid

quid magnum. Signíficat óleum ? valdè magnum. Putas non cháritas est ? Quæréndo dícimus ? non senténtiam præcipitámus. Undè mihi videátur óleum cháritas significári ? dicam vobis. Apóstolus dicit ? adhuc supereminentiórem vobis viam demónstro. Supereminentiórem viam, quam demónstrat ? Si linguis hóminum loquar & Angelórum ; charitátem autem non hábeam ? factus sum æraméntum sonans, aut cymbalum tínniens. Ipsa est superéminens via; id est cháritas ? quæ méritò, óleo significátur. Tu autem.

℟. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus: * Myrrhæ & thuris, & univérsi púlveris pigmentárij. ℣. Emissiónes tuæ paradísus malórum punicórum, cum pomórum frúctibus. Myrrhæ.

Benedictio. Unigénitus Dei Fílius. *Lectio viij.*

VOluérunt obviàm ire sponso. Quid est ire obviàm sponso ? corde ire; expectáre ejus advéntum ? sed ille tardábat. Dum tardat ille ? dormiérunt omnes. Quid est omnes ? Et fátuæ & sapiéntes ; dormitavérunt omnes ? & dormiérunt. Putámus bonus est somnus iste. Quid est somnus iste ? ne fortè tardánte sponso ; quóniam abúndat iníquitas ? refrigéscet cháritas multórum. Síccine intellectúri sumus istum somnum ? non mihi placet. Dico quare. Quia sunt ibi prudéntes ; & útiquè quandò dixit Dóminus, quóniam abundávit iníquitas, refrigéscet cháritas multórum ? subjécit & ait. Qui autem perseveráverit usque in finem ? hic salvus erit. Ubi vultis esse istas prudéntes ? Nonnè in his quæ perseveráverunt usque in finem. Non ob áliud prorsùs admitteréntur intrò ? nisi quia perseveravérunt usque in finem. Tu autem Dómine.

℟. Surge própera amíca mea & veni ; jam enim hyems tránsiit, imber ábiit & recéssit : * Flores apparuérunt in terra. ℣. Vox túrturis audíta est in terra nostra, ficus prótulit grossos suos. Flores apparuérunt.

Benedictio. Ad supernórum cívium.

Lectio ix.

NE fortè ínquiunt non sufficiat nobis & vobis; ite pótiùs ad vendéntes: & emíte vobis. Non consuléntium, sed irridéntium est ista respónsio. Quare irridéntium? quia sapiéntes erant; quia sapiéntia erat in illis: non enim sapiéntes de suo erant. Sed illa in illis erat sapiéntia de qua scriptum est in quodam libro; quæ dicit contemptóribus suis, cùm vénerint ad mala quæ illis mináta est: Et ego vestræ perditióni superidébo. Quid mirum est, quia sapiéntes irrídent fátuas? quid est irridére? Ite ad vendéntes & émite vobis. Quæ non solebátis benè vívere; nisi quia vos hómines laudábant: quia vobis óleum vendébant. Quid est óleum vendébant? laudes vendébant. Qui vendunt laudes nisi adulatóres? quantò magis non acquiescerétis adulatóribus; & intùs óleum portarétis: & propter bonam consciéntiam ómnia bona ópera facerétis. Tu autem.

℞. Laudáte Dóminum Deum nostrum: * Qui non deséruit sperántes in se & in me adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël.
℣. Laudáte Dóminum omnes gentes, & collaudáte eum omnes pópuli. Qui non deséruit. Glória Patri. Qui non.

Si sit Festum Duplex vel occurrerit in Dominica dicitur Te Deum laudámus. *Et tunc non dicitur.* Glória Patri.

AD LAUDES

Antiphona.

IN odórem unguentórum tuórum currémus; adolescéntulæ dilexérunt te nimis. *Psalmus.* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.* 20. *Aña.* Pulchra es & decóra filia Jerúsalem; terríbilis ut castrórum ácies ordináta. *Aña.* Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. *Aña.* Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me, in ætérnum. *Antiphona.* Revértere revértere, Sunamítis, revértere, revértere; ut intueámur te.

Capitulum. 2.Col.10.

QUi gloriátur in Dómino gloriétur ; non enim qui seípsum comméndat , ille probátus est : sed quem Deus cōméndat.

℣. Audívit & lætáta est Sion. ℟. Et exultavérunt filiæ Judæ.

Ad Benedictus , Aña. Ecce quod cupívi jam vídeo quod sperávi jam téneo ; illi sum juncta in cælis quem in terris pósita, tota devotióne diléxi.

Orémus. *Oratio.*

INdulgéntiam nobis Dómine beáta N. Virgo & Martyr implóret ; quæ tibi grata semper éxtitit , & mérito castitátis : & tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Ad Tertiam , Capitulum. Qui gloriátur. *ut suprà.*

℟. Spécie tua & pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde próspere procéde & regna. Spécie. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur,

Orat. Indulgéntiā. *ut sup.*

Ad Sextam, Capitulum.

ÆMulor enim vos Dei æmulatióne ; despóndi enim, vos uni viro : Vírginem castam exhibére Christo.

℟. Adjuvábit eam Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Adjuvábit. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam Mártyrij contulísti : concéde propítius ; ut qui beátæ N. Vírginis & mártyris tuæ , natalítia cólimus : per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Ad Nonam , Capitulum. 1. Cor.7.

MUlier innúpta, & virgo ; cógitat quæ Dómini sunt : ut sit sancta, córpore , & spíritu.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Diffúsa. ℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Diffúsa. Glória Patri. Diffúsa. ℣. Audívit & lætáta est Sion. ℟. Et exultavérunt filiæ Judæ.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui infirma mundi éligis ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut qui beátæ N. Vírginis & Mártyris tuæ, solémnia cólimus: ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas si sit Festum Duplex. Aña. In odórem. *cum reliquis de Laudibus. Psalmi, ut in primis Vesp.*

Si autem non sit Festum Duplex dicuntur Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum & Versus ut supra in j. Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Annulo suo subarrhavit me Dóminus meus Jesus Christus, & tanquam sponsam, decorávit me coróna. *Oratio.* Indulgéntiam. *ut suprà.*

Ad Processionem primum Responsorium Officij diei sequentis.

In Festo Virginis trium Lectionum omnia ut supra; ritu quo notatum est in Communi Apostol. trium Lectionum. Ad Vesperas Antiphonæ Psalm. de Feria occurrente. Capit. Versus, Antiph. ad Magnificat & Oratio ut supra.

Ad Matutinum, Invit. Regem Vírginum Dóminum. Veníte adorémus.

Novem Antiphonæ & novem Psalmi ut suprà. Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente. Tertia ut habetur in proprio. Ad Laudes & Horas ut suprà.

Si contingat celebrari Oct. de aliqua Virgine; Officium infra Octavam fit eodem ritu quo in Festo trium Lectionum duæ primæ Lectiones de Scripturâ occurrente, tertia ut habetur infra pro qualibet die Oct. ad Laudes & Horas ut in die Festi. Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente, Capitulum Versus Antiphona ad Magnificat, & Oratio ut in die Festi.

Die secunda infra Oct.

De Sermóne sancti Máximi Epíscopi.

Serm. in Natali S. Agnetis.

Lectio iij.

CUm in toto mundo Virgíneus flos Maríæ immarcessíbiles corónas innéctat; & sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu: eo

usque

uſque intégritas perſeverávit ad palmam; ut in puéllis trophæum ſanctitátis arríperet : & per veſtígia Matris Vírginis, ad cæléſtem thálamum perveníret. Hinc eſt quod ánnulo fidei N. ſe áſſerit ſubarrhátam : & clamat ſe, amóre ſponſi conſtríctã. O quàm imitábile Virgínibus : Virgo tui amóris, tradidíſti exémplum; ô quam ſanctum pectóribus dandum virgíneis : tribuíſti reſpónſum. Contemnéndo mundi divítias; execrándo carnis concupiſcéntias : & ſolam Chriſti pulchritúdinem adamándo. Accédite ad puéllam, puéllæ; & diſcite quales in péctore ſuo : circa amórem Chriſti, flammas accéndit. Dicit ſe amatóri ſuo ſerváre fidem; & ejus corpus concupíſcere ſolùm : qui pro amóre hóminum, mortis non recuſávit intéritum. Tu autem.

Die tertia infra Octavã.

De Sermóne ſancti Máximi Epíſcopi.

Eodem Sermone.

Lectio iij.

N Beatíſſima magnum de ſe pudicítiæ excitávit exémplum; cùm Virginitátem prætulit vitæ : omnémque à ſe amórem ſceléſtum expéllens, trophæum crucis Chriſti arrípuit. Et tam contra libídines quàm étiam contra ſupplícia univérſa; fide pótiùs armáta quam ferro : fórtiter dimicávit, & vicit. Aſpicit dénique blandiéntem, & rénuit; minántem incéndium : atténdit, & ridet. Neſcit amáre áliquid quod tranſit; & dum nimis virginitátem díligit : nec ludíbria; nec flammas; nec ſupplícia : nec carníſices métuit. Poſtrémò nec gládium : furéntis percuſſóris expávit. Compéllitur Virgo ornaménta ſuſcípere córporis; ſed rénuit : quóniam jam ſuſcéperat mentis. Et quia non de elegántiâ córporis humáni placére ſtudébat; quia timébat de fœditáte ánimæ Dómino diſplicére : dabat intùs per fidem ſuæ menti candórem; pulchritúdinem excolébat ánimæ; & quantùm ſitiébat ut ánimam ſuam pulchram fáceret : tantùm in córpore erubeſcébat ſe eſſe formóſam. Tu autem Dómine.

Die quarta infra octav.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. de sancta Virginitate sub initium.

Lectio iij.

CUm ipsa ígitur univérsa Ecclésia virgo sit desponsáta uni viro Christo; sicut dicit Apóstolus: quantò digna sunt honóre membra ejus; quæ hoc custódiunt etiam in ipsa carne: quod tota custódit in fide. Quæ imitátur matrē viri sui: & Dómini sui. Nam Ecclésia quoque & mater & virgo est. Cujus enim integritáti consúlimus; si virgo non est? aut cujus prolem allóquimur; si mater non est? María corporáliter caput hujus córporis péperit; Ecclésia spiritáliter: membra illíus cápitis parit. In utráque virgínitas, fœcunditátem non ímpedit: in útraque fœcúnditas, virginitátem non ádimit. Proínde cùm Ecclésia univérsa sit sancta & córpore & spíritu; nec tamen univérsa sit córpore virgo sed spíritu: quantò sánctior est in his membris, ubi virgo est, & córpore, & spíritu. Tu autem.

Die quinta infra octav.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

De eodem Libro.

Lectio iij.

HAbeant conjúgia bonum suum non quia filios prócreant: sed quia honéstè; quia licitè; quia pudicè; quia sociáliter prócreant: & procreátos páriter, salúbriter, instánter edúcant. Quia thori fidem ínvicem servant: quia sacraméntum connúbii non víolant. Hæc tamen ómnia humáni officii sunt múnera; virginális autem intégritas, & per piam continéntiam ab omni concúbitu immúnitas: Angélica pórtio est, & in carne corruptíbili incorruptiónis perpétuæ meditátio. Cedat huic, omnis fœcúnditas carnis: omnis pudicítia conjugális. Illa non est in potestáte: illa non est in æternitáte. Profectò habébunt magnum áliquid præter cæteros in illa commúni immortalitáte: qui habent áliquid jam non carnis, in carne. Tu autem.

Die sexta infra octavam.

Sermo-

Sermo S.Gregórii Nysséni.

Lib. de Virginitate.

Lectio iij.

QUi enim Virginitáte nitens, verò sponso adhæret ánimus; non à corpóreis solùm abscédit sórdibus: sed hinc quidem ille puritátem auspicábitur; símili verò étiam ratióne, paríque diligéntia, ad ómnia perténdet; idque adeò timens, ne quò extra honésti ac officii ratiónem vergénte corde: mali alicújus commércio, adúlteræ mentis labem aliquam, ea parte admíttat. Verbi grátia, qui Dómino adhæret ánimus: ut unus cum eo fiat spíritus; velut sociális vitæ jura proféssus, ut eum solum, ex toto corde, totáque virtúte díligat: nec adúlteræ adhærebit; ne unum cum illâ corpus efficiátur: nec álind quidquam eórum quæ salúti advérsa sunt, admíttet.

Die septima infra octav.

De Sermóne S.Methódii, Patriárchæ Constantinopolitáni.

Lib. de Castitate.

Lectio iij.

CHristus ipse, ánimas in Virginitátis propósito constánter comméndans, ait. Sicut lílium in médio spinárum: sic próxima mea in medio filiárum. Lilio cómparans propter puritátem; fragrántiam suavitátem; & hilaritátem recreántis óculos speciéi: donum Virginitátis. Verna quippe res Virginitas; mólliter efflorescéntibus, & semper cándidis éxhalans calícibus: incorruptiónem. Unde & se amáre ipsíus foris formam, fatéri non erubéscit: dum in sequéntibus, sic ait. Cor abstulísti nobis soror mea sponsa; cor abstulísti nobis uno ex óculis tuis: in uno ornaménto cervícium tuárum. Has, Christus, animábus, quæ ad Virginitátis castra concessérunt, laudes canit; omnes uno circúmscribens sponsæ vocábulo: quóniam sponsam sponso nuncupári decet; prorsúsque illibátam servári. Instar horti signáti; ubi ómnia cæléstis fragrántiæ aromáta nascúntur: ut solus véniens ea carpat Christus, incórporeis gemmántia frúctibus. Tu autem.

In die Octava, omnia ut

in die novem Lectionum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Gregórii Nysséni.

Libro de Virginitate.

Lectio iv.

QUod in intemeráta Maríâ corporáli gestum ratióne est: ut plenitúdo divinitátis in Christo virginitátis flore elucéret; hoc ipsum in omni quoque ánimo, qui virginitáte fúlgeat: ratióne præstátur. Cùm Dóminus non ampliùs corporáli advéntu véniat; (Non enim adhuc inquit secundùm carnem Christum nóvimus:) sed ita ut spirituáli ratióne domo péctoris excipiátur; ac unâ Patrē suum indúcat: uti quodam loco testátur Evangélium. Igitur tanta vis Virginitátis est: ut & in cœlis apud Patrem spirítuum máneat; & cum mundo superióribus potestátibus choros ducat: atque ad humánam ipsa salútem conétur. Quæ nimírum ad humánæ vitæ cōmércium Deum per se ipsa trahat; inque seípsâ, ad cæléstium rerum cupiditátem, velut ádditis pennis hóminem érigat: ac velut vínculum humánæ cum Deo necessitúdinis exístat. Dum res tanto intervállo à se natúra dissitas: quæ média intercédit, ad consénsum cogit ác concórdiam. Tu autem.

Lectio v.

SUblímis desidérii sóciā ac adjutrícem; ut in divínis lítteris appellári solet: virginitátem hómini esse dícimus. Ut enim reliquórum studiórum artes quædam; quibus síngula quæque, nostris dédita curis, exequámur: adinvéntæ sunt. Sic Virginitátis quoq; disciplína mihi ars quædam & facúltas diviniór is vitæ esse vidétur; quæ in carne vivéntes: ac natúræ córpore vacántis, similitúdinem compónat. Vitæ enim hujus stúdium omne ac institútum illud est: ne libidínum insúltu ánimi altitúdo in húmile trahátur; nevè ánimus qui sublímia pétere ac cæléstia contuéri debet: ad carnis sanguiníque vitia, affectúsque, ac libídines prolabátur. Quo enim modò

qui carnis terrénæ libídini cohæréſcat: ac qui omnem humánis affectibus cupiditátem addíxerit; ad cognátum ac ſpirituále lumen mentis óculum eréxerit: cùm ex pravâ ac inerudítâ occupatióne, ad terréna luteáque vergat propensè, atque ferátur. Tu autem.

Lectio vj.

VIdetúrque ejus quæ in futúro ævo fruénda eſt, beatitúdinis; ſimuláchrum quoddam Virginális vita exiſtere: multa ſigna præferens illórum bonórum, quæ ſunt per ſpem repóſita. Facile verò eórũ quæ dicta ſunt véritas dilucéſcat: oratiónis accuráto exámine. Primùm quidem; quod qui ſemel peccáto mórtuus eſt: deínceps vivat Deo. Qui non ámpliùs morti fructíficet; ſed quoad licet, consúmmátâ in ſe carnáli vitâ: beátam demùm ſpem & apparitiónem magni Dei expéctet; nullo interſtítio inter ſe Deíque advẽtum: per intercéptas generatiónes relicto. Deínde quæ in reſurrectióne exímia futúra bona ſunt: iis in hac ipsâ vitâ fruítur. Si enim vita ángelis compar, poſt reſurrectiónem à Dómino juſtis promíſſa eſt: hocque Angélicæ natúræ própriũ, ut ſint à núptiis immúnes; jam promiſſiónis bona accépit: qui ſanctórum commixtus ſplendóribus; vitáque impollútâ: Spirítuum puritátẽ imitátur. Tu autẽ.

In tertio Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii: ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis. Símile eſt regnum cælórum decem Virgínibus; quæ accipiéntes lámpades ſuas: exiérunt obviam, ſponſo, & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ: & quinque prudéntes; ſed quinque fátuæ, accéptis lampádibus: non ſumpsérunt óleum ſecum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 22. de Verbis Domini.

VIdéntur ítaque mihi quinque Vírgines; ſignificáre quinquepartítam continéntiam: à carnis illécebris. Continéndus eſt enim ánimi appetítus, à voluptáte oculórum; à vo-

luptáte áurium ; à voluptáte olfaciéndi ; gustándi, tangéndi. Sed quia ista continéntia partim coram Deo fit ut illi placeátur interióre gáudio consciéntiæ ; partim coram homínibus tantùm , ut glória humána capiátur : quinque dicúntur sapiéntes, & quinque stultæ. Utræque tamen Vírgines;quia utráque cōtinéntia est : quamvis divérso fómite gáudeat. Lámpades autē sunt, quia mánibus portántur ópera : quæ secúndùm istam continéntiam fiunt. Tu autem.

Lectio viij.

SEd quinque fátuæ ; accéptis lampádibus suis : non sumpsérunt óleum secum. Multi enim quamvis de Christi bonitáte plúrimum sperent ; gáudium tamen non habent, dum continénter vivunt : nisi in láudibus hóminum. Nō ergo habent óleum secum : nam ipsam lætítiam, óleo significári árbitror. Proptérea inquit unxit te De⁹; Deus tuus : óleo lætítiæ. Qui autem non proptérea gaudet ; quia Deo intrínsecus placet : non habet óleum secum. Prudéntes autem accepérunt óleum secum in vasis,cum lampádibus suis ; id est lætítiam óperum bonórum : in corde atque consciéntiâ posuérunt. Sic & Apóstolus monet. Probet se inquit homo : & tunc in semetípso habébit glóriam , & non in áltero. Tu autem.

Lectio ix.

EUntibus autem illis émere : venit sponsus. Id est inclinántibus se illis in ea quæ foris sunt : & sólitis gaudére præséntibus ; quia gáudia intérna : non nóverant. Venit ille qui júdicat. Et quæ parátæ erant ; id est quibus bonum coram Deo testimónium consciéntia perhibébat : intravérunt cum eo ad núptias; id est ubi munda ánima : sempitérno Dei Verbo fœcundáta, copulátur. Clausa est jánua ; id est recéptis illis,qui sunt in Angélicam vitam immutándi : Omnes enim resurgémus inquit;sed non omnes immutábimur : clausus est áditus ad regnum cælórum. Non enim post judícium : patet precum, aut meritórum locus. Novissimè

Novíssimè autem véniunt & réliquæ Vírgines; dicéntes Dómine Dómine: aperi nobis. Non dictum est quod émerint óleum; & ídeò intelligéndæ sunt, nullo jam remanénte, de aliénis láudibus & magnis afflictatiónibus: redíre ad imploratiónem Dei. Sed magna est ejus sevéritas, post judícium; cujus ante judícium: ineffábilis misericórdia prærogáta est. Tu autem.

Ad Laudes & Horas omnia ut in die. Ad Vesperas, Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente.

Capitul. Vers. Antiph. ad Magnific. Orat. ut in die.

Ad Processionem 1. Resp. Officij diei sequentis.

COMMUNE *Mulierum sanctarum.*

Ad Vesperas si sit Festum duplex Antiph. Dum esset Rex *cum reliquis de Laudibus Psalmi.* De beáta María, *ut in ejus Officio parvo ad Vesperas. Si non sit Festum duplex Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente.*

Capitulum. Prov. 31.

Mulíerem fortem quis invéniet; procul & de ultímis fínibus prétium ejus: confídit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Ad Magnificat Antiph. Omnis qui se exáltat humiliábitur; & qui se humíliat exaltábitur: dicit Dñs.

Orémus. *Oratio.*

Exáudi nos Deus salutáris noster; ut sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus: ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

Ad 1. Processionem.

℟. 1. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnũ.

Orémus. *Oratio.*

Précibus nostris Dómine sanctæ N. festa celebrámus: præsta quæsumus; ut quæ peccatórum nostrórum præpediúntur obstáculis: illius méritis reddántur accépta. Per Dóminum.

Ad 2. Processionem.

℟. 2. Inítium sapiéntiæ timor Dómini, intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Orémus. *Oratio.*

IN sanctæ N. festivitáte pretiósa, tua Dómine mirabília prædicántes, vota nostra deférimus : præsta quæsumus ; ut sicut ejus tibi grata sunt mérita : sic nostræ servitútis ; accépta reddántur officia. Per Dóminum nostrum.

Ad Completorium.

Hymnus.

FOrtem viríli pectóre,
Laudémus omnes fœminam ;
Quæ sanctitátis glóriâ,
Ubíque fulget inclyta.

Hæc Christi amóre saúcia,
Dum mundi amórem nóxium
Horréscit ; ad cæléstia
Iter perégit árduum.

Carnē domans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens ;
Cæli potítur gáudiis.

Rex Christe virtus fórtium
Qui magna solus éfficis ;
Hujus precátu quæsumus,
Audi benígnus súpplices.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc & in perpétuum
Amen.

Ad Matutinum.

Invitator. In honórem beatíssimæ N. jubilémus; & cantémus Dómino. *Psal.* Veníte exultémus, 2.

In primo Nocturno.

Aña. O quam pulchra est, casta generátio, cum claritáte. *Psalm.* Dómine Dóminus noster. *ut supra in communi Virginum.* cxj.

Aña. In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi mánibus meis. *Psalm.* Consérva me Dómine. cxj.

Aña. Deus adjúvat me, Dóminus suscéptor est ánimæ meæ. *Psal.* Dómini est terra & plenit. *ut sup.* cxij.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde prósperè, procéde, & regna. Pater noster.

Deprecat. Exúrge Dómine. Súscipe deprec.

Benedict. Adjútor & propítius.

De Parábolis Salomónis.

Proverb. 31.

Lectio j.

MUlíerem fortem quis invéniet ? procul & de últimis fínibus prétium ejus ; confídit in ea cor viri sui : & spóliis non indigébit. Reddet ei bonum & non malum : ómnibus diebus

diebus vitæ ſuæ. Quæsívit lanam & linum: & operáta eſt consílio mánuum ſuárum; facta eſt quaſi navis inſtitóris: de longè portans panem ſuum. Et de nocte ſurréxit; dedítq; prædam doméſticis ſuis: & cibária ancíllis ſuis. Cōſiderávit agrum & emit eum: de fructu mánuum ſuárum, plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos ſuos: & roborávit bráchium ſuum. Tu autē.

℞. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem & manſuetúdinem, & juſtítiam, & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Proptérea. *Benedict.* Benedictiónibus ſuis.

Lectio ij.

GUſtávit & vidit quia bona eſt negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucérna ejus. Manum ſuam miſit ad fórtia: & dígiti ejus apprehendérunt fuſum. Manum ſuam apéruit ínopi: & palmas ſuas exténdit ad páuperem. Nō timébit dómui ſuæ à frigóribus nivis; omnes enim doméſtici ejus: veſtiti ſunt duplícibus. Stragulátam veſtem fecit ſibi; byſſus & púrpura: induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus: quando séderit cum ſenatóribus terræ. Síndonem fecit & véndidit: & cíngulum tradídit Chananæo. Tu autem.

℞. Inítium ſapiéntiæ timor Dómini, intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * Laudátio ejus manet in ſæculum ſæculi. ℣. Diſpérſit, dedit paupéribus laudátio ejus. *Benedict.* Cæléſtem benedict.

Lectio iij.

FOrtitúdo & decor induméntum ejus: & ridébit in die noviſſimo. Os ſuum apéruit ſapiéntiæ: & lex cleméntiæ in lingua ejus. Conſiderávit sémitas domus ſuæ: & panē otióſa non comédit. Surrexérunt filij ejus; & beatiſſimam prædicavérunt: vir ejus & laudávit eam. Multæ filiæ congregavérunt divítias: tu ſupergréſſa es univérſas. Fallax grátia; & vana eſt pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipſa laudábitur. Date ei de fructu mánuum ſuárum: &

& laudent eam in portis, ópera ejus. Tu autem.

℟. Spem in álio nunquã hábui præter in te Deus Iſraël: * Qui iráſceris & propitiáris & ómnia peccáta hóminum, in tribulatióne dimíttis. ℣. Meménto Dómine, & oſténde te nobis, in témpore tribulatiónis noſtræ. Qui iráſceris. Glória Patri. Qui iráſceris.

In ſecundo Nocturno.

Antiphona. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde próſperè, procéde & regna. *Pſalmus.* Eructávit cor meum verbum bonum: *ut ſup. in comm. Virg.* cxiv.

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu ſuo, Deus in médio ejus, non commovébitur. *Pſalmus* Deus noſtrum refúgium. cxv.

Aña. Bonum eſt ſperáre in Dómino quam ſperáre in princípibus. *Pſalm.* Magnus Dóminus & laudábilis, nimis. cxvj.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu ſuo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Pater noſter.

Deprecatio. Oſténde nobis Dómine.

Benedict. Deus Dei Fílius.

De Sermóne ſancti Gregórij Nazianzéni.

In laudem S. Gorgoniæ.

Lectio iv.

BEáta N. pudicítiæ quidem laude ádeò præſtitit; adeóque non modò omnes ætátis ſuæ mulíeres; ſed étiàm véteres quæ eo virtútis génere floruiſſe dicúntur, antecélluit; ut cùm in duo hæc génera vita noſtra omnis divíſa ſit; nimírum in matrimónium & cælibátum; quorum álterum ut præſtántius & divínius; ita majóris quoque labóris & perículi; álterum humílius quidem & abjéctiùs; cæterùm minóri perículo obnóxium; vitátis utriúſque ſtatus incómmodis; quidquid in utróque cómmodi erat, delégerit, in unúmque coégerit. Altérius nempé ſublimitátem; altérius ſecuritátem. Fuerítque, citrà ſupercílium pudíca; cælibátus cómmoda matrimónio témperans; ac re ipsà oſténdens, neutrum horum ſuáptè natúrâ tale eſſe; ut nos prorsùs vel Deo vel mundo adſtríngat; vel ab his pénitùs nos séparet. Tu autem.

℟. Dile

℟. Dilexísti justítiam & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus. ℣. Omnis glória ejus filiæ Regis abintus; in fimbriis áureis. Proptéreà.

Benedictio. Ætérnam benedícti. *Lectio v.*

NOn enim quia carni conjúncta erat; idcírcò à Spíritu disjúncta est: nec quia pro cápite virum habébat; ídeò primárium caput ignorávit. Sed mundo, naturæque háctenùs obsecúta; ut carnis legi, vel ei pótiùs qui hanc carni legem indíxit satisfáceret: totam se pósteà Deo consecrávit. Enim verò divínus Sálomon in provérbiis; fœminam domi manéntem virúmque amántem laudat: quæ honéstè in domo versátur; ac muliébria officia viríli & strénuo ánimo exéquitur: sempérque ad fusum & colum manus obfirmat; cæteráque ómnia præstat: quæ ille de honéstâ & indústriâ matrónâ prædicávit. Ego verò si ab his rebus laudándæ N. arguménta péterem: simíliter fácerem, ac si ab umbrâ státuam laudárem; aut ab únguibus leónem: rejéctis majóribus & excellentióribus. Tu autem.

℟. Deus, in te sperávi; Dómine non confúndar in ætérnum: * In tua justítia líbera me & éripe me. ℣. Quóniam tu es patiéntia mea Dómine, Dómine spes mea à juventúte mea. In tua justítia.

Benedictio Grátia Spíritus sancti.

Lectio vj.

QUænam umquam dígnior fuit quæ in públicum se inférret; quænam tamen rárius visa est: minúsque virórum óculis pátuit. Quænam óculos æquè frænávit; quænam risum adeò irrísit: ádeò ut vel levíter subrisísse, propè modum nímiùm ipsi viderétur. Quænam áuribus suis jánuas magis impósuit; quænam rursùs eas divíno sermóni magis apértas hábuit: imò quænam mentem linguæ moderatrícem magis præfécit, ad pronuntiándas Dei justificatiónes: Quænam modum ordinémque lábiis suis magis constítuit; unus illi rubor placébat quem gignit pudor: unus candor quem

quem parit abſtinéntia. Tu autem Dómine.

℟. Parátum cor meum Deus, parátum cor meum: * Cantábo & Pſalmum dicam Dómino. ℣. Exúrge glória mea, exúrge Pſaltérium & cythara, exúrgam dilúculo. Cantábo. Glória Patri. Cantábo.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Déxtera Dómini fecit virtútem; déxtera Dómini exaltávit me. *Pſalm.* Fundaménta ejus in móntibus ſanctis. *ut ſup. in Communi Virg* cxix. *Aña.* Surge áquilo & veni auſter, perfla hortum meũ & fluent aromáta illíus.

Pſalmus. Dóminus regnávit. cxix. *Antiphona.* Quam pulchri ſunt greſſus tui calciaménti, filia príncipis. *Pſal.* Cantáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília. cxx.

℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. Pater noſter.

Deprecatio. Adjutórium noſtrum.

Benedict. Redémptor humáni.

Léctio ſancti Evangélij ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis. Símile eſt regnum cælorum theſáuro abſcóndito in agro: quem qui invénit homo abſcóndit; & præ gáudio illíus vadit, & vendit univérſa quæ habet: & emit agrum illum. Et réliqua.

Homília ſancti Petri Chryſólogi.

De parabolis invẽta marg. & Sagena miſſa.

CHriſtus Jeſus Cæléſtia terrénis comméndat exémplis; de præséntibus ſápere dat futúra: inviſibília, viſibílibus insímulat arguméntis. Probant hoc, ſimilitúdines, quas nobis hódie: Evangélicus clamat audítus. Símile eſt regnum cælórum; hómini negotiatóri: quærénti bonas Margarítas. Neminem qui hoc audit; nomen negotiatóris offéndat: hîc negotiatôrem lóquitur: qui dat miſericórdiam: non qui dat fœnoris, ſemper usúram. Providéntem ornaménta virtútum: non irritaménta vitiórum; gravitátem morum: non lápidum póndera perferéntem. Honeſtá-

tis,

tis, non luxûs monília portántem ; gestántem non voluptátis pompam ; sed insígnia disciplínæ. Tu autem Dómine.

℟. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum, sicut vírgula fumi ; ex aromátibus: * Myrrhæ & thuris & univérsi púlveris pigmentárij. ℣. Emissiónes tuæ Paradísus malórum punicórum, cum pomórum frúctibus. Myrrhæ.

Benedictio. Unigénitus Dei Fílius. *Lectio viij.*

SImile est regnum cælórum ; sagénæ missæ in mare. Similitúdo hæc prodit ; cur in apostolátum piscatóres elégerit Christus ; & captóres píscium ; fécerit hóminum piscatóres; ut divíni Judícij typus ; arte piscatóriâ monstrarétur. Pisces cóngregat captúra confúsos ; sed in vasa discrétio dat eléctos ; sic vocátio Christiána ; justos & injustos malos bonósque cóngregat ; sed bonos malósque ; Eléctio divína discérnit. Símile est regnum cœlórum ; Sagénæ missæ in mare. Ad hujus sæculi mare ; tumens pompâ ; elátum vértice ; undósum sectis ; inscítia fluctuans ; clamósum lítibus; fremens irâ ; sævum perfidiâ ; peccátis náufragum; impietáte demérsum ; misit Piscatóres suos Christus. Tu autem.

℟. Misericórdiam & judícium cantábo tibi Dómine ; psallam & intélligam: * In via immaculáta quandò vénies ad me. ℣. Perambulábam in innocéntiâ cordis mei in médio domus meæ. In via.

Bened. Ad supernórum.

Lectio ix.

IN consummatióne sæculi ; exíbunt Angeli Dei ; & segregábunt malos de médio justórum. In consummatióne sæculi. Qui consummatiónem sæculi credit ; quid de sæculi minoratióne causátur ? qui confidit mansúra succédere ; habére quid quærit transitúra ? Fratres ; mundus de fine princípium sumit ; fine innovátur, non déficit creatúra. Sæculum déficit ; non Creatóri, sed crímini ; neque justis ; sed peccatóribus finiúntur eleménta, In consummatióne sæculi ; exíbunt Angeli ; separáre justos. Nec quisquam

quisquam dúbitet; sanctis Angelos esse paritúros: quibus obséquium suum, promíttit & Christus. Christi vox est: præcingam me, & ministrábo vobis. Segregábunt malos de médio justórum. Portáte justi; portáte: imò indúcias justi date; brevis ista mixtúra: longâ separatióne pensábitur. Tu autem:

℟. Státuit Dóminus supra petram pedes meos, & diréxit gressus meos, Deus meus: * Et immísit in os meum cánticum novum. ℣. Expéctans expectávi Dóminum & respéxit me; & exaudívit deprecatiónem meam. Et immísit. Glória Patri. Et immísit.

Si sit Festum Duplex vel in Dominica occurr. dicitur. Te Deum laudámus. *Et tunc omittitur.* Glória Patri.

AD LAUDES,

Antiphona.

DUm esset Rex in accúbitu suo, nardus mea, dedit odórem suum.

Psalmus. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.* 20. *Antiphona.* In tribulatióne invocávi Dóminum, & exaudívit me in latitúdine. *Aña.* Sub umbra illíus quem desiderábam sedi & fructus ejus dulcis gútturi meo.

Aña. Jocundáre filia Sion: exúlta satis, filia Jerúsalem, alleúia, *Aña.* Revértere, revértere Sunamítis; revértere, revértere, ut intueámur te.

Capitulum Prov. 31.

MUlíerem fortem quis invéniet: procul & de últimis fínibus prétium ejus: Confídit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit.

℣. Audívit & lætáta est Sion. ℟. Et exultavérunt filiæ Judæ.

Ad Benedictus, Aña. Ego autem ad Dóminum aspíciam, & expectábo Deum salvatórem meum.

Orémus. *Oratio.*

EXáudi nos Deus salutáris noster; ut sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus: ita piæ devotiónis, erudiámur affectu. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Capitulum. Mulíerem fortem quis invéniet. *ut suprà.*

℟. Spécie tua, & pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde prósperè, procéde, & regna.

regna. Spécie, tua. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Oratio. Exáudi nos Deus salutáris noster. *ut suprà.*

Ad Sextam. Capitulum

MAnum suam apéruit ínopi; & palmas suas exténdit ad páuperem: non timébit Dómui suæ, à frigóribus nivis.

℟. Adjuvábit eam Deus vultu suo. Adjuvábit.

℣. Deus in médio ejus non commovébitur. Adjuvábit. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Orémus. *Oratio.*

PRécibus nostris Dómine, sanctæ N. festa celebrámus: præsta quæsumus; ut quæ peccatórum nostrórum præpediúntur obstáculis: illíus méritis reddántur accépta. Per Dóminum.

Ad Nonam. Capitul.

MUltæ filiæ congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas; fallax grátia, & vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum ipsa laudábitur.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Diffúsa.

℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Diffúsa. Glória Patri. Diffúsa.

℣. Audívit & lætáta est Sion, ℟. Et exultavérunt fíliæ Judæ.

Orémus. *Oratio.*

IN Sanctæ N. festivitáte, pretiósa, tua Dómine mirabília prædicántes, vota nostra deférimus: præsta quæsumus; ut sicut ejus tibi grata sunt merita: sic nostræ servitútis, accépta reddántur officia. Per Dóminum.

Ad Vesperas si sit Festum duplex Aña. Dum esset Rex: *cum reliquis de Laudibus. Psalmi* de Beáta Vírgine María, *ut in ejus Officio parvo.*

Si autem non sit Festum duplex dicuntur Antiphona & Psalmi de Feria occurrente. Capit. & Versus ut suprà, in primis Vesp.

Ad Magnificat, Aña. Læva ejus sub cápite meo & déxtera illíus amplexábitur me in ætérnum.

Oratio. Exáudi nos Deus salutáris noster. *ut suprà ad Laudes.*

Ad

Ad Processionem, primum Resp. Officij diei sequentis.

In festo mulieris sanctæ trium Lectionum. Omnia ut supra, ritu quo notatum est in communi Apostolorum, trium Lectionum.

Ad Vesperas Antiphonæ Psalmi de Feria occurrente Capitulum Versus Antiph. ad Magnificat & Oratio ut suprà. Ad Matutinum Invitatorium. In honórem. *ut suprà.*cxxxij.

Novem Antiphonæ & novem Psalmi ut suprà. Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia ut habetur in proprio. Ad Laudes & Horas ut sup.

Si contingat celebrari octavam de aliqua Muliere sancta, Officium infra octavam fit eodem ritu quo in Festo trium Lectionum. Duæ primæ Lectiones *de Scriptura occurrente, tertia ut habetur infra pro qualibet die octavæ. Ad Laudes & Horas ut in die Festi. Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capitul. Versus, Antiphona ad Magnificat & Oratio ut in die Festi.*

Die secunda infra octav.

De Sermóne S. Ambrósij Epíscopi.

Libro de Viduis.

Lectio iij.

Vidua non abstinéntia tantùm córporis definítur; sed virtúte designátur: cui præcépta non do ego sed Apóstolus tribuit; honorificéntiam non solus impártior: sed géntium Doctor prius détulit, dicens. Víduas honóra: quæ verè víduæ sunt. Si qua autem vídua filios aut nepótes habet; discat primũ suam domum régere: & mútuam vicem réddere paréntibus. Unde & advértitur, utrúnque pietátis afféctum víduæ inésse debére; ut filios díligat: paréntibus déferat. Ità dum obséquium paréntibus repéndit; magistérium exércet in filios: suóque ipsa remunerátur officio; cùm id quod áliis defert: sibi próficit. Hoc enim inquit; acceptum est coram Deo. Et ídeò; si cógitas vídua quæ Dei sunt: debes id sequi quod Deo placére didicísti. Et supra quidem sanctus Apóstolus; ad continéntiæ stúdium víduas cohortátus, dixit: eas cogitáre

táre quæ sunt Dómini. Tu autem.

Die tertia infra octavam.

De Sermóne S. Ambrósij Epíscopi.

Eodem libro.

Lectio iij.

NEc sola tamen cástitas córporis, víduæ fortitúdo est: sed magna & ubérrima disciplína virtútis; quæ in opéribus bonis: testimónium hábeat. si filios educáverit; si hospítio recéperit; si sanctórum pedes láverit; si tribulatiónem patiéntibus subministráverit: si postremò, omne opus bonū fúerit subsecúta. Vides quàm multas virtútum comprehénderit disciplínas. Primò pietátis officium; secundò hospitalitátis & humilitátis obséquium; tertiò misericórdiæ ministérium, liberalitatísque subsídium: ad summam omnis executiónem boni operis flagitávit. Et ideò adolescentióres devitándas putat: eo quòd non váleant tantæ ópera implére virtútis. Etenim vicína est lápsibus adolescéntia: quia variárum æstus cupiditátum, fervórem caléntis inflámmat ætátis; boníque Doctóris est: matériam arcére peccáti. Prima enim institutiónis est disciplína; culpam avértere: secúnda, virtútem infúndere. Tamen cum scíverit Apóstolus; Annam illam ab adolescéntiâ octogenáriam víduam, dominicórum óperum extitísse prænúntiam: non puto quòd junióres, revocándas putárit à viduitátis afféctu; maximè cùm díxerit: meliùs est núbere quàm uri. Nam útique pro remédio núptias suásit: ut peritúra sanétur; non pro electióne præscripsit: casta & cóntinens, quid sequátur. Tu autem.

Die quarta infra octav.

De Sermóne S. Ambrósij Epíscopi.

Eodem Libro.

Lectio iij.

MAgna planè fœmina; quæ divíno judício: méruit ómnibus anteférri. Ne fortè illa sit: quæ de fide suâ, ad subsídium hóminum, duo testaménta contúlerit. Et ídeò nulla plus fecit; nec quisquam hóminum, quantitátem pótuit collatiónis ejus æquáre:

quáre: quæ fidem cùm misericórdia copulávit. Et tu ígitur quęcúnq; vitā stúdio viduitátis exérces; ne dúbites ad gazophilácium, duo æra deférre: vel fidei plena vel grátiæ. Felix illa: quæ de thesáuro suo, íntegram Regis imáginem profert. Thesáurus tuus sapiéntia; thesaúrus tuus cástitas, atque justítia est: thesáurus tuus, intelléctus bonus. Qualis ille thesaúrus fuit; de quo Magórum viri: aurum, thus, myrrham cùm adorárent Dóminum, protulérunt. Auro, Regis poténtiam declarántes; Deum thure venerántes: myrrhâ resurrectiónē córporis confiténtes. Habes & tu thesáurum hunc: si in te requíras. Habémus enim thesáurum in vasis fictílibus: habes aurum quod cónferas. Non enim reniténtis metálli prétium de te Deus éxigit; sed illud aurum: quod judícii die, néqueat ignis exúrere. Tu autem.

Die quinta infra octav.

De Sermóne S. Ambrósij Epíscopi.

Eodem libro.

Lectio iij.

Vidétis ígitur sanctæ fœminæ; quam fœcúnda sit vídua prole virtútum, meritorúmque suórum sóbole: quæ períre non possit. Bona ígitur vídua, egére non novit; & si fessæ fúerit ætátis, & suprémæ paupertátis: eruditiónis tamen suæ solet habére mercédem. Etsi próximi defúerint; invénit tamen extráneos, qui matrem colant: revereántur paréntem; parvísque alimentórum súmptibus: mercédem cúpiant suæ commendatiónis acquírere. Plus enim víduæ rependunt mérita: quàm cibus ab ea sumptus impéndit. Sed tristes vidétur dúcere dies: & láchrymis tempus exígere; hoc beátior: quòd perpétua sibi gáudia, exíguis flétibus ēmit; parvísque moméntis: témpora acquírit ætérna. Quibus benè dícitur; Beátæ tristes: ipsæ enim ridébitis. Quis ígitur falsas præséntium imágines gaudiórum; futúræ securitátis, præferat voluptáti? An despicábilis nobis, auctor vidétur; ille domínici

mínici córporis auctor eléctus ´ qui cinerem ſicut panem manducábat, & potum cum fletu miſcébat; ut veſpertínis láchrymis ´ matutínæ ſibi, lætítiam redemptiónis acquíreret. Tu autem,

Die ſexta infra octavam.
De Sermóne S. Auguſtíni Epíſcopi.
Lib. de Viduitate.
Lectio iij.

QUæ autem innuptárũ caſtitátẽ Deo vovent, ipſam ſpem ſubtráhunt ´ quæ fomes amóris eſt. Unde facílius concupiſcéntia refrænátur ´ quæ nulla expectatióne ſuccénditur. Contrà quam tamen niſi orétur, ut ſuperétur ´ ipſa illícita exoptátur ardéntiùs. Delíciæ igitur ſpiritáles; delíciis carnálibus ´ in ſancta caſtitáte ſuccédant. Léctio, Oratio, Pſalmus; bona cogitátio; bonórum óperum frequentátio; ſpes futúri ſæculi ´ & cor ſurſum. Atque de his ómnibus gratiárum áctio Patri lúminum; à quo ſine ulla dubitatióne, omne datum óptimum, & omne donum perféctum ´ ſcripturâ teſte deſcéndit. Nam quando pro delíciis nuptárum; quas in carne virórum habent ´ aliárum carnálium deliciárum, tanquam in ſolátium uſus aſſúmitur; quid ego dicam quæ ſequántur mala? Cùm bréviter Apóſtolus díxerit; vivéntem mórtuam eſſe víduam ´ quæ in delíciis vivit. Tu autem.

Die ſeptima infra octav.
De Sérmone S. Auguſtini Epíſcopi.
Eodem libro.
Lectio iij.

IN ómnibus ſanè ſpiritálibus delíciis quib⁹ fruúntur inúptæ; ſancta eárum conversátio cauta étiam debet eſſe ´ ne fortè cùm mala vita non ſit per laſcíviam; mala ſit fama ´ per negligéntiam. Nec audiéndi ſunt ſive viri ſancti, ſive fœminæ; quando reprehénſâ in áliquo negligéntiâ ſuâ ´ per quam fit ut in malam véniant ſuſpiciónem; unde ſuam vitam longè abéſſe ſciunt ´ dicunt. Sibi coram Deo ſufficere conſciéntiam; exiſtimatiónem hóminũ non imprudénter ſolùm, verùm etiam crudéliter contemnéntes ´ cùm occídunt ánimas

ánimas aliórum sive blasphemántium viam Dei; quibus secúndùm suam suspiciónem ⁄ quasi turpis quæ casta est dísplicet vita sanctórum; sive etiam cum excusatióne imitántium ⁄ non quod vident, sed quod putant. Proínde quisquis à criminibus flagitiórum, atque facinorum vitam suam custódit ⁄ sibi benè facit; quisquis autē etiam famam ⁄ & in álios misericors est. Nobis enim necessária est vita nostra ⁄ áliis fama nostra. Et útique etiam quod áliis ministrámus misericórditer ad salútem ⁄ ad nostram quoque redúndat utilitátem. Tu autem.

In die octava, novem Le*ctionum omnia ut in die.*

In primo Nocturno Le*ctiones de Scriptura occur.*

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Gregórij Nazianzéni.

In Laudem S. Gorgoniæ.

Lectio iv.

ECquæ domum suam piis homínibus excipiéndis magis propósitam hábuit; divinísque ópibus magis adáuxit? Et quod est præstántiùs; quænam pari pudóre, tamque sanctis & Deo gratis incéssibus ⁄ ad eos excipiéndos perréxit. Quænam ínsuper ánimum in afflictiónibus minùs afflíctum præstitit; quænam rursùs calamitósis, & ægrotántibus ⁄ magis condóluit. Quænam liberaliórem manū ⁄ egéntibus porréxit. Equidem in illa ornándâ; his Jobi verbis ⁄ uti non dúbitem. Porta ipsíus cuívis veniénti patébat ⁄ nec extra jacébat peregrínus; cæcórum óculus erat ⁄ pes claudórum, mater orphanórum. Tu autem Dómine.

Lectio v.

QUodque præclaríssimum; non magis studébat óptima vidéri ⁄ quàm re verâ esse. Quin pótiùs; in abscóndito, apud eum qui abscóndita intuétur ⁄ pietátem luculénter excolébat. Omnia mundi príncipi erípuit; ómnia in tuta illa hórrea tránstulit ⁄ nihil terræ, præter corpus relíquit. Omnia cum altérius vitæ spe commutávit; has unas opes mórtuas relíquit ⁄ nempè probitátis imitatiónem, atque ejúsdem laudis stúdium. Ac de

ipsâ

ipsâ nō minus verè quàm magníficè prædicári potest; quòd virtútes partim imitáta est: partim ita gessit, ut eárū ab ipsâ exempla peterentur; quodque eas partìm invénit: partim superávit. Sic enim omnes virtútum números absólvit; ut ne mediócriter quidem unam: Sic rursùs in unoquóque génere excélluit; ut vel unum solum instar ómnium: abúndè sufficeret. Tu autem.

Lectio vj.

O Squálidum corpus; & induméntum virtúte solâ florens: ô noctes insómnes; & psalmórum cātûs, & statiónem: ex die in diem desinéntem. O noctúrnum clamórē; nubes penetrántem: ad Deúmque pervadéntem. O fœmíneam natúram; quæ propter commúne salútis certamen: natúram virílem superæsti; atque ostēdísti maris & fœminę nomine: non ánimos sed córpora sola distíngui. O acérbe gustus; & Eva, nostri géneris, & peccáti mater: & tu serpēs impóstor; ac mors denique ipsa: continētiâ illíus, cibíque parcitáte devícta. O Christi exinanítio, & servi forma; & passiónes: ipsíus mortificatióne decorátæ. Sed jam operæ-prétium est: præmia quoque pietátis adjícere. Tu autem.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis. Símile est regnum cælórum; thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo abscóndit; & præ gáudio illíus vadit, & vendit univérsa que habet: & emit agrum illum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Exposit. in idem Evang.

THesáurus iste in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ & sciéntiæ abscónditi; aut Deus verbum est: qui in carne Christi vidétur abscónditus; aut sāctæ Scriptúræ: in quibus repósita est, notítia salvatóris. Quem cùm quis in eis invénerit; debet ómnia istíus mundi emoluménta contémnere: ut illum possit habére quem réperit.

Quod autem séquitur, quē cùm invénerit homo abſcóndit: idcircò dicitur; non quod hoc de invídiâ fáciat: ſed quòd timóre ſervántis & noléntis pérdere; abſcóndat in corde ſuo: quem príſtinis prætulit facultátibus. Tu autem.

Lectio viij.

ITerùm símile eſt regnum cælórum: hómini negotiatóri. Aliis verbis id ipsū quod ſuprà dícitur Bonæ Margarítæ, quas quærit ínſtitor: lex & Prophétæ ſunt. Audi Marciō; audi Manichæe; bonæ Margarítæ ſunt lex & Prophétæ: & notítia vetéris inſtruménti. Unum autē eſt pretioſiſsímum Margarítum, ſciéntia Salvatóris; & Sacraméntum Paſſionis illíus: & reſurrectiónis arcánum. Quod cùm invénerit homo negotiátor, símilis Pauli Apóſtoli: ómnia legis prophetarúmque myſtéria, & obſervatiónes príſtinas, in quibus incúlpatè víxerat; quaſi purgaménta contémnit, & quiſquílias: ut Chriſtum lucrífaciat. Non quòd invéntio novæ margarítæ: condemnátio ſit véterum Margaritárum; ſed quòd comparatióne ejus: omnis ália gemma vílior ſit. Tu autem.

Lectio ix.

ITerùm símile eſt regnum cælórum: Sagénæ miſſæ in mare. Impléto Jeremíæ vaticínio, dicéntis: Ecce ego mittam ad vos piſcatóres multos; poſtquam audiérunt Petrus & Andreas; Jacóbus & Joánnes filij Zebedæi: ſequímini me & fáciam vos piſcatóres hóminum; contexuérūt ſibi ex véteri & novo teſtaménto: Sagénam Evangelicórum dógmatum. Et misérunt eam in mare hujus ſæculi: quæ uſque hódie in médiis flúctibus ténditur; cápiens de ſalſis & amáris gurgítibus quicquid inciderit: id eſt & bonos hómines & malos; & óptimos piſces: & péſſimos. Cùm autem vénerit conſummátio & finis mundi; ut ipſe infrà maniféſtiùs diſſerit: tunc Sagéna extrahétur ad littus; tunc verū ſecernendórum píſcium ſignū demonſtrábitur: & quaſi in quodam

quodam quietíssimo portu; boni mitténtur in vasa cæléstium mansiónum: malos autem torréndos, & exsiccándos, gehénnæ flamma suscípiet. Tu autē

Ad Laudes & Horas, omnia ut in die. Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum Versus Antiph. ad Magnificat. Oratio ut in die. Ad Processionem primum Responsorium Officij diei sequentis.

IN FESTO *Dedicationis Ecclesiæ. Duplex primæ* Classis.

Ad Vesperas, Antiph. Domum tuam Dómine, *cum reliquis de Laudibus, ut infrà. Psalmi de Dominica.* 148. *& loco ultimi Psalmi, dicitur* Laudáte Dóminum omnes Gentes. 153.

Capitulum. Apoc. 21.

VIdi civitátem sanctā Jerúsalem novam, descendéntem de cœlo; à Deo parátam: sicut sponsam ornátam viro suo.

℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum

Ad Magnificat, Aña. Ornavérunt fáciem Templi corónis áureis; & dedicavérunt Altáre Dómino: & facta est lætítia magna in pópulo Allel.

Duplicatur.

In ipso die Dedicationis Ecclesiæ & per Octavam, & quando varianda est Oratio, ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiæ.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui invisibíliter ómnia cóntines, & tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visib liter osténdis: templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illústra; & concéde, ut omnes qui hûc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáver nt: consolatiónis tuæ benéficia consequántur. Per Dóminum.

In Anniversario Dedicationis Eccl. & per oct.

Orémus *Oratio.*

DEus qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consécratiónis réparas diem; & sacris semper mystériis repræséntas incólumes: Exáudi preces pópuli tui; & præsta ut quisquis hoc

templum beneficia petitúrus ingréditur: cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Processio in Presbyterio.

℟. Cùm exíret Jacob de terra sua, vidit glóriam Dei & ait: * Quàm terríbilis est locus iste, non est hic áliud nisi domus Dei, & porta cœli

Ad ij. Magnificat, Aña. Hæc est domus Dómini & porta cœli, & vocábitur nomen loci hujus, aula Dei.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui de vivis & eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ condis habitáculum: auxiliáre pópulo supplicánti; ut quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis: spiritálibus amplificétur augméntis. Per Dóminũ.

Ad Completoriũ, Hymnus.

URbs Jerúsalem beáta,
Dicta pacis vísio;
Quæ constrúitur in cælis
Vivis ex lapídibus;
Et Angelis coronáta,
Ut sponsáta cómite.

Nova véniens è cælo
Nuptiáli thálamo:
Præparáta ut sponsáta,
Copulétur Dómino:
Platéæ & muri ejus
Ex auro puríssimo.

Portæ nitent Margarítis
Adytis paténtibus:
Et virtúte meritórum
Illuc introdúcitur;
Omnis qui ob Christi nomen
Hic in mundo prémitur.

Tunsiónibus pressúris
Expolíti lápides,
Suis coaptántur locis
Per manus artíficis:
Disponúntur permansúri
Sacris ædificiis.

Glória & honor Deo
Usquequáque altíssimo;
Unà Patri Filióque,
Inclyto Paráclyto:
Cui laus est & potéstas
Per ætérna sæcula. Amen.

Ad Matutinum. Invitatorium. Præoccupémus fáciem Dómini in confessióne sanctórum. *Psalm.* Veníte. 2.

In primo Nocturno, Aña, Tóllite portas príncipes vestras.

Psalmus. 23.

DOmini est terra & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis

Quis ascéndet in montem Dómini: * aut quis stabit in loco sancto ejus.

Innocens mánibus & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam: * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ: * Dóminus fortis & potens; * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ: * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri.

Antiphona.

Tóllite portas príncipes vestras & elevámini portæ æternáles.

Aña. Hæc est domus Dómini.

Psalmus. 28.

Afférte Dómino filii Dei: * afférte Dómino filios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminũ in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas: * Deus majestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros: * & confringet Dóminus cedros Líbani.

Et comminúet eas tanquam vítulum Líbani: * & diléctus quemádmodum filius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: * vox Dómini concutiéntis desértum: * & commovébit Dóminus desértum cades.

Vox Dómini præparántis cervos & revelábit condénsa: * & in templo ejus omnes dicent glóriã.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: * & sedébit Dñs Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Glória Patri.

Aña. Hæc est domus Dómini & porta cæli, & vocábitur nomen loci hujus aula Dei.

Aña. Erit mihi.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus, ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te Deus

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam & apparébo, ante fáciem Dei.

Fuérunt mihi láchrimæ meæ panes die ac nocte:* dum dícitur mihi quotídie, ubi est Deus tuus.

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam , * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis , sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea ? & quare contúrbas me : * spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis : * & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat : * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua , & fluctûs tui super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suã : * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ : * dicam Deo suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei , & quare contristátus incédo : * dum afflígit me inimícus.

Dum confringúntur ossa mea : * exprobravérunt mihi qui tríbulant me, inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies , ubi est Deus tuus : * quare tristis es ánima mea & quare contúrbas me ?

Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei & Deus meus. Glória Patri.

Aña.

Aña. Erit mihi Dóminus in Deum, & lapis iste vocábitur domus Dei.
℣. Adoráte Dóminum in aula sancta ejus. ℟. Tóllite hóstias & introíte in átria ejus. Pater noster.
Deprec. Exúrge Dómine. Súscipe. *Benedictio*, Adjútor, &c.
De libro secúndo Paralipómenon. *Cap.* 7.
Lectio j.
CUm compléſſet Sálomon fundens preces; ignis descéndit de cœlo & devorávit holocáusta, & víctimas *:* & majéstas Dñi implévit Dómũ. Nec póterant Sacerdótes íngredi templum Dómini: eò quòd impléſſet majéstas Dómini, templum Dómini. Sed & omnes filii Israël vidébant descendéntem ignem, & glóriam Dómini super domum; & corruéntes proni in terram super paviméntum stratum lápide, adoravérunt & laudavérunt Dóminum: quóniam bonus, quóniam in sæculũ misericórdia ejus. Rex autem & omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit ígitur Rex Sálomon hóstias boum viginti duo míllia; aríetum centum viginti míllia: & dedicávit domum Dei Rex & univérsus pópulus. Tu autem.
Responsoria Duplicantur.
℟. Cum exíret Jacob de terra sua vidit glóriam Dei & ait: * Quam terríbilis est locus iste: non est hîc áliud, nisi domus Dei & porta cæli. ℣. Verè Dóminus est in loco isto & ego nesciébam. Quam terríbilis. Glória Patri. Sicut erat. Cum exíret.
Bened. Benedictiónibus suis.
Lectio ij.
SAcerdótes autem stabant in officiis suis; & Levítæ in órganis cárminum Dómini: quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum; Quóniam in ætérnũ misericórdia ejus: Hymnos David canéntes per manus suas. Porrò Sacerdótes canébant tubis ante eos: cunctúsque Israël stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium atrij ante Templum Dómini; obtúlerat enim ibi holocáusta &

ádipes pacificórum: quia altáre æneum quod fécerat, non póterat sustinere holocáusta, & sacrifícia & ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus; & omnis Israël cum eo: Ecclésia magna valdè, ab intróitu Emath usque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo colléctam; eò quod dedicásset altáre septem diébus: & solemnitátem celebrásset diébus septem. Tu autem.

℞. Si Dñs Deus meus fúerit mecum, in via ista qua ego ámbulo; & custodíerit me & déderit mihi panem ad edéndum; & vestiméntum quo opériar; & revocáverit me cum salúte:* Erit mihi Dóminus in refúgium, & lapis iste in signum. ℣. Surgens ergo manè, tulit lápidem quem suppósuerat cápiti suo; & eréxit in títulum: Dicens. Erit mihi. Glória Patri. Si Dóminus. *Benedict.* Cœléstem benedíctio.

Lectio iij.

COmplevítque Sálomõ domum Dómini, & domum Regis; & ómnia quæ dispośuerat in corde suo ut fáceret: in domo Dómini & in domo sua, & prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte: & ait. Audívi oratiónem tuam; & elégi locum istũ mihi: in domum Sacrifícij. Si cláusero cælum, & plúvia non flúxerit; & mandávero & præcépero locústæ, ut dévoret terrã; & mísero pestiléntiam in pópulum meum; convérsus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit: & exquisiérit fáciem meam & égerit pœniténtiam à viis suis péssimis; & ego exáudiã de cœlo & propítius ero peccátis eórum: & sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti; & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco isto oráverit. Elegi enim & sanctificávi locũ istum; ut sit nomen meũ ibi in sempitérnum: & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus. Tu autem

℞. Erit mihi Dóminus in Deum, & lapis iste quẽ eréxi

erèxi in títulum ; vocábitur domus Dei : & de univérsis quæ déderis mihi:* Décimas & hóstias pacíficas ófferam tibi.
℣. Et appellávit nomen urbis Bethel, vovit etiam votum dicens Décimas. Glória Patri. Erit mihi.

In secundo Nocturno.

Aña. Ædificavit Móyses

Psalmus 42.

JUdica me Deus, & discérne causam meam de gente non sancta : * ab hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea : * quare me repulísti, & quare tristis incédo : * dum afflígit me inimícus.

Emítte lucem tuam & veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cythara Deus Deus meus:* quare tristis es ánima mea & quare contúrbas me.

Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei & Deus meus. Glória Patri.

Aña. Ædificávit Móyses altáre Dómino Deo.

Aña. Non est hìc áliud.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ : * mons Sion, látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur : * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis : * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum : * in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam : * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in

fines terræ: * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion & exúltent filiæ Judæ:* propter judícia tua Dómine.

Circúndate Sion & complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum & in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Glória Patri.

Aña. Nõ est hîc áliud nisi domus Dei & porta cæli.

Aña. Eréxit Jacob.

Psalmus. 83.

QUam dilécta tabernácula tua Dómine virtútum : * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea, exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * & turtur nidum sibi, ubi repónat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit in valle lachrymárum : * in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor : * ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus Deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meã : * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * & réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis, super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus : * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te. Glória Patri.

Antiphona. Eréxit Jacob lápidem in títulum, fundens

dens óleum désuper. ℣. Introíte portas Dómini in confessióne. ℟. Et átria ejus in hymnis.

Pater noster.

Deprec. Osténde nobis.

Benedict. Deus Dei Fílius

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Sermon. 5. in Dedicat. Ecclesiæ *Lectio iv.*

FEstívitas hodiérna fratres; tantò nobis debet esse devótior quantò familiárior est. Nam cæteras quidem Sanctórum solemnitátes, cum Ecclésiis aliis habémus commúnes; hæc verò, sic nobis est própria ut necésse sit, vel à nobis eam, vel à némine celebrári. Nostra est quia de Ecclésiâ nostrâ; magis autem nostrâ quia de nobis ipsis. Mirámini fórsitan; & erubéscitis celebrári festa de vobis. Sed quid lápides isti potuérunt sanctitátis habére; ut eórum solémnia celebrémus? Habent útique sanctitátem sed propter córpora vestra. An verò córpora vestra sancta esse quis dúbitet quæ templum sancti Spíritûs sunt. Tu autem.

℟. Ædificavit Noë altare Dómino, ófferens super illud holocáustum; odorátus est Dóminus odórem suavitátis, & benedíxit eis: * Créscite & multiplicámini, & repléte terram. ℣. Ecce ego státuam pactum meum vobíscum, & cum sémine vestro post vos, Créscite. Glória Patri. Ædificávit. *Benedictio.* Ætérnam benedícti.

Lectio v.

QUandò enim domus ista per manus Pontíficum dedicáta est Dómino; propter nos sine dúbio factum est non solùm qui præsétes sumus; sed & quicúmque usque in finem sæculi Dómino sunt in hoc loco militatúri. In nobis proindè spirituáliter impléri necésse est quæ in pariétibus visibíliter præcessérunt Et si vultis scire; hæc útiq. e sunt aspérsio, inscríptio, inúnctio; illuminátio benedíctio. Hæc útique in hac visíbili domo fecére Pontífices; hæc & Christus assístens Póntifex futurórum bonórum invisibíliter quotidiè ope-

rátur in nobis. Primò síquidem aspérgit nos hyssópo ut mundémur; lavémur; dealbémur; dicatúrque de nobis: quæ est ista, quæ ascéndit dealbáta. Tu autem.

℟. Ornavérunt fáciem Templi corónis áureis, & dedicavérunt Altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus, benedicébant Dómino. Et facta est. Glória Patri. Ornavérunt.

Benedictio. Grátia Spíritus sancti. *Lectio vj.*

Jam verò benedictióné quidem expectémus in fine; quandò apériet manum suam: & implébit omne ánimal benedictióne. Nam in quátuor præmíssis mérita constant: in benedictióne sunt præmia. In benedictióne tota complébitur grátia sanctificatiónis; quandò jam in domum transíbimus non manufáctam: ætérnam in cælis. Ipsa est quæ constrúitur vivis ex lapídibus; Angelis scílicet & homínibus. Simul enim ædificátio; & Dedicátio ipsa complébitur. Disjúncta nimírum ligna & lápides domum non fáciūt; nec in eis habitáre quis potest: sola verò conjúnctio domum facit. Sic cæléstium spirítuum perfécta únitas, sine ullâ sibi divisióne connéxa: íntegram & cóngruam Deo reddit habitatiónem; quā ineffabíliter beatíficat: inhábitans glória majestátis. Tu autem.

℟. Exaudísti Dómine oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo: * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum Deus Israël. ℣. Stetit autem Salómon ante altáre Dómini; & expándit manus suas in cælum & ait. Bénedic. Glória Patri. Exaudísti.

In tertio Nocturno, Añ. Vidit Jacob scalam.

Psalmus 86.

Fundaménta ejus in móntibus sanctis: *díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

Memor ero Raab, & Babylónis sciéntium me.

Ecce alienígenæ & Tyrus

rus, & pópulus Æthíopum: * hi fuérunt illic.

Nunquid Sion dicet homo: * & homo natus est in ea: * & ipse fundávit eam altíssimus.

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum: * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium, habitátio est in te.

Glória Patri.

Añа. Vidit Jacob scalam súmmitas ejus cælos tangébat, & descédéntes Angelos: & dixit; verè locus iste sanctus est

Antiphona. Qui hábitat.

Psalmus 90.

QUi hábitat in adjutório altíssimi: * in protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino suscéptor meus es tu: * & refúgiũ meum, Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium: * & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi: * & sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúndabit te véritas ejus: * non timébis à timóre noctúrno.

A sagítta volánte in die: * à negótio perambulánte in ténebris: * ab incúrsu & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille: * & decem míllia à dextris tuis: * ad te autẽ non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis: * & retributiónẽ peccatórũ vidébis.

Quóniam tu es Dómine spes mea: * altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum: * & flagéllum non appropinquábit, tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te, in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te: * ne fortè offéndas ad lápidem, pedem tuum.

Super áspidem & basilíscum ambulábis: * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me sperávit liberábo eum: * prótegã eum quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me & ego exaúdiam eum: * cum ipso sum in tribulatióne: * erípiam

eripiam eum & glorificabo eum.

Longitúdine diérum replébo eum: * & osténdam illi salutáre meum.

Glória Patri

Aña. Qui hábitat in adjutório altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur.

Aña. Tóllite hóstias.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dño omnis terra.

Cantáte Dómino & benedícite nómini ejus; * annũciáte de die in diem, salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriã ejus: * in ómnibus pópulis, mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus & laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes Deos.

Quóniam omnes dij géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia & magnificéntia, in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium: * afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Lęténtur cæli & exúltet terra: * commoveátur mare & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dñi, quia venit: * quóniã venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte: * & pópulos in veritáte sua.

Glória Patri.

Aña. Tóllite hóstias & introíte in átria ejus; adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

℣. Non est hìc áliud nisi domus Dei. ℟. Et porta cæli. Pater noster.

Deprecatio. Adjutórium nostrum.

Bened. Redémptor humáni-

Léctio

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo témpore ingréssus Jesus perambulábat Hiérico. Et ecce vir nomine Zachæus ; & hic erat princeps publicanórum & ipse dives. Et quærébat vidére Jesum quis esset ; & non póterat præ turba quia statúrâ pusillus erat. Et præcúrrens ascéndit in árborem sycómorum ; ut vidéret illum quia inde erat transitúrus. Et réliqua

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Tract. de cæco & Zachæo.

VEnit Princeps publicanórum ; & transíbat Jesus qui omne profligat peccátum, omnem delet malítiam ; ténebras convértit in lucem ac prava redúcit ad rectitúdinem. Zachæus statúra brevis ; desidério exténtus, ac procérus pusíllo córpore magno ánimi sensu ; quærébat Jesum vidére, & non póterat quod statúrâ pusíllus esset. Ac antevértens ; súbtili quadam arte id quod statúræ déerat, sibi parat. Ascéndens enim in árboré Sycómorum transeúntem Jesum spectábat. At Dóminus noster Jesus Christus de quo ait Paulus, qui novit fácere superabundánter quàm pétimus aut intellígimus ; non illi tantum concéssit, quantum desiderábat sed plusquàm expectábat. Tu autem.

℞. Dómine si convérsus fúerit pópulus tuus, oráverit ad sanctuárium tuũ ; tu exáudies de cœlo Dómine : * Et líbera eos de mánibus inimicórum eórum. ℣. Et dimítte peccáta servórum tuórum, & pópuli tui Israël. Et líbera. Glória Patri. Dómine.

Benedict. Unigénitus Dei Fílius. *Lectio viij.*

AUcúpio Zachæum capit ; exque árbore excútit ac in tabernáculum ille suum indúcit. Quod olim quidem peccatórum erat oppletum calígine hodiè collustrávit pietátis jubar. Ingréssum ítaque Salvatórem publicánus gaudens excépit. O exímiam Dómini benignitátem. Qui ab omni immúnis peccáto est cùm peccatóribus versátur ; fons justítiæ cum maté-

riâ atque fómite injustítiæ. Fomes quippè injustítiæ, avára cupíditas. Intrávit in ædes publicáni; non quem ulla avarítiæ calígo violáret: sed qui justítiæ splendóre avarítiam deléret. Ac vide rem mirábilem. Continuò Zachæus stans pro vestíbulo; dimídium inquit bonórum meórum, do paupéribus. Nondùm edóctus es: & obséqueris; nondum didicísti: & servásti. Tu autem.

℟. Audi Dómine hymnum & oratiónem quam servus tuus orat coram te hódiè, ut sint óculi tui apérti, & aures tuæ inténtæ: * Super domum istam die ac nocte. ℣. Qui regis Israël inténde; qui dedúcis velut ovem Joseph; qui sedes super Chérubin appáre. Super domum. Glória Patri. Audi.

Bened. Ad supernórum.

Lectio x.

Hodie inquit salus huic dómui facta est. Ipse seípsum justificávit; non quod Christum simplíciter víderit: sed quod Christi légibus morem gessit. Hodiè salus dómui huic facta est: eo quòd & ipse sit filius Abrahæ. Antequam ópera Abrahæ fáciat: non filium Abrahæ, sed Zachæum símplici nómine appéllat; ubi verò Patriárchæ ópera implévit: in páuperes humanitátem proféssus: ac injústi quæstûs abdicatiónem: tunc ait esse & illum filium Abrahæ. Et nos ígitur fratres: etsi Christiáni sumus, & dícimur; nihil nos ita Christiános osténdit: ac veritátis opus. Ne ergo opéribus appellatiónem injúriâ violémus: sed opéribus fidem condecorémus. Fídei ratióne filij Abrahæ áudimus; audiámus ejus filij: óperum claritáte. Tu autẽ.

℟. Tu Dómine univer sórum, qui nullam habes indigéntiam; voluísti templum tuum fieri in nobis: * Cõsérva domum istam immaculátam in ætérnum Dómine. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Consérva. Te Deum laudámus.

A D L A U D E S.

Antiph. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo

in

in longitúdinem diérum. *Psalm.* Dóminus regnávit. *cum reliq. de Dña.* 20. *Aña.* Introíte portas Dómini in cõfeſſióne,& átria ejus in hymnis. *Aña* Dómus mea domus oratiónis vocábitur. *Aña.* Templum Dómini ſanctum eſt, Dei cúltura eſt. Dei ædificátio eſt. *Antiph.* Benè fundáta eſt domus Dómini ſupra firmam petram.

Capitulum. Apoc. 21.

VIdi civitátem ſanctã Jerúſalẽ novam, deſcendéntem de cœlo; à Deo parátam: ſicut ſponſam, ornátam viro ſuo. ℣. Domus mea. ℟. Dómus oratiónis vocábitur.

Ad Benedictus, Aña. O quam metuéndus eſt locus iſte: verè non eſt hic áliud niſi domus Dei & porta cœli. Orémus. *Oratio*

DEus qui nobis per ſíngulos annos hujus ſancti Templi tui conſecratiónis réparas diem; & ſacris ſemper myſtériis repreſéntas incólumes: exáudi preces pópuli tui; & præſta, ut quiſquis hoc templum beneficia petitúrus ingréditur: cuncta ſe impetráſſe lætétur. Per Dóminum.

Ad Tertiam. Capitulum. Vidi Civitátem. *ut ſuprà.* ℟. Domum tuam Dómine decet ſanctitúdo. ℣. In longitúdinem diérum. Glória Patri. ℣. Adoráte Dóminum, in aula ſancta ejus. ℟. Tóllite hóſtias & introíte in átria ejus.

Orat. Deus qui nobis per ſingulos annos. *ut ſuprà.*

Ad Sextam. Capitulum.

Apoc. 21.

ET audívi vocem magnam de throno dicéntem, ecce tabernáculum Dei cum homínibus; & habitábit cum eis, & ipſi pópulus ejus erunt: & ipſe Deus, cum eis erit, eórũ Deus. ℟. Adoráte Dóminum in aula ſancta ejus. ℣. Tóllite hóſtias & introíte in átria ejus. Glória Patri. ℣. Domus mea. ℟. Domus oratiónis vocábitur.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui de vivis & eléctis lapídibus ætérnum majeſtáti tuæ condis habitáculum: auxiliáre pópulo ſupplicánti; ut quod Eccléſiæ tuæ corporálibus próficit ſpátiis: ſpiritá

spiritálibus amplificétur augméntis. Per Dóminũ.

Ad Nonam Cap. Apoc. 21.

NOn intrábit in eam áliquod coinquinátum; aut abominatiónem fáciens & mendácium: nisi qui scripti sunt, in libro vitæ Agni.

℟. Hæc est domus Dómini & porta cœli. ℣. Et vocábitur nomen loci hujus aula Dei. Glória Patri.

℣. Domum tuam Dómine, decet sanctitúdo.

℟. In longitúdiné diérũ.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui Ecclésiam tuam Sponsam vocáre dignátus es: ut quæ habéret grátiam per fidei devotiónem, habéret étiã ex nómine pietátem; da ut omnis hæc plebs nómini tuo sérviens, hujus vocábuli consórtio, digna esse mereátur: & Ecclésia tua in Templo (cujus anniversárius Dedicatiónis dies celebrátur) tibi colléčta, te tímeat; te díligat, te sequátur; ut dum júgiter per vestígia tua gráditur: ad cæléstia promíssa te ducénte perveníre mereátur. Per Dñm.

Ad Vesperas. Aña. Domum tuam. *cum reliquis de Laudib. Psalmi de Dominica & loco ultimi Psalmi dicitur* Lauda Jerúsalem Dóminum. 171.

Capitulum. Vidi civitátem. *ut suprà.* ℣. Domum tuam *ut suprà.*

Ad Magnificat, Aña. Ornavérunt fáciem Templi corónis áureis & dedicavérunt altáre Dómino, & facta est lætitia magna in pópulo allelúia.

Oratio, Deus qui nobis per síngulos annos. *ut suprà.*

Infra octavam Dedicationis Officium fit ut in die, ritu simplici. Ad Matutinum Invitatorium, novem Aña, & novem Psalmi ut in die. Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurr. Tertia ut infrà, pro qualibet die. Ad Laudes & Horas ut in die. Ad Vesperas Antiph. & Psalmi de Feria occurrente. Capit. Vers. Aña. ad Magnificat, & Oratio ut in die.

Die secunda infra octav.

De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi *In natalem Eccles.* Ser. 1.

Lectio iij.

HÆc ómnium credéntium mater est: quæ natos

natos ad mortem, regénerat ad salútem. Per quam Christus plus restítuit in grátiam, quam périit in natúra: & Adæ transgressóris degénerem prolem in adoptiónem divínæ paternitátis assúmpsit; & de paradíso exhæredátos: cœli réddidit hærédes. Hæc est quæ post Synagógam promíssa est: hæc enim jã in primo hómine præfiguráta est. Nam sicut ex Adæ látere fabricáta erat Eva; ita ex Christi córpore & vúlnere redémpta: crevit Ecclésia. Hæc intra arcam dilúvio exundánte serváta; Crucis benefícium: & baptísmatis mystérium præsignávit. Hãc Sara stérilis & desperáta in senectúte; único pígnore fœcúnda: præcécinit. Ut Ecclésia enim; únicum id est dilectíssimum Deo pópulum: sæculo jam senescénte progénuit. Hæc est Regína illa; de qua ad Dóminum dícitur. Adstitit Regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circumamícta varietáte: id est diversárum circúndata pretióso decóre virtútum. Tu autẽ Dñe.

Die tertia infra octav.
De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.
In natal. Eccl. Serm. 2.

Lectio iij.

HÆc est illa Regína Saba quæ venit à pártibus Æthiópiæ: audíre sapiéntiam Salómonis. Venit Ecclésia ad Redēptórem; & eruditórem suum: ut de stultítia erróris, doctrínam perciperet veritátis. De qua pléniùs sicut audívimus; Regum descríbit história: ita dicens. Et ingréssa Regína Saba in Jerúsalem cum multo comitátu & divítiis; Camélis portántibus arómata & aurum infinítum nimis & gemmas pretiósas: venit ad Salomónem, & locúta est ei univérsa quæ habébat in corde suo. Ergo in figúra Regínæ hujus, Ecclésia venit ex géntibus; & à fínibus terræ: impoLens finé cupiditátibus vitiísque terrénis; audíre sapiéntiã Salomónis: id est viri Pacífici Dómini nostri Jesu Christi; qui fecit útraque unum: solvens inimicítias inter Deum & hóminem. Venit in carne sua; venit post

post véteres & profánas superstitiónes : audíre & díscere. De fidei illuminatióne & judício futúro; de ánimæ immortalitáte: de spe resurrectiónis, & glóriæ. Venit ergo in Jerúsalem cum multo comitátu : id est non jam cum una gente Judæórum, sicut primo Synagóga solos hábuit Hebræos: sed cum totíus mundi géntibus, diversísque natiónibus. Venit ergo éxhibens múnera digna Christo : aurũ. & gemmas pretiósas. Tu autem.

Die quarta infra octav.

De Sermóne S. Euchérii Lugdunénsis Epíscopi.

In natal. Eccl. Serm. 4.

Lectio iij.

VEllem charíssimi; ut atténtiùs agerémus causa salútis ætérnæ; & crébrius ad sacratíssimæ Ecclésiæ límina: pretiósas supplicatiónum nostrárum hóstias deferrémus. Certe si haberémus áliquam matrem poténtem; nóbilem; locúpletem; certátim ad honórẽ illius curreremus: sédulis penetrále ejus frequentarémus officiis. Veréntes: ne áliquid de expectáta hæreditáte subtráherer. Etiamsi duri essémus ac désides; vel tépidam pietátem : ardens cupidítas mentirétur. Et quæ nobílior mater; quam hæc quæ pígnora sua in Dei grémium adoptióne felíci transcríbit? Quæ dítior; quam quæ filios suos cæléstis regni possessióne gloríficat? & tamen hanc tanquam páuperem, infirmámque contémp simus; cujus potéstas ac nutus nihil médium habet: extra cujus sinum incúrritur mors ætérna; intra cujus sinum, & vita invenítur: & glória. Tu autem.

Die quinta infra octav.

De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

In natal. Eccle. Serm. 4.

Lectio iij.

AGnoscámus adorándæ matris nostræ quanta sit glória; quæ inter ipsa primórdia: tantis honoráta est téstibus. Quæ per sacrum sánguinem prædicáta. Quo illa génere, dilatáta est: quo redémpta. Ait autem sermo divínus; díligit Dñs portas Sion: super ómnia taber

tabernácula Jacob. Quid díligit in Jacob? Judaïcā plebem; in Sion intellígite Christiánam. Díligit Dóminus portas Sion: id est réspuit Synagógam, & præelégit Ecclésiam. Scire autem debémus quæ & quanta sit inter utrámque distántia. Synagóga est natiónis unius congregátio: Ecclésia est universárum géntium multitúdo. Illic tabernácula in Judæis: hic fundaménta sunt in Christiánis. Et ideò umbra intellígitur in tabernáculis: virtútum verò solíditas, in móntium fundaméntis. Tu autem.

Die Sexta infra octavam.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

In Dedic. Eccles. Serm. 1.

Lectio iij.

Celébritas hujus Congregatiónis: dedicátio est domûs orationis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista est: domus Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi; nos in hoc sæculo ædificámur: ut in fine sæculi dedicémur. Ædificium, imo ædificátio habet labórem: dedicátio exultatiónem. Quod hîc fiébat quando ista surgébat; hoc fit modò: cum congregántur credéntes in Christum. Credendo enim, quasi de silvis & móntibus ligna & lápides præcidúntur: cùm verò catechizántur; baptizántur: formántur tanquam inter manus fabrórum & opíficum; dolántur; collineántur: complánantur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt: nisi quando charitáte compaginántur. Tu autem.

Die Septima infra octav.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

In Dedic. Eccles. Serm. 2.

Lectio iij.

Sicut hoc ædificium visibile factum est nobis corporáliter congregándis; ita illud ædificium quod nos ipsi sumus: Deo spirituáliter habitatúro constrúitur. Templum enim Dei sanctum est inquit Apóstolus: quod estis vos. Sicut hoc terrénis mólibus constrúimus: sic illud bene compósitis móribus erigámus. Hoc enim nunc visitántibus

sitántibus nobis; illud in fine sæculi: Dómino veniénte dedicábitur. Quãdo corruptíbile hoc nostrú índuet incorruptiónem: & mortále hoc nostrum, índuet immortalitátem; quia corpus humilitátis nostræ: conformábit córpori, glóriæ suæ. Vidéte enim quid dicãt in Psalmo dedicatiónis. Convertísti luctum meum in gáudium mihi; conscidísti saccum meum & accinxísti me lætítiâ: ut cantet tibi glória mea, & non compúngar. Tu autem.

In octava Dedicationis semiduplex majus. Ad Vesperas, Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capitul. Versus Antiphona ad Magnificat & oratio ut in primis Vesperis Festi.

Ad Matutinum omnia ut in die exceptis Lectionibus, in primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Ser. S. Joánnis Chrysóst. *Homil. 1. in vidi Dominũ.*

Lectio iv.

Cum decénte circumspectióne, ad Ecclesiam accedámus; ne pro peccatórum remissióne, étiam accessiónem peccátis adjúnctam: domum referámus. Quid autem est quod à nobis repóscitur? ut dum divínos hymnos resonámus; multo tremóre contrácti, multáque religióne ornáti: ita demũ eos offerámus. Nam sunt quidam inter eos qui hic adsunt: quos nec vestræ quidem charitáti arbitror esse ignótos; qui contemnéntes Deum, ac Spíritûs Elóquia pro vulgáribus ac profánis ducéntes: incompósitas voces emíttunt; nihilóque meliùs se gerunt: iis quos habet insánia. Toto córpore tumultuántes, ac circumácti; moré sque præ se feréntes: à spirituáli statióne aliénos. Miser & infélix. Oportébat te cum tremóre ac reveréntia, Angélicã glorificatiónem resonáre; cúmque terróre confessiónem réddere conditóri: ac per hãc delictórum véniam postuláre. Tu verò mimórum, ac saltatórum, mores huc indúcis: dum indecénter manus jactas; pédibus

subsúl

ſubsúltas ? totóque circumágeris córpore. Tu autem.

Lectio v

NOn cogitas quòd Angeli huic ſtupéntes assíſtunt menſæ; cumque reveréntia ? hanc circumvállant. Iterùm tu iſta nõ cógitas; quóniam ea quæ in theátris audiũtur quæque ſpectántur ? mentem tuam obſcurárunt. Et ídeò quæ illic gerúntur in Eccleſiæ ritûs indúcis; & ídeò clamóribus ? nihil certè ſignificántibus ? ánimum incompóſitum Evúlgas. Quómodò ergo véniam poſtulábis tuórum delictórum ? Quómodò ad miſericórdiam Dóminum infléctes ? qui contémptim offers precatiónem; Dicis miſerére mei Deus ? & mores à miſericórdia aliénos decláras. Clamas; ſalva me ? & córporis ſpéciem à ſalúte aliénam éxprimis. Tu autem.

Lectio vj

QUómodò non imitáris hanc vocem; quã illic profers ? dicens. Servite Dómine in timóre ? & exultáte ei cum tremóre. Hóccine eſt cum tremóre ſervíre ? ſic diffúndi, diſtendíque; ut nec ipſe ſcias quid loquáris ? incompóſito vocis beátû. Iſtud verò contémptûs eſt non timóris ? arrogántiæ, non humilitátis. Iſtud ludéntium eſt potiùs ? quàm divinas laudes cantántiũ. Quid ígitur eſt ſervíre Dómino in timóre ? cùm omne præcéptum perfecérimus; ipſi in timóre & compunctióne confitéri ? cordéque contríto, ac mente ſubmiſſa; Preces offérre Tu autem.

In tertio Nocturno.

Léctio ſancti Evangélij ? ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore ? ingreſſus Jeſus perambulabat Hiérico. Et ecce vir nómine Zachæus; & hic erat princeps publicanórum ? & ipſe dives. Et quærébat vidére Jeſum quis eſſet; & non póterat præ turba ? quia ſtatúra puſillus erat. Et præcúrrens aſcéndit in árborem ſycómorum; ut vidéret illum ? quia inde erat tranſitúrus. Et réliqua.

Homília ſancti Petri Chryſólogi.

Homilia in idem Evang.

PRinceps publicanórum in civitáte perditâ; pérditi óperis Zachæus: egísse scríbitur principátum. Ex loco; persónâ; officio: reátûs magnitúdo monstrátur. Ut ex magnitúdine críminis: remitténtis elúceat magnitúdo. Et quærébat Jesum vidére. Qui Christum vidére quærit; cælum unde Christus est: non terram de quâ aurum est intueátur. Dives ergo qui sursum réspicit; non portat divítias, sed procúlcat: nec incurvátur divítiis, sed levátur. Atque agit divítias; ad largiéntis obséquium: non ad divitiárum, & avarítiæ servitútem. Divitiárũ servus; non Dóminus est avárus: at misericors; tot servos se probat habére: quot nummos. Et non póterat præ turbâ: quia statúra pusíllus erat. Satis hic ánimo magnus erat: qui pusíllus videbátur in córpore; nam mente tangébat cœlos qui córpore hómines non æquábat. Tu autem.

Lectio viij.

ET præcúrrens ascéndit in árborem. Quibus putas iste grádibus; altíssimæ árboris, pervénit ad ramos? Iste calcávit terram; superascéndit auram; transcéndit avarítiam: & totam divitiárũ supergréssus est molem. Ut prosíliens in árborem véniæ: misericórdiæ apprehéndat fructum; & de speculâ confessiónis: indulgéntiæ cérneret largitórem. Ascéndit in árborem sycómorum. Mystério non casu, ascéndit in árborem sycómorum; ut unde Adam téxerat nuditátem córporis: Zachæus inde veláret fœditátem avarítiæ. Ut vidéret Jesum: quia inde erat transitúrus. Verè dixit transitúrus; quia Christus per terrénas vias & humános labóres non mansúrus vénerat: sed vénerat transitúrus. Tu autem.

Lectio ix.

DEscénde ergo; ut depónas tantæ fraudis ónera: póndera cupiditátis. Usurárum molem; magistérium publicáni: exactiónis crudelíssimæ principátum. Expeditus intres páuperis scholam; discipulátum misericórdiæ:

diæ ; pietatis usum. Patiéntiæ disciplinam ; stúdia virtútum ; sciéntiam divinitátis ; tolerántiam passiónum ; Philosóphiā mortis. Atque inter vitális ligni árdua ; jam perfectus ascéndas. Descénde ; quia hódie in domo tuâ opórtet me manére. Cujus domum non intráverit Christus ; ille ad divínam non pervéniet mansiónem ; & cujus hic ad mensam non séderit Christus ; ille cæléstem non accúmbet ad mensam. Et festínans descéndit ; & suscépit eum gaudens. Gaudet quia suscépit susceptórem suum ; quia pastórem suum pascit ; quia reus, júdicem suffrágio humanitátis inclínat. Tu autem.

Ad Vesperas Antiphona & Psalmi de Feria occurrente. Ad Processionem 1. Respons. Officij diei sequentis, cætera omnia ut in die.

OFFICIUM B. MARIÆ
IN SABBATO.

OMnibus Sabbatis per annum; præterquam in Adventu, Quadragesima, quatuor Temporibus & Vigiliis; & nisi Officium fieri debeat de Feria, propter Officium alicujus Dominicæ infra Hebdomadam ponendum, ut dicitur in rubrica de Dominic. ac nisi festum aliquod novem Lectionum & dies infrà Octavam evenerit fit Officium de Sancta Maria modo infrà scripto.

Ad Vesperas Feriæ Sextæ Antiph. & Psalmi de Feria occurrente.

Capitulum. Eccli. 24.

AB inítio & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam ; & in habitatióne sancta ; coram ipso ministrávi.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat, Aña. Sancta María succúrre míseris, juva pusillání-

mes, réfove flébiles; ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem.

Orémus. *Oratio.*

CONcéde nos fámulos tuos quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis salúte gaudére; & gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à presenti liberári tristítia: & ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum nostrum.

Vel alia oratio pro temporis diversitate.

Si Feria Sexta occurrat festum novem Lectionum tunc fit tantum processio de beatá Mariá & dicitur Resp. primum. Ave Maria. *Oratio ut suprà.*

Ad Completorium.

Hymnus.

AVe maris stella,
Dei mater alma;
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore;
Funda nos in pace
Mutans nomen Evæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse Matrem;
Sumat per te preces;
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac & castos.

Vitam præsta puram
Iter para tutum;
Ut vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto
Tribus honor unus.
Amen.

Ad Matutinum, Invitatorium. Ave María grátia plena; Dóminus tecum. *Novem Antiphonæ & novem Psalmi ut infrà in Offic parvo ejusdē.* clxxx.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua.

℟. Inténde, prósperе procéde, & regna.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia, una ex inferius positis per ordinem. clxxiij.

℟. j. Ave María grátia plena, Dóminus tecum; Spíritus

Spiritus Sanctus supervéniet in te, & virtus altíssimi obumbrábit tibi : * Quod enim ex te nascétur Sanctum vocábitur filius Dei. ℣. Benedicta tu in muliéribus & benedíctus fructus ventris tui. Quod enim.

℟. ij. Beátam me dicent omnes generatiónes : * Quia fecit mihi Dóminus magna, quia potens est : & Sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus in progénie & progénies timéntibus eum. Quia.

℟. iij. Fœlix valdè es Sacra virgo María & omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justítiæ Christus Deus noster. ℣. Ora Dei génitrix pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu ; séntiant omnes tuū juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemorationem. Quia Glória Patri. Quia.

Ad Laudes, Antiphona. Ave María grátia plena, Dóminus tecum : benedicta tu in muliéribus.

Psalm. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica. Antiphona.* Pulchra es & decóra filia Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Antiphona. Benédicta tu in muliéribus, & Benedictus fructus ventris tui. *Aña.* In odórem unguentórum tuórum currémus, adolescéntulæ dilexérunt te nimis. *Aña.* Quam pulchri sunt gressus tuï calciaméti, filia príncipis.

Capitulum. Ab inítio. *ut suprà.*

℣. Speciósa facta es.
℟. Et suávis in delítiis tuis sancta Dei génitrix.

Ad Benedictus, Aña. Beáta es María quæ credidísti ; perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi à Dómino allelúia.

Oratio. Concéde nos fámulos tuos. *ut suprà.*

Vel alia pro Temporis adversitate.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 24. 1.

AB inítio & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam ; & in habitatióne Sancta coram ipso ministrávi.

℟. Spécie tua & pulchri-

túdine tua. ℣. Inténde prósperè procéde & regna. Glória Patri. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo, ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Oratio. Concéde nos fámulos. *ut suprà.*

AD SEXTAM.

Capitulum, Eccli. 24. 1.

ET sic in Sion firmáta sum & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi & in Jerúsalem potéstas mea; Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei hæréditas illíus: & in plenitúdine sanctórum, deténtio mea.

℟. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Glória Patri. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórum Dómine delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus: Genitrícis filij tui Dómini Dei nostri, intercessióne salvémur. Per eumdem.

AD NONAM.

Capitulum.

IN platéis sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans odórem dedi; quasi myrrha électa: dedi suavitátem odóris.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Glória Patri ℣. Elégit eam Deus & præelégit eam. ℟. In Tabernáculis suis habitáre eam facit.

Orémus. *Oratio.*

COncéde Miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui Sanctæ Dei genitrícis memóriam celebrámus: intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus. Per eundem.

Post nativitatem usque ad Purificationem, Officiũ Beatæ Mariæ dicitur ut suprà; exceptis his quæ sequuntur.

Ad Magnificat, Aña. In sole pósuit tabernáculum suum, & ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ Virginitáte

ginitáte fœcúndâ, humáno géneri præmia præstitísti : tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus : per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum filium tuum. Qui tecum.

℟. j. Ecce jam venit plenitúdo témporis : in quo misit Deus filium suum in terras, natum de Vírgine, factum sub lege : * Ut eos qui sub lege erant redímeret. ℣. Verbum caro factum est & habitávit in nobis. Ut eos.

℟. ij. Beátam me dicent, &c. *ut suprà.*

℟. iij. Fœlix namque, &c. *ut suprà.*

Ad Laudes, Antiphona. Dum médium siléntium tenérent ómnia, & nox in suo cursu iter perágeret; omnípotens sermo tuus Dómine, à regálibus sédibus venit, allelúia.

Psalm. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica. Antiphona.* Genuit puérpera regem cui nomen ætérnum; & gáudia matris habens cum virginitátis honóre : nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem allelúia *Antiphona.* Rubum quem víderat Moyses, incombústum; conservátam agnóvimus tuam laudábilem virginitátem : Dei génitrix intercéde pro nobis. *Aña.* Quando natus es ineffabíliter ex vírgine, tunc implétæ sunt scriptúræ : sicut plúvia in vellus descendísti; ut salvum fáceres genus humánum : te laudámus Deus noster. *Aña.* Germinávit radix Jesse, orta est stella ex Jacob; Virgo péperit salvatórem : te laudámus Deus noster.

Ad Benedictus, Aña. María conservábat ómnia verba hæc; cónferens in corde suo.

Oratio. Deus qui salútis *ut suprà.*

Cætera omnia, ut suprà.

Lectiones sequentes dicuntur singulis mensibus in Officio B. Mariæ in Sabbato ordine infrà scripto.

MENSE JANUARIO.

Serm. S. Irenæi Lugdunénsis Episc. & Martyris.

Ex lib. 5. adversus hæreses, cap. 19.

Lectio j.

IN sua propria véniente Dómino ; & sua propria eum bajulánte conditióne, quæ bajulátur ab ipso : & recapitulatiónem ejus quæ in ligno fuit inobediéntiæ ; per eam quæ in ligno est obediéntiam faciénte : & seductióne illa solúta, quâ sedúcta est male, illa quæ jam viro destináta erat virgo Eva ; per veritátem Evangelizáta est benè ab Angelo : jam sub viro virgo María. Quemádmodum enim illa per Angélicum sermónem sedúcta est ut effúgeret Deum, prævaricáta verbum ejus : ita & hæc per Angélicum Sermónem ; Evangelizáta est, ut portáret Deum : obédiens ejus verbo. Et sicut illa sedúcta est ut effúgeret Deum : sic hæc suása est obedíre Deo. Uti Vírginis Evæ Virgo María fíeret advocáta ; Et quemádmodum adstríctum est morte genus humánum per Vírginem : solvátur per Vírginem ; æquâ lance dispósitâ virginálî inobediéntia : per Virginálem obediéntiam. Tu autem.

MENSE FEBRUARIO.

Sermo Sancti Epiphánij Epíscopi.

De Laudibus Sanctissimæ Dei genitricis.

Lectio ij.

O Virgo pura ; Sancta Mater Dómini : beâta sponsa indivíduæ Trinitátis. Beáta tu inter mulíeres ; quæ univérsórum creatórem Deum : velut infantem in terrâ peperísti. Beáta tu inter mulíeres : quæ sola in terrâ cæléstem Deum concepísti. Beáta tu inter mulíeres : cujus úbera suxit is, qui alit univérsa. Beáta tu inter mulíeres ; quæ nunc eum genuísti : qui olim Adámum è luto in paradíso formávit. Tu enim es Dei génitrix : quæ verbum ex te incarnátum peperísti. Dei genitrix exístis ; quæ Deum Verbum : in servi formâ concepísti. Dei génitrix exístis ; quæ Deum verbum suscípiens : incarnátum peperísti. Dei génitrix exístis, quæ sola solíus

lius Dei unigénitum filium genuísti; Non temporáneum Deum: sed ætérnum. Te páriter, ac univérsis antiquiórem: ex te incarnátum, genuísti. Ovis immaculáta: quæ peperísti agnum Christum. Tu autem.

MENSE MARTIO.

Sermo Sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Annuntiationem gloriosæ Virginis.

Lectio iij.

AVe grátiâ plena Dóminus tecum: Non jam ampliùs diábolus cōtra te. Nam ubi primùm hostis vulnus inflixit: ibi medicaméntum médicus appónit; unde inítium égressùs mors hábuit: inde vita ingréssum parávit. Per mulíerem mala oriúntur: per muliérem bona scatúriunt. Ave grátiâ plena. Noli erubéscere tanquam damnatiónis causa; mater enim ejus qui damnávit: per grátiam rédderis. Ave grátiâ plena. Salve quæ múdo in viduitáte jacénti: Sponsum paris impollúta. Ave grátiâ plena; quæ in útero matris: mortem submérgis. Ave templum Dei animátum; Ave cælo ac terræ par habitáculum: Ave spatiósum incomprehensíbilis natúræ receptáculum. Quæ cùm ita sint, ægrotántibus médicus per Maríam advénit; in ténebris sedéntibus justítiæ sol appáruit: tempestáte jactátis, ánchora portúsque tranquíllus. Tu autem.

OFFICIUM PARVUM,

Beatæ Mariæ Virginis.

Ave María, &c.

Deus in adjutórium, &c.

Ad Vesperas, Aña. Ave María.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos: scabéllū pedū tuórū.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dn̄s ex Sion: * Dóminare in médio, inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ: * in splédóribus sanctórum: * ex útero, ante Lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum: *

secúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis:* confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita, in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Glória Patri.

Antiphona. Ave María grátiâ plena, Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus. *Aña.* Pulchra es & decóra.

Psalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum: * Laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum: * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus: * & super cælos, glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster: * qui in altis hábitat, & humília réspicit, in cælo & in terra.

Súscitans à terra ínopem: * & de stércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus: * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo: * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri.

Antiphona. Pulchra es & decóra *filia Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. *Aña.* Benedícta tu.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri: * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas: * cujus participátio ejus, in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribûs, tribûs Dómini: * testimónium Israël, ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício: * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abũdántia diligéntibus te.

Fiat

Fiat pax in virtúte tua: * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos: * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri: * quæſivi bona tibi.

Glória Patri.

Aña. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui.

Aña. In odórem.

Pſalmus 126.

NIſi Dóminus ædificáverit domum: * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem: * fruſtra vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem súrgere: * súrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum dedérit diléctis ſuis ſomnum: * ecce hæréditas Dómini, filij; merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis: * ita filij excuſsórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis: * non confundétur cùm loquétur; inimícis ſuis in porta.

Glória Patri.

Aña. In odórem unguentórum tuórum currémus; adoleſcéntulæ dilexérunt te nimis. *Aña.* Quam pulchri ſunt greſſus tui.

Pſalmus 147.

LAuda Jerúſalem Dóminum: * lauda Deũ tuum Sion.

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum: * benedíxit filiis tuis in te.

Qui póſuit fines tuos pacem: * ex ádipe fruménti ſátiat te.

Qui émittit elóquium ſuum terræ: * velóciter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam: * nébulam ſicut cínerem ſpargit.

Mittit Cryſtállum ſuam ſicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit.

Emíttet verbum ſuum & liquefáciet ea: * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob: * juſtítias & judícia ſua Iſraël.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia

ſua, non manifeſtávit eis. Glória Patri.

Aña. Quam pulchri ſunt greſſus tui calciaménti, filia príncipis.

Capitulum. Eccli. 24. *b.*

AB inítio & ante ſæcula creáta ſum, & uſque ad futúrum ſæculum non déſinam; & in habitatióne ſancta: coram ipſo miniſtrávi.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes. ℟. Quia fecit mihi magna quia potens eſt.

Ad Magnificat, Aña. Reſpexíſti humilitátem meam Dñe Deus meus.

Orémus. *Oratio.*

COncéde nos fámulos tuos quæſumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis ſalúte gaudére; & glorióſa Beátæ Maríæ ſemper vírginis interceſſióne, à præſenti liberári triſtítia: & ætérna pérfrui lætítia. Per Dñm.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui corda fidélium ſancti Spíritûs illuſtratióne docuíſti; da nobis in eódem Spíritu recta ſápere: & de ejus ſemper conſolatióne gaudére.

Orémus. *Oratio.*

ECcléſiam tuam Dómine benígnus illúſtra; ut Beáti Joánnis Apóſtoli & Evangeliſtæ illumináta doctrínis: ad dona pervéniat ſempitérna.

Orémus. *Oratio.*

OMnes ſancti tui quæſumus Dómine nos ubíque lætíficent, & ádjuvent; ut dum eórum mérita recólimus: patrocínia ſentiámus. Per Dóminum.

AD COMPLETORIUM

Ave María. *Verſ.*

COnvérte nos Deus ſalutáris noſter. ℟. Et avérte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adjuvándum me feſtína. Glória Patri. Allelúia. *Vel* Laus tibi Dómine rex ætérnæ glóriæ.

Pſalmus 128.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea: * dicat nunc Iſraël.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea: * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum

fabricavérunt peccatóres : * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídet cervíces peccatórũ:* confundántur & convertántur retrórsum, omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum : * quod priusquam evellátur exáruit.

De quo non implévit manum suam qui metit:* & sinum suum, qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant, benedíctio Dómini super nos : * benedíximus vobis, in nómine Dómini.

Glória Patri.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exaúdi vocem meã.

Fiant aures tuæ intendéntes : * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : * Dómine qui sustinébit.

Quia apud te propitiátio est : * & propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël:* ex ómnibus iniquitátibus ejus. Glória Patri.

Psalmus 130.

DOmine non est exaltátum cor meum : * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis : * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam : * sed exaltávi ánimam meam,

Sicut abláctatus est super matre sua : * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino:* ex hoc nunc & usque in sæculum. Glória Patri.

Hymnus. Ave maris stella, *ut suprà in Officio S. Mariæ in Sabbato.* clxx.

Capitulum.

BEáta es María quæ Dóminum portásti creatórem mundi ; Genuísti qui te fecit : & in ætérnum pérmanes virgo.

℟. Adjuvábit eam Deus.

vultu suo. Adjuvábit.

℣. Deus in médio ejus, non commovébitur Adjuvábit. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus & præelégit eam. ℟. Et in tabernáculis suis, habitáre eam facit.

Aña. Beáta Mater & intacta virgo, Glorióſa regína mundi digníſſima; intercéde pro nobis ad Dóminum.

Canticum. Nunc dimíttis. 177.

Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórum Dñe delíctis ignóſce; & qui placére de áctibus noſtris non valémus: genitrícis filij tui Dómini Dei noſtri interceſſióne ſalvémur.

Orémus. *Oratio.*

ILlo nos igne quæſumus Dómine virtus Spíritûs ſanct: inflámmet; quem Dóminus noſter Jeſus Chriſtus miſit in terras: & volúit veheménter accéndi. *Oratio.* Omnes ſancti. *ut ſuprà.*

AD MATUTINUM.

℣. Dómine labía. ℣. Deus in adjutórium. *Invitatorium.* Ave María grátia plena Dóminus tecum. *Pſalmus.* Vénite.

In primo Nocturno.

Quando dicitur tantum Officium parvum; tres ſequentes Pſalmi cum Aña & Verſ. dicuntur Feria ſecunda & quinta, Antiphona. Poſt partum Virgo.

Pſalmus 8.

DOmine Dóminus noſter: * quam admirábile eſt nomen tuum, in univérſa terra.

Quoníam eleváta eſt, magnificéntia tua ſuper cælos.

Ex ore infántium & lacténtium, perfecíſti laudem propter inimícos tuos: * ut déſtruas inimícum, & ultórem.

Quóniàm vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum. * lunam & ſtellas, quæ tu fundáſti.

Quid eſt homo quod memor es ejus: * aut filius hóminis, quóniam víſitas eum.

Minuíſti eum paulóminùs ab ángelis: * glória & honóre coronáſti eũ: * & conſtituíſti eum, ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjecíſti ſub pédibus ejus: * oves & boves univérſas: * ínſuper

ſuper & pécora campi.

Vólucres cæli & piſces maris:* qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noſter: * quam admirábile eſt nomen tuum, in univérſa terra.

Glória Patri.

Aña. Poſt partum virgo invioláta permanſiſti; Dei génitrix intercéde pro nobis. *Aña.* Speciósa facta es.

Pſalmus 15.

CONſérva me Dómine, quoniam ſperávi in te: * dixi Dómino Deus meus es tu: * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus: * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum: * poſteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum, de ſanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum, per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei:* tu es qui reſtitúes hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea, præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum:* ínſuper & uſque ad noctem, increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper: * quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea:* inſuper & caro mea, requieſcet in ſpe.

Quoniam non derelínques ánimam meam, in inférno: * neque dabis ſanctum tuum, vidére corruptiónem.

Notas mihi feciſti vias vitæ: * adimplébis me lætítia, cùm vultu tuo: * delectatiónes in dextéra tua, uſque in finem.

Glória Patri.

Aña. Speciósa facta es,& ſuávis in delíciis tuis ſancta dei génitrix. *Aña.* Unguéntum.

Pſalmus. 23.

DOmini eſt terra & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérſi qui

qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini : * aut quis stabit in loco sancto ejus.

Innocens mánibus & mundo corde : * qui non accépit in vanum ánimam suam : * nec jurávit in dolo, próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino : * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum : * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras : * Et elevámini portæ æternáles : * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ : * Dóminus fortis & potens : * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras : * & elevámini portæ æternáles : * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ : * Dóminus virtútum, ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri.

Aña. Unguéntum effúsum nomen tuum ídeò adolescéntulæ dilexérunt te nimis. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde próspere prócede & regna.

In secundo Nocturno.

Quando dicitur tantum Officium parvum; *tres sequentes Psalmi cum Aña. & Vers. dicuntur Feria tertia & sexta. Antiphona.* Spécie tua.

Psalmus 44.

Eructávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum : * diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo, super femur tuum, potentíssimè.

Spécie tua & pulchritúdine tua : * inténde, prosperè procéde, & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam : * & dedúcet te mirabíliter, déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ : * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes

Sedes tua Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odisti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta & cassia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te filiæ Regum, in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis, in vestítu deauráto: * circúndata varietáte.

Audi filia & vide, & inclína aurem tuam: * & obliviscere pópulum tuũ; & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quoniàm ipse est Dóminus Deus tuus, & adorâbunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ Regis ab intus: * in fimbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi Vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne: * adducéntur in templum Regis.

Pro Pátribus tuis nati sunt tibi filij: * constítues eos príncipes, super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui: * in omni generatióne, & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum: * & in sæculum sæculi. Glória Patri.

Aña. Spécie tua & pulchritúdine tua; inténde, prospere procéde, & regna. *Aña.* Adjuvábit eam.

Psalmus 45.

DEus nostrum refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus, dum turbábitur terra: * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbâtæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes, in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum

lum suum altíssimus.

Deus in medio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes & inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster, Deus Jacob.

Veníte & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella, usque ad finem terræ.

Arcum cónteret ; & confrínget arma : * & scuta combúret igni.

Vacáte & vidéte, quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Glória Patri.

Antiph. Adjuvábit eam Deus vultu suo ; Deus in médio ejus, non commovébitur. *Aña.* Hortus conclúsus.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus & laudábilis nimis : * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ : * mons Sion, látera aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur : * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis : * in Spíritu veheménti, cónteres naves Tharsis.

Sicut audivímus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum : * in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam : * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ : * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent filiæ Judæ : * propter judícia tua Dómine.

Circúndate Sion & complectímini

plectimíni eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Glória Patri.

Aña. Hortus conclúsus soror mea ; hortus conclusus, fons signátus.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus, non commovébitur.

In tertio Nocturno.

Quando dicitur tantum Officium parvum; tres sequentes Psalmi cum Antiphona, & ℣. dicuntur Feria quarta & Sabbato.

Antiphona. Homo natus est.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus Sanctis : * díligit Dóminus portas Sion, super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babilónis sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus & pópulus Æthyopum : * hi fuérunt illic.

Nunquid Sion dicet homo : * & homo natus est in ea : * & ipse fundávit eam altíssimus.

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum : * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómniū, habitátio est in te.

Glória Patri.

Aña. Homo natus est in ea, & ipse fundávit eam altíssimus. *Aña.* Surge Aquilo.

Psalmus 96.

DOminus regnávit exúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus : * justítia & judícium, corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet : * & inflammábit in circúitu, inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ :* vidit & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini : * à facie Dómini, omnis terra.

Annuntiavérunt cæli

justítiam

justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli, glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * & qui gloriántur, in simulachris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit & lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Quoniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es, super omnes Deos.

Qui diligitis Dóminú odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suorum: * de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo: * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ, sanctificatiónis ejus. Glória Patri.

Antiphona. Surge aquilo & veni auster; persla hortum meum; & fluent aromáta illius.

Aña. Sicut myrrha electa.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * & bráchium Sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * ante conspéctum géntium, revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, & veritátis suæ Dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri: * jubiláte Dómino omnis terra: * cantáte & exultáte & Psállite.

Psállite Dómino in cythara, in cythara & voce Psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu simul: * montes exultábunt à conspéctu Dómini: * quoniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia: * & pópulos in æquitáte.

Glória Patri.

Ana. Sicut myrrha elécta, odórem dedísti suavitátis, sancta Dei génitrix.

℣. Diffúsa

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus, in ætérnum. Pater noster.

Deprecatio.

PRécibus & méritis beatíssimæ & gloriosíssimæ semperque Vírginis Maríæ, & ómnium sanctórum & sanctárum; salva nos & confortet: omnípotens & miséricors Dóminus. Amen. Domne jube benedícere. Qui natus est de Vírgine succúrrat nobis hódie. Amē.

Lectio j. Eccli. 24. *b*

IN ómnibus réquiem quæsívi: & in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit & dixi mihi creátor ómnium; & qui creávit me requiévit in tabernáculo meo: & dixit mihi. In Jacob in hábita; & in Isráël hæreditáre: & in eléctis meis mitte radíces. Tu.

℟. Ave María grátia plena Dóminus tecum, Spíritus Sanctus supervéniet in te, & virtus altíssimi obumbrábit tibi: * Quod enim ex te nascétur Sanctum vocábitur fílius Dei. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Quod enim. Domne jube benedícere Déleat nostra crímina qui natus est de Vírgine María. Amen.

Lectio ij.

ET sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi: & in Jerúsalem potestas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto; & in parte Dei mei hæréditas illíus: & in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. Tu autem.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna quia potens est, & Sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus in progénie & progénies timéntibus eum. Quia fecit. Domne jube benedícere. Sancta María virgo Vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. Amen.

Lectio iij.

QUasi cedrus exaltáta sum in Líbano: & quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in cades; & quasi plantátio rosæ in Jéricho: quasi olíva Speciósa in campis; & quasi plátanus

exaltáta sum juxta aquas: in platéis. Sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans odórem dedi; Quasi mirrha électa dedi suavitátem odóris. Tu autem.

℞. Fœlix valde es sacra virgo María & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ Christus Deus noster.

℣. Ora Dei Génitrix pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúnque célebrant tuam sanctam commemoratiónem. Quia.

In Laudibus, Antiphona. Ave María grátia plena Dóminus tecum. *cum reliquis.* 20.

Aña. Pulchra es, & decora; filia Jerúsalem; terríbilis ut castrórum acies ordináta. *Aña.* Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. *Aña.* In odórẽ unguẽtórũ tuórum currémus; adolescéntulæ dilexérunt te nimis. *Aña.* Quam pulchri sunt gressus tui calciaménti, filia Príncipis.

Capitulum. Isaiæ. 11.

EGrediétur virga de radíce Jesse; & flos de radíce ejus ascéndet: & requiéscet super eum Spíritus Dómini.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℞. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Aña. Beáta es María quæ credidísti perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi à Dómino allelúia.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui de beátę Maríæ Vírginis útero, verbum tuum Angelo nuntiánte carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut qui verè eam Dei genitrícem crédimus: ejus apud te intercessiónibus adjuvémur.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti; da nobis in eódem Spíritu sápere: & de ejus semper consolatióne gaudére.

Orémus. *Oratio.*

ECclésiam tuam Dómine benígnus illústra; ut beáti Joánnis Apóstoli & Evangélistæ illumináta doctrínis:

doctrínis ⸗ ad dona pervéniat sempitérna.

Orémus. *Oratio.*

OMnes Sancti tui quæsumus Dómine nos ubíque lætíficent & ádjuvent; ut dum eórum mérita recólimus ⸗ patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Psalm 53.

DEus in nómine tuo salvum me fac : * & in virtúte tua júdica me.

Deus exaúdi oratiónem meam : * áuribus pércipe verba oris mei.

Quoniam alièni insurrexérunt adversùm me: * & fortes quæsiérunt ánimam meam : * & non proposuérunt Deum, ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me : * & Dóminus suscéptor est, ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis: * & in veritáte tua, dispérde illos.

Voluntárié Sacrificábo tibi : * & confitébor nómini tuo Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me : * & super inimícos meos despéxit óculus meus.

Glória Patri.

Psalmus 84.

BEnedixísti Dómine terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster : * & avérte iram tuam à nobis.

Nunquid in ætérnum irascéris nobis : * aut exténdes iram tuam, à generatióne in generatiónem.

Deus tu convérsus vivificábis nos : * & plebs tua lætábitur inte.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam : * & salutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem, in plebem suam.

Et super Sanctos suos: * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen propè timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória, in terra nostra.

Misericórdia

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi : * justítia & pax, osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : * & justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * & terra nostra dabit fructū suū.

Justítia ante eum ambulábit : * & ponet in via gressus suos.

Glória Patri.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes gentes : * laudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri.

Capitulum.

EGo quasi vitis fructificávi suavitátem ódoris : & flores mei, fructûs honóris & honestátis.

℞. Ave María grátia plena Dóminus tecum. Ave.

℣. Benedícta tu in muliéribus & benedíctus fructus ventris tui. Ave. Glória Patri. ℣. Post partum. *ut infrà ad Tertiam.*

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus : nos fámulos tuos déxtera poténtiæ tuæ à cunctis prótege perículis ; & beáta María semper Vírgine intercedénte : fac nos præsénti gaudére prosperitáte, & futúra.

Orémus. *Oratio.*

SAncti Spíritus Dómine corda nostra mundet infúsio : & sui roris íntima aspersióne fœcúndet.

Oratio. Omnes sancti, *ut suprà.*

AD TERTIAM.

Psalmus 199.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi : * & exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis : * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi : * ad linguam dolósam.

Sagíttæ poténtis acútæ : * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi quia incolátus meus prolongátus est : * habitávi cum habitántibus Cedar : * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Glória Patri.

Psalmus

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos ad montes: * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino: * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuũ: * neque dórmitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dormiet: * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te: * Dóminus protéctio tua, super manũ déxteram tuã.

Per diẽ sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum & éxitum tuum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Glória Patri.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri: * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas: * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribûs tribûs Dómini: * testimóniũ Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício: * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua: * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos: * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri: * quæsívi bona tibi. Glória Patri.

Capitulum. Eccli. 24.

ET sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi; & in Jerúsalem potestas mea.

℟. Post partum Virgo invióláta permansísti. Post. ℣. Dei génitrix intercéde pro nobis. Post. Glória Patri. Post. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. *ut infra ad VI.*

Orémus. *Oratio.*

GRátiam tuam Dómine méntibus nostris infúnde; ut qui Angelo nuntiánte Christi filij tui incarna

incarnatiónem cognóvimus: per passiónem ejus & crucem, ad resurrectiónis Glóriam perducámur.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum: concéde plebi tuę piæ petitiónis effectú; ut quibus dedisti fidem: largiáris & pacem.

Orat. Omnes sācti. *ut sup.*

Ad SEXTAM.

Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos: * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum:* in mánibus Dominórum suorum.

Sicut óculi ancillæ in mánibus Dóminæ suæ: * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri Dómine, miserére nostri: * quia multum repléti sumus despectióne.

Quia multùm repléta est ánima nostra: * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

Glória Patri.

Psalmus 123.

NIsi quia Dóminus erat in nobis: * dicat nunc Israël, nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos: * fortè vivos deglutissent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos: * fórsitan aquæ absorbuíssent nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra: * fórsitan pertrāsisset ánima nostra, aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus: * qui non dedit nos in captiónem, déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer érepta est: * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est: * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini: * Qui fecit cælum & terram.

Glória Patri.

Psalmus 124.

QUi confidunt in Dómino sicut mons Sion: * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus & Dóminus in circúitu pópuli sui: * ex hoc nunc & usque in sæculum.

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum:

rum: * ut non exténdant justi ad iniquitátem manûs suas.

Bénefac Dómine: * bonis & rectis corde.

Declinántes autem in obligatióne, addúcet Dóminus cum operántibus iniquitâtem: * pax super Israël. Glória Patri.

Capitulum. Eccli. 24.

SIcut cinnamómum, & bálsamum aromatizās odórem dedi; quasi myrrha electa: dedi suavitátem odóris.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Diffúsa.

℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Diffúsa. Glória Patri. Diffúsa.

℣. Spécia tua & pulchritúdine tua. *ut infra. ad* ix.

Orémus. *Oratio.*

COncéde nos fámulos tuos quæsumus Dómine Deus perpétua mentis & córporis salúte gaudére; & gloriósa Beátæ Máriæ semper Vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítia: & ætérna pérfrui lætítia.

Orémus. *Oratio.*

ADsit nobis quæsumus Dómine virtus Spíritûs Sancti; quæ & corda nostra cleménter expúrget: & ab ómnibus tueátur advérsis.

Oratio. Omnes Sancti. *ut suprà.*

AD NONAM.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion: * facti sumus sicut cōsoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum: * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus facére nobiscum: * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram: * sicut torrens in austro.

Qui séminant in láchrymis: * in exultatióne metent.

Euntes ibant & flebát: * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem véniét cum exultatióne: * portántes manípulos suos.

Glória Patri.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum: * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit

rit civitátem:* frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis qui manducátis panẽ dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum: * ecce hæréditas Dómini, filij; merces fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis: * ita filij excussórum.

Beátus vir qui implévit desidériũ suum ex ipsis: * non confundétur cùm loquétur, inimicis suis in porta. Glória Patri.

Psalmus 127.

BEáti omnes qui timẽt Dóminum: * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans: * in latéribus domus tuæ.

Fílij tui sicut novéllæ olivárum: * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo:* qui timet Dñm,

Benedícat tibi Dñs ex Sion: * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas filios filiórum tuorum:* pacem super Israël.

Glória Patri.

Capitulum. Cant. 6.

QUæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens; pulchra ut Luna, elecla ut Sol: terribilis ut castrórum ácies ordináta.

℞. Spécie tua & pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde prósperè procéde & regna. Spécie. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℞. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Orémus. *Oratio.*

COncéde misericors Deus fragilitáti nostræ præsídium; ut qui Sanctæ Dei genitrícis & Vírginis memóriam celebrámus: intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus.

Orémus. *Oratio.*

MEntes nostras quæsumus Dñe paráclitus qui à te procédit illúminet: & indúcat in omnem sicut tuus promísit filius veritátem.

Oratio. Omnes sancti. *ut suprà.*

OFFI

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

IN choro dicitur singulis diebus non impeditis festo novem Lectionum post Officium diei; id est Vespera post Vesperas & Matutinum post Laudes diei, nisi alia sit consuetudo Ecclesiarum: extra chorum vero pro opportunitate Temporis.

Ad Vesperas absolutè incipitur ab Aña. Placébo.

Psalmus 114.

DIléxi : * quóniam exáudiet Dóminus, vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * & in diébus meis invocábo.

Circundedérunt me dolóres mortis : * perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni : * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam, miséricors Dóminus & justus : * & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : * humiliátus sum & liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam : * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos à láchrymis : * pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino, in regióne vivórum.

Aña. Placébo Dómino in regióne vivórum.

Aña. Heu me.

Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi : * & exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis : * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi aut quid apponátur tibi : * ad linguam dolósam.

Sagíttæ poténtis acútæ : * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi quia incolâtus meus prolongátus est : * habitávi cum habi-

tántibus cedar: * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Aña. Heu me! quia incolátus meus prolongátus est. *Aña.* Dóminus.

Psalmus 120.

LEvávi oculos meos ad montes: * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino: * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotióné pedem tuum: * neque dórmitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dormiet: * qui custódit Israël,

Dóminus custódit te: * Dóminus protéctio tua super manum déxteram tuam.

Per diem sol nõ uret te:* neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum: * & éxitum tuum ex hoc nunc & usque in sæculum.

Aña. Dóminus custódit te ab omni malo, custódiat ánimam tuam Dñs.

Aña. Si iniquitátes.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exáudi vocem meã.

Fiant aures tuæ intendéntes: * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine: * Dómine quis sustinébit.

Quia apud te propitiátio est: * & propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiósa apud Deum redémptio.

Et ipse rédimet Israël: * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Aña. Si iniquitátes observáveris Dómine, Dómine quis sustinébit.

Aña. Opera.

Psalmus 137.

COnfitébor tibi Dómine in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu angelórum

rum

rum psallam tibi : * adorábo ad templum Sanctũ tuum : * & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, & veritáte tua:* quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúnque die invocávero te exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ:* quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini : * quoniam magna est glória Dómini.

Quoniam excélsus Dóminus & humília réspicit : * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis vivificábis me :* & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam : * & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine misericórdia tua in sæculum:* ópera mánuum tuárum ne despícias.

*Aña.*Opera mánuum tuárum ne despícias.

Versus. Non intres in judícium cum servis tuis Dómine; quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Ad Magnificat, Aña. Ego sum resurréctio & vita qui credit in me étiã si mórtuus fúerit vivet; & omnis qui vivit & credit in me : non moriétur in ætérnum;

*Preces.*Pater noster. *Secr.* Et ne nos,&c. *Vers.*In memória ætérna erunt justi. ℟. Ab auditióne mala non timébunt. ℣. Ne tradas Dómine béstiis ánimas confiténtes tibi.℟.Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. ℣. Non intres in judícium cum servis tuis Dómine. ℟.Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens. ℣. A portis ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum. ℣. Réquien ætérnam. ℟. Et lux perpétua. ℣. Dómine exáudi, &c. ℟. Et clamor meus, &c.

Psalmus. Miserére mei Deus. 69. ℣.Réquiẽ ætérnam. ℟. Et lux. ℣. Dómine exáudi. ℟. Et clamor.Dóminus vobíscum; Et cum Spíritu tuo.

Orémus *Oratio.*

ABſólve Dómine ánimas famulórũ tuórum ab omni vínculo delictórum ⁝ ut in reſurrectiónis glória inter ſanctos tuos reſſuſcitáti reſpírent.

Oratio.

DEus véniæ largítor & humánæ ſalútis auctor, quæſumus cleméntiam tuam, ut noſtræ cõgregatiónis fratres qui ex hoc ſæculo tranſiérunt; beáta María ſemper Vírgine intercedénte cùm ómnibus ſanctis tuis ⁝ ad perpétuæ beatitúdinis cõſórtium perveníre concédas.

Oratio.

FIdélium Deus ómniũ cónditor & Redẽptor ⁝ animábus famulórum famularúmque tuárum, remiſſiónem cunctórũ tribue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt ⁝ piis ſupplicatiónibus conſequántur. Qui vivis & regnas, &c. Dóminus vobíſcum; Requiéſcant in pace;

Ad Matutinum abſolutè incipitur Invitatorium. In manu tua Dómine omnes fines terræ. *Pſalmus.* Veníte exultémus. 2*y*

In die commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & in die depoſitionis defuncti vel ob aliam peculiarem cauſam dicuntur tres infra ſcripti Nocturni. Aliis temporibus dicitur tantùm unum Nocturnum cum Laudibus hoc ordine: Feria ij. & v. Primum Nocturnum. Feria iij. & vj. Secundum Nocturnum. Feria iv. & Sabbato. Tertium Nocturnum.

In primum Nocturno.

Pro Feria ſecunda & quinta, Aña. Dírige.

Pſalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine: * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ:* Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo Dómine: * manè exáudies vocem meam.

Manè aſtábo tibi & vidébo:* quoniam nõ Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injúſti antè óculos tuos.

Odíſti

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuã: * adorábo ad templum Sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in cõspéctu tuo viam meam

Quoniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchtum patens est guttur eórum: * linguis suis dolósè agébant: * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis: * secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quoniam irritavérunt te Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te: * in ætérnum exultábunt & habitábis in eis.

Et gloriábuntur in te omnes qui díligunt nomẽ tuum: * quoniam tu benedíces justo.

Dómine ut scuto bonã voluntátis tuæ, coronásti nos.

Añа. Dírige Dñe Deus meus in conspéctu tuo viã meam. *Añа.* Convértere:

Psalmus 6.

DOmine ne in furóre tuo árguas me: * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei Dñe quóniam infirmus sum: * sana me Dómine quoniam conturbáta sunt, ómnia ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè: * sed tu Dómine usquequò?

Convértere Dómine & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem, quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo: * lavábo per síngulas noctes lectum meũ: * láchrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes, inimícos meos

Discédite à me omnes

qui operámini iniquitátem:* quoniam exaudivit Dñs, vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam:* Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant & conturbéntur vehementer omnes inimíci mei: * convertántur & erubéscant, valdè velóciter.

Añ. Convértere Dómine & éripe ánimã meam:* quoniam non est in morte qui memor sit tui.

Aña. Nequándò.

Psalmus 7.

DOmine Deus meus in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

Nequándò rápiat ut leo ánimam meam: * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus si feci istud:* si est iníquitas in mãnibus meis.

Si réddidi retribuéntibus mihi mala: * décidam méritò, ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam & comprehéndat: * & concúlcet in terra vitam meam: * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge Dómine in ira tua: * & exaltáre in fínibus inimicórum meórũ.

Et exúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandásti: * & synagóga populórum circúndabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus judicat pópulos

Júdica me Dñe secúndùm justítiam meam: * & secúndùm innocéntiam, meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum & díriges justum: * scrutans corda & renes Deus.

Justum adjutóriũ meum à Dómino: * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus fortis & pátiens: * nunquid iráscitur per síngulos dies.

Nisi convérsi fuéritis gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit & parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis: * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit in justítiã: * concépit dolórem & péperit iniquitátem.

Lacum

Lacum apéruit & effódit eum : * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : * & in verticem ipsius iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus : * & psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Nequándò rapiat ut leo ánimam meam: * dum non est qui rédimat neque qui salvum fáciat.

℣. Convértere Dómine & éripe ánimam meam quoniam non est in morte qui memor sit tui.

Quando dicitur tantùm unum Nocturnum tunc dicitur loco. Convértere. ℣. Compláceat tibi Dómine ut eruas me : Dómine ad adjuvándum me festina ; Pater noster.

Secretò. ℣. Et ne nos. Réquiem ætérnam. Et lux perpétua lúceat ei.

Lectio j. Job. 19.

SCio enim quod redémptor meus vivit : & in novíssimo die de terra surrectúrus sim. Et rursus circúdabor pelle mea : & in carne mea vidébo Deum. Quem visúrus sum ego ipse : & óculi mei conspectúri sunt : & non álius. Repósita est hæc spes mea : in sinu meo. Quare ergo nunc dícitis persequámur eum ; & radícem verbi inveniámus advérsùs eum ? fúgite ergo à fácie gládij ; quoniam ultor iniquitátũ gládius est : & scitóte esse judícium. ℟. Credo quod redémptor meus vivit & in novíssimo die de terra surrectúrus sim : * Et in carne mea vidébo Deum salvatórem meum. ℣. Repósita est hæc spes mea in sinu meo, quia rursus circúndabor pelle mea. Et in carne.

Lectio ij.

QUare non in vulva mórtuus sum, egréssus ex útero non statim périj ? quare excéptus génibus ? Cur lactátus ubéribus ? Nunc enim dórmiens silérem & somno meo requiéscerem cum régibus & consúlibus terræ qui ædíficant sibi solitúdines : aut cum princípibus qui póssident aurum & replent domos suas argénto ; aut sicut abortivũ

abscónditum non subsístérem: vel qui concépti nō vidérunt lucem. Ibi ímpij cessavérunt à tumúltu: & ibi requieverunt fessi róbore. Et quondam vincti pariter sine moléstia: non audiérunt vocem exactóris. Parvus & magnus ibi sunt: & servus liber à Dómino suo. Quare data est mísero lux, & vita his qui in amaritúdine ánimæ sunt? Qui expéctant mortem & non venit; quasi effodiéntes thesáurum: gaudéntque vehémenter cum invénerint sepúlchrum. Viro cujus abscóndita est via: & circúndedit eum Deus tenébris. Antequam cómedam suspíro: & quasi inundántis aquæ sic rugí us meus. Quia timor quem timébam evénit mihi: & quod verébar áccidit. Nonne dissimulávi? Nonne sílui? Nonne quiévi? Et venit super me indignátio.

℟. Indúta est caro mea putrédine & sórdibus púlveris cutis mea áruit, & contrácta est: * Meménto mei Dómine quia ventus est vita mea. ℣. Dies mei velociùs transiérunt quàm à texénte tela succíditur, & consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto.

Lectio iij.

Milítia est vita hóminis super terram. Et sicut dies mercenárij: dies ejus. Sicut cervus desíderat umbram; & sicut mercenárius præstolátur finē óperis sui; sic & ego hábui menses vácuos: & noctes laboriósas enumerávi mihi. Si dormíero dico. Quantò consúrgam? Et rursus. Expectábo véspeæram: & replébor dolóribus usque ad ténebras. Indúta est caro mea putrédine: & sórdibus púlveris. Cutis mea áruit: & contrácta est. Dies mei velóciùs transiérunt; quàm à texénte tela succíditur: & consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto: quia ventus est vita mea. Et non revertétur óculus meus: ut vídeat bona. Nec aspíciet me: vísus hóminis. Oculi tui in me: & non subsístam. Sicut consúmitur nubes & pertránsit: Sic qui descénderit ad inferos non ascéndet; nec revertétur ultrà in domū suam: neque cognóscet eum

eum ampliús locus ejus. ℞. Meménto mei Deus quia ventus est vita mea:* Nec aspíciet me visus hóminis. ℣. Et non revertétur óculus meus vt vídeat bona. Nec aspíciet.

In secundo Nocturno, Pro Feria iij. & vj.

Antiphona. Anima mea.

Psalmus 21.

DEus Deus meus réspice in me quare me dereliquísti: * longè à salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem & non exáudies: * & nocte & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, laus Israël.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt & liberásti eos.

Ad te clamavérunt & salvi facti sunt: * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis & non homo: * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me derisérunt me: * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino erípiat eum: * salvum fáciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ:* in te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: * ne discésseris à me.

Quoniam tribulátio próxima est: * quoniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum: * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum:* & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquéscēs: * in médio ventris mei.

Aruít tanquam testa virtus mea: * & lingua mea adhæsit fáucibus meis: * & in púlverem mortis deduxísti me.

Quoniam circumdedérunt me canes multi: * consílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos: * dinu-

meravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérũt & inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea: * & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem Dómine ne elongáveris auxíliũ tuũ: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámea Deus ánimam meam: * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leonis: * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio Ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum laudáte eum: * univérsum semen Jacob glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël: * quoniam non sprevit neque despéxit deprecatiónem páuperis.

Nec avértit fáciem suã à me: * & cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in Ecclésia magna: * vota mea reddam, in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes & saturabúntur: * & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæcúlum, & in sæculum sæculi.

Reminiscéntur & converténtur ad Dóminum, univérsi fines terræ.

Et adorábũt in conspéctu ejus, univérsæ famíliæ géntium.

Quoniam Dómini est regnum: * & ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * & semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * & annuntiábunt cæli justitiam ejus: * pópulo qui nascétur quem fecit Dominus.

Añа. Anima mea Deo vivet, qui non avértit fáciem suam à me.

Añа. Delícta.

Psalmus 24.

AD te Dómine levávi ánimam meam: * Deus meus in te confido non erubéscam.

Neque

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes, supervácuè.

Vias tuas Dómine demónstra mihi : * & sémitas tuas edóce me.

Dírige me in veritáte tua & doce me : * quia tu es Deus salvátor : * & te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine : * & misericordiárum tuárum quæ à sæculo sunt.

Delícta juvētútis meæ :* & ignorántias meas ne memíneris.

Secundùm misericórdiam tuam meménto mei tu : * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus : * propter, hoc legem dabit, delinquénti-bus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini misericórdia & véritas ; * requiréntibus testaméntū ejus, & testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dn̄e propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dn̄m:* legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur:* & semen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum est Dn̄s timéntibus eum:* & testamentum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum : * quoniam ipse evéllet deláqueo pedes meos.

Réspice in me & miserére mei: * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meā & labórem meum : * & dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quoniam multiplicáti sunt : * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meā & érue me: * non erubéscam quoniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera

Líbera Deus Iſraël : * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

Aña. Delícta juventútis meæ & ignorántias meas : ne memíneris Dómine.

Aña. Redemíſti me.

Pſalmus 90.

IN te Dómine ſperávi non confúndar in ætérnum : * in juſtitia tua líbera me.

Inclína ad me aurē tuā:* accélera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectórem & in domum refúgij : * ut ſalvum me fácias.

Quoniam fortitúdo mea & refúgiū meū es tu: * & propter nomen tuum dedúces me & enútries me.

Edúces me de láqueo quem abſcondérunt mihi : * quoniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commendo ſpíritum meum: * Redemíſti me Dómine Deus veritátis.

Odíſti obſervántes vanitátes, ſupérvacuè.

Ego autem in Dómino ſperávi: * exultábo & lætábor in miſericórdia tua.

Quoniam reſpexíſti humilitátem meam : * ſalváſti de neceſſitátibus áuimam meam.

Nec conclúſiſti me in mánibus inimíci : * ſtatuíſti in loco ſpatióſo pedes meos.

Miſerére mei Dómine quoniam tríbulor : * conturbátus eſt in ira óculus meus : * ánima mea & venter meus.

Quoniam defécit in dolóre vita mea : * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea : * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos, factus ſum opprobriū vicínis meis valde : * & timor notis meis.

Qui vidébant me foras fugérunt à me: * oblivióni datus ſum, tanquam mórtuus à corde.

Factus ſum tanquā vas perdítum : * quóniam audívi vituperatiónem multórum, commorántium in circúitu.

In eo dum conveníreut ſimul advérsùm me : * accípere ánimam meam consíliati ſunt.

Ego autem in te ſperávi Dómine : * Dixi Deus meus es tu : * in

mânibus

mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum : * & à persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum: * salvum me fac in misericórdia tua : * Dómine non confúndar, quoniam invocávi te,

Erubéscant ímpij & deducántur in inférnum : * muta fiant lábia dolósa.

Quæ loquúntur advérsùs justum iniquitátem : * in supérbia,& in abusióne.

Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine : * quam abscondísti timéntibus te.

Perfecísti eis qui sperant in te: * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ : * à conturbatióne hóminum

Próteges eos in tabernáculo tuo:* à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus: * quoniam mirificávit misericórdiam suam mihi,in civitáte munîta.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ : * projéctus sum , à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudísti vocem oratiónis meæ : * dum clamarem ad te.

Dilígite Dóminum omnes Sancti ejus : * quoniã veritátem requíret Dóminus:* & retribuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite & confortétur cor vestrum : * omnes qui sperátis in Dómino.

Aña. Redemísti me Dómine Deus veritátis ; in manus tuas commendo spíritum meum.

℣. Anima mea Deo vivet qui non avértit fáciem suam à me ! *Quando dicitur unum tantum Noct.*

℣. Complaceat. *ut suprà.* Pater noster, &c. ℟. Requiem ætérnam. ℣. Et lux perpétua.

Lectio iv.

DEus cujus iræ resístere nemo potest ! & sub quo curvántur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego , ut respóndeam ei ; & loquar verbis meis cum eo ? qui etiam si habúero quidpiam justum non respondébo ! sed meum júdicem deprecábor. Et cùm invocántem exaudíerit

exaudíerit me ꞌ non credo quod audíerit vocem meam. In túrbine enim cónteret me ꞌ & multiplicábit vúlnera mea, etiam sine causa. Non concédet requiéscere spíritum meũꞌ & implébit, me amaritudínibus. Si fortitúdo quǽritur ꞌ robustíssimus est. Si æquitas judícij ꞌ nemo pro me audet testimóniũ dícere. Si justificáre me volúero ꞌ os meum condemnábit me. Si innocéntem osténdero ꞌ pravum me comprobábit. Etiam si simplex fúero ; hoc ipsum ignorábit ánima mea ꞌ & tædébit me vitæ meæ. Unum est quod loquútus sum. Innocéntem & ímpium ꞌ ipse consúmit. Si flagéllat occídat semel ꞌ & non de pœnis innocéntum rídeat. Terra data est in manu impij ꞌ vultum judicum ejus óperit. Quod si non ille est quis ergo est ? Dies mei velocióres fuérunt cursóre ꞌ fugérunt & non vidérunt bonum. Pertransiérunt quasi naves poma portántes ꞌ sicut áquila volans ad escam. Cùm díxero nequáquam ita loquar ; commúto fáciem meam ꞌ & dolóre tórqueor. Verébar ómnia ópera mea ꞌ sciens quòd non párceres delinquénti. Si autem & sic ímpius sum ꞌ quare frustrà laborávi.

℟. Ne abscóndas me Dómine à fácie tua ; manum tuam longè fac à me : * Et formído tua non me térreat. ℣. Voca me & respõdébo tibi ; aut certè loquar, & tu respónde mihi. Et formído tua.

Lectio v.

DIcam deo. Noli me condemnáre. Indica mihi ꞌ cur me ita júdices. Nunquid tibi bonum vidétur si calumniéris & ópprimas páuperem, opus mánuum tuárum ; & consílium impiórum adjúves ? Nunquid óculi cárnei tibi sunt, aut sicut homo videt, & tu vides ? Nunquid sicut dies hóminis, dies tui & anni tui sicut humána sunt témporaꞌ ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meũ scrutéris. Et scias quia nihil ímpium fécerim ꞌ cum sit nemo qui de manu tua possit erúere. Manus

tuæ fecérunt me & plasmavérunt me totum in circúitu; & sic repéntè præcípitas me? Meménto quæso quòd sicut lutum féceris me: & in púlverem dedúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, & sicut cáseum coagulásti me? Pelle & cárnibus vestísti me: óssibus & nervis cópegísti me. Vitam & misericórdiam tribuísti mihi: & visitátio tua custodivit Spíritum meum.

℟. Quis mihi tríbuat ut in inférno prótegas me, & abscóndas me; donec pertránseat furor tuus Dómine: * Nisi tu qui solus es & constítuas tempus, in quo recordéris mei.

℣. Quis det ut evéniat petítio mea, & quod expécto tríbuat mihi Dóminus. Nisi tu.

Lectio vj.

QUantas hábeo iniquitátes & peccáta: scélera & delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento rápitur osténdis poténtiam tuam: & stípulam siccam persequéris. Scribis enim contra me amaritúdines: & consúmere me vis, peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedes meos; & observásti omnes sémitas meas: & vestígia pedum meórum considerásti. Qui quasi putrédo consuméndus sum: & quasi vestiméntum quod coméditur à tínea. Homo natus de muliére; brevi vivens témpore: replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur & contéritur; & fugit velut umbra: & nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos; & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine: Nonne tu qui solus es.

℟. Versa est in luctum cythara mea & órganũ meũ in vocem fléntium; * Parce mihi Dómine nihil enim sunt dies mei.

℣. O custos hóminis quare posuísti me contrárium tibi, & factus sum mihi metípsi gravis? Parce mihi Dómine.

In tertio Nocturno.
Pro Feria iv. & Sabbato.
Antiphona.

Antiphona. Anima autem.

Psalmus 34.

JUdica Dómine nocéntes me : * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & scutum : * Et exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam & conclúde advérsùs eos qui persequúntur me : * dic ánimæ meæ, salus tua ego sum.

Confundántur & reveréantur : * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum & confundántur : * cogitántes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti : * & ángelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum : * & ángelus Dómini pérsequens eos.

Quoniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui : * supervácuè exprobravérunt ánimã meã.

Véniat illi láqueus quẽ ignórat: * & cáptio quam abscóndit apprehéndat eum : * & in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino : * & delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicẽt.* Dómine quis símilis tibi.

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus: * Egénum & páuperem, à diripiéntibus eum.

Surgéntes testes iníqui:* quæ ignorábant interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis : * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi moléſti essent : * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam : * & orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximũ & quasi fratrem nostrum sic complacébam : * quasi lugens & contristátus, sic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti sunt & convenérunt : * congregáta sunt super me flagélla, & ignorávi.

Dissipáti sunt nec compúncti: * tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne : * frenduérũt super me déntibus suis.

Dómine quando despícies:*

cies : * restítue ánimam meam à malignitáte eórum : * à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in Ecclésia magna : * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníquè : * qui odérunt me gratis, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur : * & in iracúndiâ terræ, loquéntes dolos cogitábát.

Et dilatavérunt super me os suum : * dixérunt Euge, Euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti Dómine ne síleas : * Dómine ne discédas à me.

Exurge & inténde judício meo Deus meus : * & Dóminus meus in causam meam.

Júdica me secúndùm justítiam tuam Dñe Deus meus : * & non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis Euge, euge ánimæ nostræ :* nec dicant devorávimus eum.

Erubéscant & revereántur simul : * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne & reveréntia : * qui malígna loquúntur super me.

Exúltent & læténtur qui volunt justítiam meam : * & dicant semper magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiâ tuam : * tota die laudem tuam.

Aña. Anima autem mea exultábit in Dómino, & delectábitur super salutári suo.

Aña Compláceat.*

Psalmus 39.

EXpéctans expectávi Dóminum :* & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas : * & edúxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et státuit supra petram pedes meos : * & diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum : * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi & timébunt : * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus : * & non respéxit in vanitátes, & insánias falsas.

Multa

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua:* & cogitatiónibus tuis non est quis símilis tibi.

Annuntiávi & locútus sum : * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrificium & oblatióne̅ noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum & pro peccáto non postulásti:* tunc dixi ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus vólui, & lege̅ tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiā tuam in Ecclésia magna : * ecce lábia mea non prohibébo: * Dómine tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo:* veritátem tuam & salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam, & veritátem tuā à concílio multo.

Tu autem Dómine ne longè fácias miseratiónes tuas à me : * misericórdia tua, & véritas tua semper suscepérunt me.

Quoniam circundedéru̅t me mala, quorum non est númerus : * comprehendérunt me iniquitátes meæ : * & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei :,* & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi Dómine ut éruas me : * Dómine ad adjuvándum me réspice.

Confundántur & revereántur simul : * qui quærunt ánimam, meam, ut áuferant eam.

Avertántur retrórsum & revereántur : * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam : * qui dicunt mihi eugè, eugè.

Exúltent & læténtur super te, omnes quæréntes te : * & dicant semper magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuú.

Ego autem mendícus sum & pauper: * Dóminus solícitus est mei.

Adjútor meus & protéctor meus es tu: * Deus meus ne tardáveris.

Aña. Compláceat tibi Dómine ut éruas me:Dómine ad adjuvándum me festína.

Antiphona. Sitívit.

Psalmus

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fontem vivum : * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei.

Fuérunt mihi láchrymæ meæ panes die ac nocte:* dum dicitur mihi quotídie ubi est Deus tuus.

Hæc recordátus sum & effúndi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultati ónis & confessiónis, sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea & quare contúrbas me:* spera in Deo quoniam adhuc confitébor illi:* salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est:* proptérea memor ero tui de terra Jordánis:* & hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum invocat : * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui, super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suá : * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ : * dicam Deo, suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei,& quare cõtristátus incédo:* dum afflígit me inimícus.

Dum confringúntur ossa mea : * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me, inimíci mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies ubi est Deus tuus : * quare tristis es ánima mea, & quare contúrbas me.

Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, & Deus meus.

Aña. Sitívit ánima mea ad Deum fontem vivum, quando véniam, & apparébo ante fáciem Dómini ?

Versus. Compláceat tibi Dómine ut éruas me: Dómine ad adjuvándum me festína ; Pater noster. Réquiem ætérnam Et lux perpétua, &c.

Lectio

Lectio vij.

BReves dies hóminis:ʼ númerus ménsiū, ejus apud te est. Constituísti términos ejus ʼ qui prætexíri non póterunt. Recéde paululùm ab eo ut quiéscat ; donec optáta véniat ʼ sicut mercenárij dies ejus. Lignum habet spem ʼ si præcísum fúerit; rursum viréscit ʼ & rami ejus púllulant. Si senúerit in terra radix ejus, & in púlvere mórtuus fúerit trúncus illíus ; ad odórem aquæ germinábit ʼ & fáciet comam, quasi cū primùm plantátum est. Homo verò cùm mórtuus fúerit & nudátus atque consúmptus ; ubi quæso est? quómodò si recédant aquæ de mari; & flúvius vacuefáctus aréscat ʼ sic homo cùm dormiérit non resúrget. Donec atterátur cælum non evigilábit ʼ nec consúrget de somno suo.

℟. Deus in te sperávi, Dómine, non confúndar in ætérnum: * In tua justítia líbera me & éripe me.

℣. Quóniam tu es patiéntia mea Dómine ; Dómine spes mea, à juventúte mea In tua justítia.

Lectio viij.

QUis mihi tríbuat ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus ; & constítuas tempus in quo recordéris mei ? Putásne mórtuus homo rursum vivet ? Cunctis diébus quibus nunc mílito ʼ expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me ʼ & ego respōdébo tibi. Operi mánuum tuarum ʼ pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti ʼ sed parce peccátis meis. Signásti quasi in sácculo delícta mea ʼ sed curásti iniquitátem meam. Mons cadens défluet ʼ & saxum transfértur de loco suo. Lápides éxcavant aquæ ʼ & alluvióne paulátim terra consúmitur. Et hóminem ergo simíliter perdes? Roborásti eum paúlulùm ʼ ut in perpétuum pertransíret. Immutábis fáciem ejus ʼ & emíttes eum. Sive nobíles filij ejus fúerint ; sive ignobíles ʼ non intélligit Attamen caro ejus dum vivit dolébit ʼ & ánima ejus super semetípso lugébit.

℣. Velóciter exáudi me Dómine: * Quia defecérunt sicut fumus dies mei. ℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt; & ego sicut fœnum árui. Quia.

Lectio ix.

DIes mei transiérunt. Cogitatiónes meæ dissipátæ sunt: torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem: & rursus, post ténebras, spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est: & in ténebris stravi léctulũ meum. Putrédini dixi. Pater meus es. Mater mea: & soror mea, vermíbus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea; & patiéntiam meam quis consíderat? In profundíssimum inférnum: descéndent ómnia mea? Putásne saltim: ibi erit réquies mihi.

℟. Peccávi super númerum arenæ maris, & multiplicáta sunt peccáta mea: & non sum dignus vidére altitúdinem cæli, præ multitúdine iniquitátis meæ, quoniam irritávi iram tuam: * Et malum coram te feci. ℣. Precor Dómine ut tránsferas iniquitátem servi tui quia stultè egi nimis. Et malũ.

In Laudibus absolutè dicitur, *Añа.* Exultábunt Dómino ossa humiliáta.

Psalmus. Miserére mei Deus. 69. *Aña.* Exáudi.

Psalmus 64.

TE decet hymnus Deus in Sion: * & tibi reddétur votũ in Jerúsalem.

Exaúdi oratiónem meã, ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos: * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti & assumpsísti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ: * Sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster: * spes ómnium finium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia: * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitãt términos, à signis tuis: * éxitus matutíni, & vesperè delectábis.

Visitásti

Visitásti terram & inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis : * parásti cibum illórum, quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébriās multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus, lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : * & campi tui, replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óviū & valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Añа. Exáudi oratiónem meam ad te omnis caro véniet. *Aña.* Me suscépit déxtera tua Dómine.

Psal. Deus Deus meus. 21

Aña. A portis ínferi.

Psalmus 38.

EGo dixi : * in dimídio diérum meórū, vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum : * dixi non vidébo Dñm Deum, in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultrà : * & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est & cōvolúta est à me : * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut à texénte vita mea : * dum adhuc ordírer, succídit me.

De manè usque ad vésperam finies me : * sperábam usque ad manè : * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea.

De manè usque ad vésperam finies me : * sicut pullus hyrúndinis sic clamábo : * meditábor ut colúmba.

Attenuáti sunt óculi mei : * suspiciéntes in excélso.

Dómine vim pátior, respónde pro me : * quid dicam aut quid respondébit mihi, cùm ipse fécerit.

Recogitábo tibi omnes annos meos : * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine si sic vívitur, & in tálibus vita Spíritus mei ; corrípies me & vivificábis me : * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima.

Tu autem eruísti ánimā meam ut non períret : *

projecísti

projecísti post tergum tuũ ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te: * nõ expectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi sicut & ego hódiè : * Pater filiis notã fáciet, veritátem tuam.

Dómine salvum me fac:* & Psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ, in domo Dómini.

Aña. A portis ínferi érue Dómine ánimas eórum.

Aña. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Psalmus. Laudáte Dóminum de cælis. 23.

℣. Audívi vocem de cælo dicéntem mihi : scribe beáti mórtui qui in Dómino moriúntur.

Ad Benedictus , Aña. Omne quod dat mihi Pater ad me veniet , & eum qui venit ad me : non ejíciam foras; ℣. Réquiem. Ætérnam. ℟. Et lux.

Preces. ℣. Pater noster. ℟. Et ne nos. ℣. In memória ætérna erunt justi. ℟. Ab auditióne mala non timébunt. ℣. Ne tradas Dómine béstiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne oblivíscáris in finem.

℣. Non intres in judicium cum servis tuis Dómine. ℟. Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens. ℣. A portis ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum. ℣. Réquiem. ℟. Et lux. ℣. Dñe exáudi. ℟. Et clamor. *Psal.* Miserére mei Deus. 69.

℣. Réquiem. ℟. Et lux. ℣. Dómine exáudi. ℟. Et clamor. ℣. Dñs vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

ABsólve Dñe ánimas famulórum tuórum ab omni vínculo delictórum: ut in resurrectiónis glória, inter Sanctos tuos ressuscitáti respírent.

Vel una ex orationibus inferius positis pro Defuncto, sacerdote, vel pro Defuncto aut Defuncta prout Officium fuerit celebratum.

Oratio.

DEus véniæ lárgitor & humánæ salútis auctor, quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres , qui ex hoc sæculo transiérũt;

Beáta María semper Vírgine intercedénte, cũ ómnibus Sanctis tuis: ad perpétuæ beatitúdinis cõsórtium perveníre concédas.

Oratio.

FIdélium Deus ómnium cónditor & redémptor: animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum ; ut indulgéntiam quàm semper optavérunt: piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre; in unitáte Spiritus sancti Deus: Per ómnia sæcula sæculórum ; Dñs vobíscũ; ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Pro Defuncto.

Orémus. *Oratio.*

INclína Dómine aurem tuam ad preces nostras quibus misericórdiam tuã supplíces deprecámur: ut ánimam fámuli tui quam de hoc sæculo migráre Jussisti ; in pacis ac lucis regióne constítuas : & Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem.

Pro Sacerdote Defuncto.

Orémus. *Oratio.*

DA nobis Dómine ut ánimam fámuli & sacerdótis tui ; quam de hujus sæculi eduxísti laborióso certámine : Sanctórum tuórum cætui, tríbuas esse consórtem.

Si pro pluribus, dicitur in plurali (Famulórum & Sacerdótum) tuórum;

Pro una Defuncta.

Orémus. *Oratio.*

QUæsumus Dómine pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ ; & à contágiis mortalitátis exútam : in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Dóminum.

LITANIÆ.

S*Equentes Litaniæ cum* ℣. *& Psalmis dicuntur flexis genibus post Matutinum & Laudes diei, dicto Psalmo.* Levávi *cum oratione. Tempore aduentûs Feria ij. iv. & vj. usque ad diem* 17. *Decembris: & à Feria iij. post Dominic. j. Quadragesimæ inclusivè dicuntur Feria iij. v. & Sabbato usque ad Feriã v. in cœna Domini exclusivè; & tũc iis præponitur, Aña. quæ prædictis Feriis in Officio de Tẽpore assignatur. In adventu sequens Litania dicitur Fer. ij. In Quadragesima verò dicitur Fer. iij.*

LITA

LITANIA PRIMA.

Incipitur flexis genibus.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Chriſte audi nos. Chriſte audi nos.
Pater de cælis Deus. Miſerére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus. Miſerére nobis.
Spíritus Sancte Deus. Miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus. Miſerére nobis.
Sancta María. Ora pro nobis. *Duplicatur.*

Quando fit Proceſſio hic ſurgunt omnes.

Sancte Míchaël. ora.
Sancte Gábriel. ora.
Sancte Raphaël. ora.
Sancte Joánnes. *Dupl.* ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Stéphane, *Dup.* ora.
Sancte Line, ora.
Sancte Clete, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Sixte, ora.
Sancte Teléſphore, ora.
Sancte Anthére, ora.
Sancte Cornéli, ora.
Sancte Marcélle, ora.
Sancte Polycárpe, ora.
Sancte Póthine cum ſóciis tuis, ora.
Sancte Irenæe cum ſociis tuis, ora.
Sancte Apollináris, ora.
Sancte Cypriáne, ora.
Sancte Tróphime. ora.
Sancte Saturníne, ora.
Sancte Martiális. ora.
Sancte Torquáte, ora.
Sancte Annemúnde, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Sylvéſter, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Zacharía, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Ambróſi, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Juſte, ora.
Sancte Albíne, ora.
Sancte Elpídi, ora.
Sancte Lupicíne, ora.
Sancte Lupe, ora.
Sancte Germáne, ora.
Sancte C[illegible]ſari, ora.
Sancte Hierónime, ora.
Sancte Viátor, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Hilárion, ora.
Sancte Machári, ora.
Sancta Blandína, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Agatha, ora.

Sancta Prisca, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Euphémia, ora.
Sancta Fides, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Perpétua, ora.
Sancta Felícitas, ora.
Sancta María Magdaléna, Ora pro nobis.
Omnes Sancti. Oráte pro nobis. *Duplicatur.*
Propítius esto. Parce nobis Dómine.
Propítius esto. Líbera nos Dómine.
Ab insídiis Diáboli. Líbera nos Dómine.
A persecutióne inimíci. Líbera nos Dómine.
A ventúra ira. Líbera.
A perículo mortis. Líbera.
A subitánea & improvísa morte. Líbera.
Ab omni malo. Líbera
Per Crucem tuam. Líbera.
Per Resurrectiónem tuam. Líbera nos Dómine.
Per Ascensiónem tuam. Líbera nos Dómine.
Per Spíritum Paráclitum. Líbera nos Dómine.
In Die Judícij. Líbera.
Peccatóres. Te rogámus audi nos.
Ut pacem nobis dones Te rogámus audi nos.
Ut sanitátẽ nobis dones. Te rogámus audi nos.
Ut aëris tempériem nobis dones. Te rogámus.
Ut fructus terræ dare & conserváre dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut misericórdia & piétas tua nos custódiat. Te rogámus audi nos.
Ut locum istum visitáre & consolári dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut Pontíficem nostrum conserváre dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut ei vitam & sanitátem dones. Te rogámus.
Ut univérsos gradus Ecclésiæ tuæ, régere & conserváre dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut clerum & plebem Sancti Stéphani conserváre dignéris. Te rogámus.
Ut univérsum pópulum Christiánum conserváre dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut Regem nostrum conserváre dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut ei vitam & victóriam dones. Te rogámus.
Ut gentes quæ in sua feritáte confidunt tuâ dexterâ comprimántur. Te rogámus audi nos,

Ut

Ut Ecclésiam tuam defensáre dignéris. Te rogámus audi nos.

Ut eam semper exaltáre dignéris. Te rogámus.

Ut inimícos Sanctæ Dei Ecclésiæ comprímere dignéris. Te rogámus.

Ut errántes ad viã salútis redúcas. Te rogámus.

Ut in Christo quiescéntibus réquiem ætérnam dones. Te rogámus.

Ut nos exaudíre dignéris. Te rogámus.

Fili Dei. Te rogámus.

Fili Dei. Te rogámus.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. Parce nobis Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. Líbera nos Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. Dona nobis pacem.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. Miserére nobis.

Christe audi nos.

Christe audi nos.

Kyrie eleíson. Christe eleíson. Kyrie eleíson.

℣. Deus Israël líbera nos, de manu ómnium qui nos odérunt; Pater noster.

Secretò. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Ego dixi Dómine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequò. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine Deus meus in te sperávi. ℟. Salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me. ℣. Júdica Dómine nocéntes me. ℟. Expúgna impúgnantes me. ℣. Apprehénde arma & scutum. ℟. Et exúrge in adjutóriũ mihi. ℣. Eripe me de inimícis meis Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. ℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris Sánguinum salva me. ℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci. ℣. Eripe me Dómine ab hómine malo. ℟. A viro iníquo líbera me. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dñi. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dómine exaúdi ora-

tiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Psalmus 42.

JUdica me Deus, & discérne causam meam de gente non Sancta: * Ab hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es Deus Fortitúdo mea: * Quare me repulísti, & quare tristis incédo dum affligit me inimícus.

Emítte lucem tuam & veritátem tuam: * Ipsa me deduxérunt & adduxérunt in montem Sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cythara Deus, Deus meus: * Quare tristis es ánima mea, & quare contúrbas me.

Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, & Deus meus. Glória Patri.

Psalmus 69.

DEus in adjutórium meum inténde: * Dómine ad adjuvándum me festína.

Confundántur & reveréantur: * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum & erubéscant: * Qui volunt mihi mala.

Avertántur statim & erubescéntes: * qui dicunt mihi, Euge, euge!

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te: * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuũ.

Ego verò egénus & pauper sum: * Deus ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu: * Dómine ne moréris.

Glória Patri.

Psalmus 85.

INclína, Dómine aurem tuam, & exaúdi me: * quóniam inops & pauper sum ego.

Custódi ánimam meam quóniam Sanctus sum: * Salvum fac servum tuũ, Deus meus sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui: quóniam ad te Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suavis & mitis: * & multæ

tæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam:* Et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in Diis, Dómine: * Et non est secúndùm ópera tua.

Omnes gentes quascúnque fecísti, vénient & adorábunt coram te Dómine: * Et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu: * Et fáciens mirábilia, tu es Deus Solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus in toto corde meo: * & glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me: * & eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus iníqui insurrexérunt super me: * Et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam :* & non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu Dómine Deus, miserátor & miséricors: * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me & miserére mei:* Da impériū tuū púero tuo:* & salvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum: * ut vídeant qui odérunt me, & confundántur: * quóniam, tu Dómine, adjuvísti me, & consolátus es me.

Glória Patri.

℣. Dómine non secúndum peccáta nostra fácias nobis. ℟. Neque secúndùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Dómine exaudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dñs vobíscum; ℟. Et cum Spíritu tuo.

Post Litaniam Primam.

Orémus. *Oratio.*

DEus, cui próprium est, miseréri semper & párcere: súscipe deprecatiónem nostram; & quos delictórum caténa constríngit: miserátio tuæ pietátis absolvat. Per Dóminum nostrum.

Post Litaniam Secundam.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde; ut mente & córpore páriter expedíti, quæ tua sunt, líberis méntibus exequámur. Per Dóminum nostrum.

Post Litaniam Tertiam.

Orémus. *Oratio.*

ECclésiæ tuæ, quæsumus Dómine, preces placátus admítte; ut destrúctis adversitátibus & erroribus univérsis, sécúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum nostrum.

In Adventu sequens Litania dicitur Feria iv. In Quadragesima verò dicitur Feria v.

LITANIA SECUNDA.

Incipitur flexis genibus.

KYrie eléison. Christe eléison. Christe audi nos. Christe audi nos.

Pater de cælis Deus, Miserére nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserére nobis.

Spíritus Sancte Deus, Miserére nobis.

Sācta Trínitas unus Deus, Miserére nobis.

Sancta María, *Dupl.* ora.

Quando fit processio hic surgunt omnes.

Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Sanne Joánnes, *Dupl.* ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Stéphane, *Dup.* ora.
Sancte Timóthee, ora.
Sancte Tite, ora.
Sancte Juda, ora.
Sancte Sila. ora.
Sancte Calíxte, ora.
Sancte Urbáne, ora.
Sancte Ignáti, ora.
Sancte Justíne, ora.
Sancte Donáte, ora.
Sancte Zacharía, ora.
Sancte Epágate, ora.
Sancte Matúre, ora.
Sancte Attale, ora.
Sancte Alexánder, ora.
Sancte Póntice, ora.
Sancte Lauréntí, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Appollóni, ora.
Sancte Chrysógone, ora.
Sancte Pancráci, ora.
Sancte Cosma, ora.
Sancte Damiáne, ora.
Sancte Genési, ora.
Sancte Athanási, ora.

Sancte Pauline, ora.
Sancte Eucheri, ora.
Sancte Verane, ora.
Sancte Patiens, ora.
Sancte Sacerdos, ora.
Sancte Remigi, ora.
Sancte Sulpici, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancta Tecla, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Sancta Eulalia, ora.
Sancta Leocadia, ora.
Sancta Margarita, ora.
Sancta Columba, ora.
Sancta Crispina, ora.
Sancta Juliana, ora.
Sancta Sabina, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Genovefa, ora.
Sancta Maria Magdalena, Ora pro nobis.
Omnes Sancti, &c. *ut in prima Litania.*

In Adventu sequens Litania dicitur Feria vj. In Quadr. vero dicitur Sabb.

LITANIA TERTIA.

Incipitur flexis genibus.

KYrie eleison. Christe eleison. Christe audi nos. Christe audi nos.
Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, *Dupl.* ora.

Quando fit processio hic surgunt omnes.

Sancte Michaël, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphaël, ora.
Sancte Joannes, *Dup.* ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Stephane, *Dup.* ora.
Sancte Sixte, ora.
Sancte Fabiane, ora.
Sancte Phoca, ora.
Sancte Babyla, ora.
Sancte Fructuose, ora.
Sancte Dionisi cum sociis tuis, ora.
Sancte Alexander, ora.
Sancte Ipipodi, ora.
Sancte Alcibiades, ora.
Sancte Marcelle, ora.
Sancte Valeriane, ora.
Sancte Hyppolite, ora.
Sancte Sebastiane, ora.
Sancte Tiburci, ora.
Sancte Benigne, ora.
Sancte Maurici cum sociis tuis, ora.
Sancte Exuperi, ora.
Sancte Eustachi cum sociis tuis, ora.

Sanćte Nazári, ora.
Sanćte Celse, ora.
Sanćte Vitális, ora.
Sanćte Agrícola, ora.
Sanćte Gervási, ora.
Sanćte Protási, ora.
Sanćte Geórgi, ora.
Sanćte Agápite, ora.
Sanćte Cyriace, ora.
Sanćte Symphoriáne. ora.
Sanćte Quintíne, ora.
Sanćte Basíli, ora.
Sanćte Gregóri, ora.
Sanćte Eusébi, ora.
Sanćte Fulgénti, ora.
Sanćte Viventíole, ora.
Sanćte Nicéti, ora.
Sanćte Æthéri, ora.
Sanćte Arígi, ora.
Sanćte Genési, ora.
Sanćte Gebuíne, ora.
Sanćte Peregríne, ora.
Sanćte Baldomére, ora.
Sanćte Paule, ora.
Sanćta Petronílla, ora.
Sanćta Æmília, ora.
Sanćta Domitílla, ora.
Sanćta Antónia, ora.
Sanćta Rhódana, ora.
Sanćta Biblís. ora.
Sanćta Justa, ora.
Sanćta Bárbara, ora.
Sanćta Symphorósa, ora.
Sanćta Eugénia, ora.
Sanćta Basilla, ora.
Sanćta Doróthea, ora.
Sanćta Maria Magdaléna.
Ora pro nobis.
Omnes Sanćti, &c. *ut in prima Litania.*

SEPTEM PSALMI
POENITENTIALES.

Dicuntur in Feriali Officio flexis genibus à Feria secunda post Dominicam primam Quadragesima inclusivè; usque ad Feriam v. in cœna Domini exclusivè, Qualibet Feria secunda, Quarta & Sexta: & distribuuntur per Horas diei, ut infrà ordinatur.

AD LAUDES,

Post Orationem diei dicto. ℣. Benedicámus Dómino. *Statim dicitur.*

Psalmus 6.

Domine, ne in furóre tuo árguas me: * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quoniam

quóniam infirmus sum : * Sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt, ómnia ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè : * Sed tu Dómine úsquequò ?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * Salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte, qui memor sit tui : * In inférno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per singulas noctes lectum meum : * Lacrímis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus : * Inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me omnes, qui operámini iniquitátem : * Quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam : Dóminus Oratiónem meam suscépit.

Erubéscant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * Convertántur & erubéscant valdè velóciter.

Glória Patri.

℣. Dómine ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum. ℟. Cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia paupéres facti sumus nimis. ℣. Dómine exaúdi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum ; ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus. O*ratio.*

EXaudi, quæsumus Dómine, gémitum pópuli supplicántis ; ut qui de meritórum qualitáte diffidimus, non judícium sed misericórdiam cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

In fine non additur. ℣. Dóminus vobíscum. *nec.* ℣. Benedicámus Dómino. *Deinde dicitur Psalmus.* Levávi. *cum versu & Oratione ut in Psalterio.* 72.

AD PRIMAM.

Post Orationem. Véritas. *dicto.* Benedicámus Dómino. *dicitur.*

Psalmus 31.

BEáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes : * Et quorũ tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non impurávit Dóminus peccátum: * Nec est in Spírtu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea: * Dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * Convérsus sum in ærumna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci: * Et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi, Confitébor advérsùm me injustítiam meam Dómino: * Et tu remisisti, impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis Sanctus: * In témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne, quæ circúmdedit me: * Exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradiéris: * Firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus: * quibus non est intelléctus.

In chamo & frænó maxíllas eórum constrínge: * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris: * Sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte justi: * & gloriámini omnes recti corde. Glória Patri.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

Afflictiónem famíliæ tuæ, quæsumus Dómine inténde placátus; ut indúltâ véniâ peccatórum: de tuis semper benefíciis gloriémur. Per Dóminum nostrum.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. ℣. Pretiosa.

AD TERTIAM.

Post orationem Diei dicto: Benedicámus Dño, *dicitur Psalmus* 17.

Domine, ne in furóre tuo árguas me: * Neque

que in ira tua corrípias me.

Quóniam ſagíttæ tuæ infixæ ſunt mihi : * Et confirmáſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſánitas in carne mea à fácie iræ tuæ : * Non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniá iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meũ:* Et ſicut onus grave gravátæ ſunt ſuper me.

Putruérunt & corrúptæ ſunt cicatríces meæ : * A fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum , & curvátus ſum uſque in finem : * Tota die contriſtátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus : * Et non eſt ſánitas in carne mea.

Afflíctus ſum, & humiliátus ſum nimis : * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine ante te omne deſidérium meum : * Et gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt , * dereliquit me virtus mea , & lumen oculórum meórum : * Et ipſum non eſt mecum.

Amíci mei , & próximi mei : * Advérsùm me appropinquavérunt & ſtetérunt.

Et qui juxta me erant de longè ſtetérunt : * Et vim faciébant, qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi , locúti ſunt vanitátes : * Et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiébam : * Et ſicut mutus non apériens os ſum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens : * Et non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te , Dómine , ſperávi : * Tu exaúdies me Dómine , Deus meus.

Quia dixi , Nequándo ſupergáudeant mihi inimíci mei: * Et dum commovéntur pedes mei , ſuper me magna locúti ſunt.

Quóniam ego in flagélla parátus : * Et dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátem meam

meam annunciábo : * Et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me : * Et multiplicáti sunt, qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * Quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus : * Ne discésseris à me.

Inténde in adjutórium meum : * Dómine, Deus salútis meæ.

Glória Patri.

℣. Et véniat super nos misericórdia tua, Dómine. ℟. Salutáre tuum secúndùm elóquium tuum. ℣. Dómine exaudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum ; ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

CLamántium ad te, quæsumus Dómine ; preces dignánter exaudi; Et sicut Ninivítis, in afflictióne pósitis pepercísti ; ita & nobis in præsénti tribulatióne succúrre. Per Dóminum.

Deinde dicitur. ℣. Réquiem ætérnam.

Psalmus. De profúndis. 158.

AD SEXTAM.

Post Orationem.

Dicto. Benedicámus Dómino. *dicitur.*

Psalmus 50.

MIserére mei Deus : * Secúndùm magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum : * Dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * Et à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * Et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci : * Ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * Et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * Incérta & ocúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, &

& mundábor: * Lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætitiam: * Et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis: * Et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * Spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua: * & Spíritum Sanctũ tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * Et Spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas: * Et ímpij ad te converténtur.

Líbera me de Sanguínibus Deus, Deus salútis meæ: * Et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries: * Et os meum annunciábit laudem tuam.

Quóniam, si voluísses, Sacrifícium dedíssem útique: * Holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo Spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * Ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis Sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocáusta: * Tunc impónent super altáre tuum vítulos. Glória Patri.

℣. Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum. ℟. Cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Dómine exaudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; Et cum Spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

AUxiliáre, Dómine, quæréntibus misericórdiam tuam: & da véniam confiténtibus, parce supplícibus; ut qui nostris méritis flagellámur: tuâ miseratióne salvémur. Per Dóminum nostrum.

Deinde dicitur. ℣. Réquiem ætérnam, *&* *Psalmus.* De profúndis. *ut in Psalterio.* 158.

A D N O N A M.

Post orationem Diei dicto. Benedicámus Dómino, *dicitur.*

Psalmus

Psalmus 101.

DOmine exáudi oratiónem meam : * Et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me : * In quacúnque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúnque die invocávero te : * Velóciter exaudi me.

Quia defecérunt, ſicut fumus, dies mei: * Et oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percúſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum:* Quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitus mei:* Adhæſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum Pellicáno ſolitúdinis : * Factus ſum ſicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi : * Et factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei:* Et qui laudábant me, advérsùm me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam : * Et potum meum cum fletu miſcébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ:* Quia élevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt : * Et ego ſicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ætérnum pérmanes : * Et memoriále tuum in generatióne & generatiónem.

Tu exúrgens miſeréberis Sion:* Quia tempus miſeréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt ſervis tuis lápides ejus : * Et terræ ejus miſerebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine : * Et omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion: * Et vidébitur in glória ſua.

Reſpéxit in Oratiónem humílium: * Et non ſprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera : * Et pópulus, qui creábitur laudábit Dóminum.

Quia proſpéxit de excélſo Sancto ſuo : * Dñs de cælo in terram aſpéxit.

Ut

Ut audíret gémitus compeditórum: * Ut sólveret filios interemptórum.

Ut annúncient in Sion nomen Dómini : * Et laudem ejus in Jerúsalem:

In conveniéndo pópulos in unum : * Et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ : * Paucitátem diérum meórum núncia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * In generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu Dómine, terram fundásti : * Et ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : * Et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur : * Tu autem idem ipse es, * & anni tui non deficient.

Filij servórum tuórum habitábunt : * Et semen eórum in sæcúlum dirigétur. Glória Patri.

℣. Dómine, non secúndùm peccáta nostra fácias nobis. ℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum ; ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui peccántium ánimas non vis períre, sed culpas ; cóntine, quam merémur iram, &, quam precámur, super nos effúnde cleméntiam: ut de mœróre, gaúdium tuæ misericórdiæ cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Deinde dicitur. ℣. Réquiem ætérnam. *Et Psalmus.* De profúndis. *ut in Psalterio.*

Quando verò contingit Officium Feriale, ad Nonam terminari propter subsequens festum novem Lectionum, tunc ad Nonam dicuntur tres ultimi Psalmi Pœnitentiales cum Versu & Oratione Nonæ ut suprà, omissis aliis Versibus & Orationibus quæ ad Vesperas & Completorium assignantur.

AD VESPERAS.

Post Orationem Diei dictã. Benedicámus Dño. *dicitur Psalmus*

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exaudi vocem meā.

Fiant aures tuæ intendéntes : * In vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est : * Et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * Sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * Speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * Et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël: * Ex ómnibus iniquitátibus ejus. Glória Patri.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci. ℣. Dómine exaudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum ; ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

ADésto supplicatiónibus nostris, Omnípotens Deus ! & quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges ; intercedénte Beáto Stéphano, Protomártyre tuo ! consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. Per Dóminum nostrum.

In aliis Ecclesiis profertur nomen Patroni.

AD COMPLETORIUM.

Finitâ Benedictione consuetâ, dicitur.

Psalmus 142.

DOmine exaudi oratiónem meam, * áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua ; * Exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi : * & anxiátus est super me spíritus meus, * in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum : * Meditátus sum

ſum in ómnibus opéribus tuis : * In factis mánuum tuárum meditábor.

Expándi manus meas ad te : * Anima mea ſicut terrá ſine aqua tibi.

Velóciter exaúdi me, Dómine : * Defécit Spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me : * Et ſimilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam : * Quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * Quia ad te levávi ánimã meã.

Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confugi : * Doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego ſervus tuus ſum. Glória Patri.

℣. Et véniat ſuper nos miſericórdia tua, Dómine. ℟. Salutáre tuum ſecúndùm elóquium tuũ.
℣. Dómine exaudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

MEmor eſto, quæſumus Dómine, fragilitátis humánæ; & qui juſtè vérberas peccatóres ? parce propítius afflíctis. Per Dóminum.

Deinde dicitur. Réquiem ætérnam.

Pſalmus. De profúndis. *ut ſuprà.*

ORDO COMMENDATIONIS *Animæ.*

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie eléiſon. Chriſte eléiſon. Kyrie eléisõ.
Sancta María, Ora pro eo. *vel, ea.*
Omnes sãcti Angeli & Archángeli. Oráte pro eo.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus juſtórum, ora pro eo.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptíſta, ora pro eo.

Omnes

Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli, & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti diſcípuli Dómini, oráte pro eo.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte pro eo.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Irenæe, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte pro eo.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Euchéri, ora.
Omnes ſancti Pontífices & Confeſsóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Marcelle, ora.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora pro eo.
Sancta Blandína, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro eo.
Propítius eſto, Parce ei Dómine.
Propítius eſto, Líbera eum Dómine.
Propítius eſto, líbera
Ab ira tua, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A poteſtáte diáboli; líbera eum Dómine.
Per nativitátem tuam, líbera eum Dómine.
Per crucem & paſſiónem tuam, líbera eum Dómine.
Per mortem & ſepultúram tuam, líbera eum Dómine.
Per glorióſam reſurrectiónem tuam: líbera.
Per admirábilem aſcenſiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritus ſancti Paracléti, líbera.
In die judícij, líbera.
Peccatóres, Te rogámus audi nos.
Ut ei parcas, Te rogámus audi nos.
Kyrie eléiſon. Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon

Deinde cùm in agone ſui exitus anima anxiatur, dicantur ſequentes Orationes.

Oratio.

PRoficiſcere ánima chriſtiána de hoc múdo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit:

vit: in nómine Jesu Christi Fílij Dei vivi, qui pro te passus est: in nómine Spíritus sancti, qui in te effúsus est: in nómine Angelórum & Archangelórum: in nómine Thronórum & Dominatiónum: in nómine Principátuum & Potestátum: in nómine Chérubim & Séraphim: in nómine Patriarchárum & Prophetárum: in nómine sanctórum Apostolórum & Evangelistárum: in nómine sanctórum Mártyrum & Confessórum: in nómine sanctórum Monachórum & Eremitárum: in nómine sanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei: hódie sit in pace locus tuus, & habitátio tua in sancta Sion. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Oratio.

DEus miséricors, Deus clemens, Deus qui secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárũ peccátum pœniténtium deles; & præteritórum críminũ culpas vénia remissiónis evácuas: réspice propítius super hunc fámulum tuũ N. & remissiónem ómnium peccatórum suórum tota cordis confessióne poscéntem deprecátus exáudi. Rénova in eo, piíssime Pater; quidquid terréna fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólica fraude violátum est: & unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annécte. Miserére Dómine gemítuũ, miserére lacrymárum ejus: & non habénte fidúciam, nisi in tua misericórdia, ad tuæ sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

COmméndo te omnipoténti Deo, charíssime frater, & ei, cujus es creatúra, commítto: ut, cùm humanitátis débitum morte interveniénte persólveris; ad auctórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore spléndidus Angelórum cœtus occúrrat: judex Apostolórum tibi senátus advéniat: candidatórum tibi

Mártyrum

Mártyrum triumphátor exércitus óbviet: liliáta rutilántium te Confessórum turma circúmdet: jubilántium te Vírginum chorus excípiat: & beátæ quiétis in sinu Patriarchárum te compléxus astríngat: mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi júgiter interésse decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi teterrimus sátanas cum satellítibus suis: in advéntu tuo te comitántibus Angelis contrémiscat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, & dissipéntur inimíci ejus: & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant: sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei: & justi epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei. Confundántur ígitur & erubéscant omnes tartáreæ legiónes, & minístri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Christus, qui pro te crucifixus est. Líberet te ab ætérna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus Fílius Dei vivi intra paradísi sui semper amœna viréntia, & inter oves suas te verus ille Pastor agnóscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas, & præsens semper assístens, manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem. Constitútus ígitur inter ágmina beatórum, contemplatiónis divinæ dulcédine potiáris in sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio.

Súscipe Dómine servum tuum in locum sperándæ sibi salvatiónis à misericórdia tua.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui ex ómnibus perículis inférni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi

ſervi tui, ſicut liberáſti Henoch & Elíam de commúni morte mundi.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui, ſicut liberáſti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui, ſicut liberáſti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui, ſicut liberáſti Job de paſſiónibus ſuis.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui, ſicut liberáſti Iſaac de hóſtia, & de manu patris ſui Abrahæ.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui, ſicut liberáſti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui, ſicut liberáſti Móyſen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui, ſicut liberáſti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui, ſicut liberáſti tres púeros de camíno ignis ardéntis, & de manu regis iniqui. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui, ſicut liberáſti Suſánnam de falſo crímine. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui, ſicut liberáſti David de manu regis Saül, & de manu Golíæ.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui, ſicut liberáſti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et ſicut beatíſſimam Theclam vírginē & mártyrem tuam de tribus atrociſſimis torméntis liberáſti, ſic liberáre dignéris ánimam hujus ſervi tui, & tecum fácias in bonis congaudére cæléſtibus.

℟. Amen.

Oratio.

COmmēdámus tibi Dómine ánimam famuli tui *N.* precamúrque te Dómine Jeſu Chriſte Salvátor mundi, ut propter quam ad terram miſericórditer deſcendíſti, Patriarchárum tuórum ſinibus inſinuáre non rénuas: Agnóſce Dómine creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, ſed à te ſolo Deo vivo & vero: quia non

non est álius Deus præter te, & non est secúndùm ópera tua. Lætífica Dómine ánimam ejus in cōspéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, & ebrietátum, quas suscitávit furor sive fervor mali desidérij. Licet enim peccáverit: tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum sanctum non negávit, sed crédidit; & zelum Dei in se hábuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Oratio.

DElícta juventútis, & ignorātias ejus, quæsumus, ne memíneris Dómine: sed secúndùm magnam misericórdiam tuā memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cæli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum Dómine servum tuum súscipe. Suscipiat eum sanctus Michaël Archángelus Dei, qui milítiæ cæléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, & perdúcant eum in civitátem cæléstem Jerúsalem. Suscípiat eum beátus Petrus Apóstolus, cui à Deo claves regni cæléstis tráditæ sunt. Adjúvet eum sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia. Orent pro eo omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo omnes sancti & elécti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc sæculo sustinuérunt: ut vínculis carnis exútus perveníre mereátur ad glóriam regni cæléstis: præstánte Dómino nostro Jesu Christo: Qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi Psalmi, videlicet, Confitémini Dómino quóniam bonus. 26. *& totus Psalmus.* Beáti immaculáti. *per Horas distributus.* 27.

Egressa autem anima, dicitur hoc ℟. Subveníte Sancti Dei, occúrrite Angeli Dómini: * Suscipiéntes ánimam ejus: * Offeréntes

rentes eam in conſpéctu Altiſſimi. ℣. Suſcípiat te Chriſtus qui vocávit te, & in ſinum Abrahæ Angeli dedúcant te. Suſcipiéntes. ℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine: & lux perpétua lúceat ei. Offeréntes.

Deinde. Kyrie eléiſon. Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon.

Posteà, Pater noſter. *Secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei. ℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Requiéſcat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíſcum.

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

TIbi Dómine commendámus ánimam fámuli tui *N.* ut defúnctus ſæculo tibi vivat; & quæ per fragilitátem humánæ converſatiónis peccáta commíſit, tu vénia miſericordíſſimæ pietátis abſtérge; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

BENEDICTIO MENSÆ

Ante prandium Sacerdos benedicturus menſam incipit, Benedícite. *& alij repetunt*, Benedícite.

Deinde dicitur. ℣. Oculi ómnium. *& alij proſequũtur.* In te ſperant Dñe, & tu das eſcam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléisõ. Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon. Pater noſter. *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónẽ. ℟. Sed líbera nos à malo.

Posteà Sacerdos dicit:

Orémus.

BEnedic Dómine nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri. Per Chriſtum Dóminum. ℟. Amen.

Deinde Lector, Domne jube benedícere. *Bened.* Menſæ cæléſtis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

Poſt prandium aguntur gratiæ hoc modo dicto à Lectore. Tu autẽ Dómine miſerére noſtri. ℟. Deo grátias. *omnes ſurgunt.*

Sacerdos incipit. ℣. Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua. ℟. Et sancti tui benedícant tibi. ℣. Glória Patri.

Posteà Sacerdos absolutè dicat:

AGimus tibi grátias omnípotẽs Deus pro univérsis beneficiis tuis: Qui vivis & regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psal. Miserére. 69.

Vel Psalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes Gentes: * laudáte eum omnes pópuli:

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. *Sacerdos dicit*, Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Benedícam Dóminum in omni témpore. ℟. Semper laus ejus in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea. ℟. Audiant mansuéti, & læténtur. ℣. Magnificáte Dóminum mecum. ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum. ℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Deinde sine Oremus.

REtribúere dignáre Dómine ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen. Pater noster. *Secretò.*

Quo finito, dicit Sacerdos, Deus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

Ante cœnam Sacerdos benedicturus mensam incipit. Benedícite. *& alij repetunt*, Benedícite.

Deinde Sacerdos incipit ℣. *& alij prosequuntur.*

EDent páuperes, & saturabúntur, & laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. *Secretò.* Et ne nos.

nos. Orémus. Bénedic Dômine.*ut suprà in prandio*.ccxlj.Domne. jube *Benedictio*. Ad cœnam vitæ ætérnæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

In fine cœnæ dicitur ℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dñs : escam dedit timéntibus se.

Glória Patri.

Sacerdos dicat :

BEnedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis : Qui vivit & regnat in sæcula sæculórũ, ℟. Amẽ.

Deinde alternatim dicitur Psalmus.Laudáte Dóminum omnes Gentes *& reliqua ut suprà*. ccxlij.

Quando semel comeditur, omnia dicantur ut in cœna.

Prædictus modus benedicendi mensam, & agendi gratias, servatur omni tempore præterquam diebus infrascriptis quibus Versiculi & Psalmi tantùm variantur.

In Nativitate Domini, usque ad cœnam Vigiliæ Epiphaniæ exclusivè, dicitur ℣.Verbum caro factum est, allelúia, Et habitávit in nobis, allelúia.

Glória Patri.

In fine dicitur ℣. Notum fecit Dóminus, allel.Salutáre suum,allel. *Alia ut suprà, Psalmus*. Cantáte. ij. 129. *vel* Laudáte Dóminum omnes Gentes. *qui Psalmus semper ad beneplacitum dici potest etiã in aliis solemnitatibus.*

In Epiphania, & per totam Octavam, ℣. Reges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent, allel.Reges Arabum & Saba dona addúcent,allel. Glória Patri.

In fine dicitur.℣. Omnes de Saba vénient, allelúia, Aurum & thus deferéntẽs,allelúia. Glória Patri.

Psalmus. Deus judícium tuum. 101.

Feria quinta in cœna Domini dicitur absolutè, & sine nota ℣. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem.

Deinde Pater noster. *totum secretò. Quo dicto, sine pronuntiatione aliqua Sacerdos signo Crucis benedicit mensam : nec dicitur*, Domne jube,*nec*,Tu autẽ.

In fine repetitur ℣.Christus factus est. *ut suprà.*

Posteà Psal. Miserére mei Deus. 69. *Quo finito sine* ℣. Glória Patri. *Secretò dicitur*, Pater noster.

Deinde Sacerdos dicit absolutè Orationem.

Oratio.

Respice, quæsumus Dñe, super hanc famíliam tuam, pro qua Dñs noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis subíre torméntum.

Et non pronuntiatur. Qui tecum *nec* Fidélium ánimæ, *sed secretò dicitur.* Pater noster. *nec addit.* Deus det nobis suam pacem.

In Parasceve eodem modo fit sicut in cœna Domini, sed additur ad Vers. Christus factus est. Mortem autem crucis.

Sabbato sancto ad benedicendum mensam dicitur, Benedícite. ℟. Benedícite. ℣. Véspere autem Sábbati, quæ lucéscit in prima Sábbati, allelúia. Venit María Magdaléne, & áltera María, vidére sepúlchrum, allelúia. Glória Patri.

In fine repetitur ℣. Véspere autem. *ut suprà cum* Glória Patri.

Psalmus. Laudáte Dñm omnes Gentes. cc. *cum* Glória Patri. Kyrie eléisō. Christe eléison. Kyrie eléison. *& alia ut suprà in prima Benedictione.* ccxlj.

In die Pascha, & deinceps usque ad cœnam sequentis Sabbati, ad benedicendum mensam dicitur ℣. Hæc dies quam fecit Dñs, allel. Exultémus & lætémur in ea, allelúia.

Glória Patri.

In fine repetitur, Hæc dies quam fecit, *cum* Glória Patri. *Psalmus.* Confitémini. 26.

In Ascensione Dñi, usque ad Vigiliam Pētecostes exclusivè, ℣. Ascéndit Deus in jubilatióne, allelúia, & Dóminus in voce tubæ, allelúia.

Glória Patri.

In fine dicitur ℣. Ascéndens Christus in altum, allelúia. Captivam duxit captivitátem, allel. Glória Patri. *Psalm.* Omnes Gentes pláudite mánibus. 80. *vel* Laudáte Dñm. ccxlij.

In Pentecoste à Vigilia ejusdem inclusivè usque ad cœnam sequentis Sabbati exclusivè. ℣. Spíritus Dómini replévit orbē terrárum, allelúia: & hoc quod sontinet

cóntinet ómnia, sciéntiā habet vocis, allelúia.

Glória Patri.

In fine dicitur ℣. Repléti sunt omnes Spíritu sancto, allel. Et cœpérunt loqui, allelúia. Glória Patri.

Psalmus. Magnus Dóminus. 81. *vel* Laudáte. *ut suprà.*

ITINERARIUM.

Clericus in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari, si cum sociis, in plurali. *Ant.* In viā pacis.

Canticum Zachariæ.

Lucæ 1. g

Benedíctus Dn̄s Deus Israël. * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ:

Et eréxit cornu salútis nobis, * in domo David púeri sui.

Sicut locutus est per os sanctórum, * qui à sæculo sunt, Prophetárum ejus:

Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium qui odérunt nos:

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * & memorari testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis.

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte & justítia coram ipso: * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos, óriens ex alto.

Illuminare his, qui in ténebris & in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis. Glória Patri.

Antiphona. In viam pacis & prosperitátis dirigat nos omnípotens & miséricors Dóminus: & Angelus Raphaël comitétur nobiscum in via, ut cum pace, salúte, & gáudio revertámur ad própria. Kyrie eléisō. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.

noſter. *Secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónē. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Salvos fac ſervos tuos: ℟. Deus meus ſperántes in te. ℣. Mitte nobis Dómine auxílium de ſancto. ℟. Et de Sion tuére nos. ℣. Eſto nobis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A facie inimíci. ℣. Nihil proficiat inimícus in nobis. ℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis. ℣. Benedíctus Dñs die quotídie. ℟. Próſperū iter fáciat nobis Deus ſalutáriū noſtrórum. ℣. Vias tuas Dómine demónſtra nobis. ℟. Et sémitas tuas édoce nos. ℣. Utinam dirigántur viæ noſtræ. ℟. Ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas. ℣. Erunt prava in dirécta. ℟. Et áſpera in vias planas. ℣. Angelis ſuis Deus mandávit de te. ℟. Ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meā. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui filios Iſraël per maris médium ſicco veſtígio ire feciſti, quique tribus Magis iter ad te ſtella duce pandiſti: tríbue nobis quæſumus iter próſperum, tempúſque tranquillum: ut, Angelo tuo ſancto cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ ſalútis portum perveníre felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes ſuæ peregrinatiónis vias illæſum cuſtodíſti: quæſumus, ut nos fámulos tuos cuſtodire dignéris: eſto nobis Dne in procínctu ſuffrágium, in via ſolátium, in æſtu umbráculum, in plúvia & frígore teguméntum, in laſſitúdine vehículum, in adverſitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus: ut te duce, quò téndimus, próſperè perveniámus, & demum incólumes ad própria redeámus.

ADeſto, quæſumus Dómine, ſupplicatiónibus noſtris: & viam famulórum tuórum in ſalútis tuæ proſperitáte

diſpóne:



diſpóne : ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes tuo ſemper protegámur auxílio

PRæſta quæſumus omnipotens Deus : ut família tua per viam ſalútis incédat, & beáti Joánnis Præcursóris hortaménta ſectándo, ad eum quem prædíxit, ſecúra pervéniat: Dóminum noſtrũ Jeſum Chriſtum Filium tuũ: Qui tecum vivit, &c.


℣. Procedámus in pace.

℟. In nómine Dñi. Amen.









ERRATA SIC CORRIGE.

In Kalendario. 14. Julii. *semid. mi.* lege *iij. Lect.*
Ibidem. 28. Julii. *semid. maj.* lege *iij. Lect*
Pagina 28 Columna 2. Linea 31. *In festo* lege *in festis Nativitatis Domini &*
pag. 32 col. 1. lin. 15. *In festo* lege *In festis Nativitatis Domini &*
pag. 50 col. 1. lin. 33. 31. lege 49.
pag. 54 col. 2. lin. 30. 31. lege 54.
pag. 73 col. 2. lin. 29. *Orationem* lege *Psalmum* Levavi
pag. 161 col. 1. lin. 2. Dominum *lege* Domini.
pag. 183. col. 1. lin. 10. dele *in Missa.*
pag. 190 col. 1. lin. 27. *post duplicibus.* adde *& ubi notatur.*
pag. 226 col. 1. lin. 29. *post* æternæ *pone asteriscum* * *& dele post.* justitiæ.
pag. 226 col 2. lin. 20. dele *& in feriis quatuor temporum.*
pag. 227 col. 1. lin. 4. *supra* lege *infrà.*
pag. 245. col. 1. lin. 25. post *ut supra* adde 191.
pag. 449 col. 2. lin. 17. *tantum* lege *nona Lectio &*
pag. 487 col. 2. lin. 32. *fit tantum* lege *legitur tantum nona Lectio & fit.*
pag. 542 col. 1. lin. 29. dele *duplicibus &.*
Ibidem lin. 36. dele duas ultimas lineas.
pag. 546 col. 1. lin. 16. *nil fit de festo nisi* lege *legitur tantum de eo nona Lectio & fit.*
pag. 594 col. 2. lin. 17. *fit tantum* lege *legitur tantum de eo nona Lectio & fit.*

image
not
available